

NAZIONALE
8
16 — E
36
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

PHILIPPI A LIMBORCH

DE

VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ AMICA COLLATIO

CUM

ERUDITO JUDÆO.







GOUDÆ;

Apud JUSTUM AB HOEVE.

cIɔ Iɔc LXXXVII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Benevole Lector,

DIſputatio hæc neutiquam fuit inchoata eô conſiliô, ut publicam lucem adſpiceret, totiuſque mundi judicium ſubiret: verum ut privatim inter Judæum & Chriſtianum amica de religionis veritate diſquiſitio inſtitueretur. Intentio Judæi, uti ex quæſtionibus ab ipſo propoſitis liquet, fuiſſe videtur, oſtendere, nullas eſſe rationes, quibus Judæi ad religionis Chriſtianæ profeſſionem, deſerto Judaiſmo, perſuaderi poſſint; plures vero, eaſque non exigui momenti, quibus ab eâ deterreantur. Quo in argumento dextre ſatis ac docte ſe geſſit: Judæorum quippe argumenta, quibus religionem Chriſtianam impugnare ſolent, penitus ſe percepiſſe clare oſtendit, ex iiſque quæ fortiſſima ſunt non infæliciter ſelegit. In quibus eruditio ejus non vulgaris ingeniique acumen in urgendis argumentis paſſim elucet.

Ego vero videns hominem eruditum ex communi

muni Judæorum præjudicio, quo religionem Christianam supponunt esse falsam, & à Deo non profectam, argumenta sua urgere, aliâ quam communiter fieri solet insistendum methodo credidi, ut disquisitio hæc recte instituatur, & de summa rei solidè disputari possit. Primo enim de religionis Christianæ fide historica & revelationis certitudine agendum judicavi: Quo posito fundamento, particularia dogmata, quæ Judæis offendiculo sunt, rectius probari & facilius admitti possunt. Cum enim revelatio ad ea solum necessaria supponatur, quæ ratio per se & ex principiis mere naturalibus assequi non potest, frustra laboramus in iis stabiliendus, quæ à fide & revelatione unice pendent, nisi prius adstruatur revelationis ipsius veritas; quod in hujusmodi disputationibus & fundamentum & caput rei est. Hæc methodus si in omni cum incredulis disceptatione æqua & legitima est, à Judæis certe minime omnium recusari potest, nec ab iis negligi debet qui cum ipsis de religione disputant. Si enim Judæi omnem suum cultum, religionem, privilegia vera & indubitata esse volunt, quia Deum habent autorem; idque unice constat, quia Moses missionem suam operibus stupen-

ſtupendis ac miraculis teſtatam fecit; eandem argumentationis methodum Chriſtianis ſane nullo jure negare poſſunt, qui ſui Legiſlatoris miſſionem eadem trutina ponderandam, Chriſtumque cum Moſe conferendum proponunt.

Itaque ut diſputationem eò deducerem, quæſivi, quibus argumentis moti Judæi Moſen agnoſcant Prophetam ac legiſlatorem divinum. Perſuaſum quippe habui, nulla pro divinâ Moſis miſſione à Judæo poſſe afferri argumenta, quin eadem multo fortius ac validius à Chriſtiano urgeri poſſint ad divinam Jeſu Chriſti miſſionem comprobandum Quæ cum produxiſſet Vir Doct. ego ea bona ac ſolida eſſe admiſi; verum validius divinam Jeſu Chriſti, quam Moſis, miſſionem adſtruere oſtendi: Indeque concluſi, Judæum, qui hiſce argumentis motus credit Moſen eſſe Prophetam divinum, iiſdem validius debere perſuaderi, Jeſum Chriſtum à Deo eſſe miſſum; ac proinde nullam poſſe dare ſolidam rationem, cur, quoniam Moſi credit, in Chriſtum credere recuſet. Hoc ſe argumento preſſum ſentiens Vir Doct. evitare non potuit, quin, quod declinare maluiſſet, varia contra religionem Chriſtianam, ejuſque veritatem ac

 divi-

divinitatem, conquireret, ad ostendendum, non æqualibus eam comprobari argumentis, atque legem Mosis. Quare si hic contra religionem Christianam quid scripserit liberius, & quod alicui durius videri posset, non illud ipsi imputandum, quasi sponte occasionem Euangelio obloquendi quæsivisset, aut captasset; sed necessitati, in quam per argumentationem meam redactus fuit, & pertractus in disquisitionem quam evitare maluisset; ideoque &, offensionem veritus, ægre in editionem consensit.

Hac pertractatâ disquisitione ad vindicationem mearum responsionum, quas quæstionibus ac argumentis eruditi Judæi opposueram, redii, illasque à novis ipsius objectionibus vindicavi. Hìc autem ita me gessi, ut nullius peculiaris inter Christianos controversi dogmatis, sed solius Euangelii, patrocinium susceperim: Secutus judicium viri summi & religionis Christianæ patroni ac vindicis omnium calculo prudentissimi ac strenuissimi, Hugonis Grotii, qui in aureo suo & nunquam satis laudato de Veritate Religionis Christianæ tractatu non tantum eandem disputandi rationem observavit; sed & in Epistola

qua-

quadam ad Gerardum Joannem Vossium (*Epist. Praestant. Virorum* ΙↃXLVIII. *pag.* 797. *col.* 1.) hanc instituti sui rationem reddit: *Triados probationem in eo libro directe aggressus non sum, memor ejus quod à viro magno socero tuo audiveram, peccasse Plessæum & alios, quod rationibus à natura petitis, & Platonicis sæpe non valde appositis testimoniis, adstruere voluissent rem, non ponendam in illâ cum Atheis, Paganis, Judæis, Mahumethistis, disputatione, qui omnes ad Sacras Literas ducendi sunt, ut inde talia hauriant, quæ nisi Deo semet patefaciente cognosci nequeunt.* Hinc quotiescunque Judæus ad dogmata quibusdam Christianis peculiaria, qualia plura in ipsius scripto occurrunt, me pertrahere conatus est, ego studiose id declinavi; ratus, contra hominem Novi Testamenti autoritatem negantem frustra disputari de dogmatibus alibi aut non, aut saltem non clarè revelàtis, quorum proinde fides divinam Novi Testamenti autoritatem præsupponit: Ac proinde sufficere, ut contra Judæum sola Euangelii divinitas adstruatur: de quâ si quis argumentorum pondere convictus sit, eadem opera omnium quæ Euangelium tradit dogmatum veritas ac divinitas ipsi compro-

comprobata erit: quâ ſemel comprobatâ ipſe porro attenta adhibita Novi Teſtamenti lectione, omnibuſque in timore Domini legitime examinatis, dijudicare poterit, quid de dogmatibus inter Chriſtianos controverſis conſentaneë veritati in Novo Teſtamento traditæ ſtatuendum ſit. Tu, Lector, cujus nunc judicio tota hæc diſputatio ſubjicitur, lege, & candidè judica. Amſtelodami, anno CIↃ IↃC LXXXVII.

SERIES CONTENTORUM HOC VOLUMINE.

RESPONSIO AD SECUNDUM SCRIPTUM JUDÆI.

TERTIUM SCRIPTUM JUDÆI.

** Num.

** 2 Num.

Tertium Quæſitum.

Num.

SERIES

Quæsitum Primum.

Quæsitum Secundum.

Ca-

Quæsitum Tertium.

Quæsitum Quartum.

Caput

URIELIS ACOSTA

PHILIPPI a LIMBORCH

AMICA

AMICA COLLATIO
CUM
ERUDITO JUDÆO.
PRIMUM SCRIPTUM JUDÆI.



Um fides in Messiam redemptorem futurum non minus necessaria fuerit à mundi exordio, quam in Deum creatorem; imo magis, quia non potest esse fides in Messiam, quin supponatur Deus; maxime in Deum absque Messia: quæritur quare Deus fidem in se ipsum sæpissime & clarissimè Israëli commendaverit in universo Vetere Testamento, & fidem in Messiam nunquam commendaverit, in qua consistebat tota salus? Quod si fecit, petitur

1. Ut assignetur locus aliquis, in quo Deus mandaverit, aut dixerit expressè, quod fides in Messiam est absolutè necessaria ad salutem generis humani, adeo ut qui non crediderit damnandus esset.

2. Ut assignetur locus, in quo Deus dixerit, quod unicum medium ad salutem Israëlis, & restitutionis in divinam gratiam, est fides in Messiam jam adventum.

1. *Suscitabo Prophetam sicut te:* Non satisfacit: quia vel loquitur de Josua, vel de successuris Prophetis; ut explicat Joannes Calvinus ad Orationem Stephani Martyris.

2. Medium unicum pro restituendo Israële ab hac captivitate in divinam gratiam clare dicitur à Deo, *Deuter. 30. usque ad vers. 10. & cap. 28. vers. 1.*

3. Ut as-

3. Ut assignetur locus, in quo Deus dixerit, quod Israël propter infidelitatem in Messiam erat deperdendus, & abjiciendus in nationibus, ut non sit amplius populus Dei, sed in æternum damnandus donec Messiam adventum non crediderit.

3. Causa extremæ ruinæ & abjectionis Israëlis, & præsentis captivitatis, in sententia Doctorum Christianorum, assignatur à Deo *Deuter. cap. 28. v. 15.*

4. Tandem assignetur locus, in quo dixit Deus omnia legalia, præter moralia, fuisse umbram, seu figuram futurorum in adventu Messiæ, & quod fere omnia quæ & in divina lege, & in Prophetis fuere revelata, mysticè & tropologice explicare liceat, quantumvis sensus literalis omnino despitiatur.

4. Si lex divina, & Prophetæ pro majore parte mysticè deberent intelligi, neque essent scitu faciles, neque Israël ita exactus rhetoricus, ut intelligere posset, quæ ad sui salutem intelligere oporteret. Oppositum dixit Deus, *Deuter. 30. vers. 11. & sequentibus.*

Non quæritur an Deus promiserit Messiam, sed an præter eam quæ debetur ex præcepto divino cæteris Prophetis, fidem in Messiam commendaverit, præceperit, & in ea hominis salutem consistere, Israëlem docuerit.

RESPON-

RESPONSIO
AD
PRIMUM SCRIPTUM JUDÆI.

Ad Quæstionem Præliminarem.

PRæceptum divinum officii nostri regula est. Cum ergo affirmet Quæsitor, Deum nunquam in universo Veteri Testamento Israëli commendasse fidem in Messiam; mirum quo fundamento asserere possit, fidem in Messiam redemptorem futurum non minus, imo magis necessariam fuisse à mundi exordio, quam in Deum creatorem. Ratio quam allegat assertionem hanc non confirmat, sed destruit: Si enim fides in Messiam esse nequit, nisi supponatur Deus; in Deum vero maxime absque Messia; evidentissime exinde sequitur, fidem in Deum magis esse & fuisse semper necessariam, quam in Messiam.

Verum ita se res habet. Fides nostra accommodata esse debet revelationi divinæ: Quando itaque Deus nobis veritatem quandam revelat, illi fidem adhibere obligati sumus, etsi nullum credendi addatur præceptum. Estque fides hæc vel distinctior vel obscurior, pro ratione ac modo revelationis divinæ. Sic Israëlitæ obligati fuere credere Deum esse, quoniam Deus adeo clare se iis manifestaverat, ut ejus existentiam in dubium vocare non possent: Licet nusquam Deus in Veteri Testamento exserte fidem illam præcipiat: Sed eam tanquam legislationis suæ fundamentum præsupponens mandat sui cultum præceptorumque obedientiam.

Eodem modo se res habet cum Messia. Deus per Prophetas Israëli revelavit, se ad ipsorum liberationem missurum Messiam. Isti revelationi, quoniam constabat divinam esse, Israëlitæ obligati fuere fidem adhibere, etsi nullum addatur præceptum divinum, scilicet, credendi Messiam esse venturum. Verum non plene nec perspicue Messiæ officium Deus Israëli olim revelavit; nec fidem expressam in eum exegit: Verum id reservavit præstituto tempori, quo Messias in mundum venturus seseque manifestaturus esset. Non potuit ergo Israëlis exspectatio de Messia alia esse, nisi accommodata promissionibus divinis; & fides, nisi secundum illam exspectationem. Nunc vero, cum Messias in mundum venit, munus suum administrat, fidemque in se exigit, missionemque suam divinissimis miraculis confirmavit, exserta & distincta in illum fides necessaria est; quæ olim, cum adhuc exspectabatur, non perinde ut nunc necessaria fuit.

Ad primum Quæsitum.

Ex dictis liquet, necessarium non fuisse, ut Deus in Veteri Testamento mandaverit, aut expresse dixerit, fidem in Messiam absolute necessariam esse ad salutem humani

mani generis, adeo ut qui non crediderit damnandus esset. **Sufficit, Deum dixisse,** se Messiam missurum; & postea per Messiam, quando in mundum venerit, voluntatem suam plene declarasse. Ab eo enim tempore distincta & expressa fides in Messiam necessaria fuit.

Verba Mosis *Deut.* XVIII. non de Josua, sed de Prophetis Mosen secuturis, recte explicat Calvinus; ita tamen, ut (quod omisit Quæsitor) etiam præcipue Messiam, tanquam omnium prophetiarum finem ac complementum, expresse intelligi voluerit. Et ratio id suadens evidens est: Quia verba hæc, si vis earum recte attendatur, suadent Prophetam majorem etiam intelligendum esse: Quia inter Veteris Testamenti Prophetas nemo fuit similis Mosi.

Ad secundum Quæsitum.

Eadem responsio hic valeat. Sufficit enim, postquam Messias jam in mundum venit, Deum per Messiam declarare, ***unicum medium ad salutem Israëlis & restitutionis in divinam gratiam esse fidem in Messiam, qui jam advenit***; quæ fides absque pænitentia esse non potest.

Pænitentia quæ præscribitur *Deut.* XXX. & XXVIII. non respicit præsentem Israëlitarum incredulorum dispersionem; sed captivitatem Babylonicam, aliasque afflictiones quæ Messiæ adventum antecesserunt: Uti ipse verba hæc interpretatur Nehemias *cap.* I. *vers.* 8. 9. ***Memento verbi, quod mandasti Mosi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: Et si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.*** Quod si quis pertendere velit, ad præsentem statum ea etiam extendi debere; sciat ille, nullam veram ad Deum resipiscentiam esse posse, sine receptione illius, quem ad populi sui salutem misit.

Ad tertium Quæsitum.

Non necesse fuit, ut Deus olim dixerit, *quod Israël propter infidelitatem in Messiam esset deperdendus & abjiciendus in nationibus, ut non sit amplius populus Dei, sed in æternum damnandus donec Messiam adventum non crediderit*: Sufficit Deum Israëli Messiam promisisse: Exinde enim manifestum est, Deum voluisse, ut quando veniret reciperetur & agnosceretur; ac proinde neminem, qui eum agnoscere recusaret, beneficiorum ipsius fore participem.

Quæro vicissim: An non quæsitor agnoscat, quando Messias, quem hodierni Judæi exspectant, venerit, non alios ex Israëlitis redemtionis & beneficiorum ejus fore participes, quam qui eum recipiunt, ipsique ut regi suo se subjiciunt? Quid ergo fiet tot ex genere Judaico oriundis, quorum parentes jam olim in Jesum Christum crediderunt; quique parentum suorum vestigiis insistentes, etiam in Christum credunt, nec amplius originis suæ secundum carnem ex Abrahamo memores sunt? An non & illi, quoniam eum quem hodierni Judæi exspectant Messiam non sunt recepturi, à beneficiis

beneficiis ipsius sint excludendi? Si agnoscat: Proferat locum ubi Deus id minetur: Idem & Christianis serviet contra Judæos. Si non possit proferre locum: ne urgeat Christianos in simili casu locum proferre; sed agnoscat, sufficere Messiam à Deo missum: Inde enim evidens est, omnes, quicunque eum non recipiunt, sive Israëlitam sive extraneum, à beneficiis ipsius excludendos. Pœnam contumaciæ Deus etiam pro arbitrio per Messiam constituere potest, licet eam in Lege sua, ante Messiæ adventum, non expresserit.

Ad quartum Quæsitum.

Licere mystice Legem & Prophetas explicare cum despectu sensus literalis, nunquam ego concesserim. E contra credo, semper & ante omnia sensum literalem religiose esse investigandum, neque eum ullo prætextu posse rejici aut præteriri. Verùm sub sensus literalis cortice etiam alium sublimiorem nonnunquam latere Judæi negare nequeunt, qui ferme ubique per Cabbalam suam sensum mysticum, aliquando ex singulis literis earumque positione ac ordine, item numero earundemque repetitione, venantur. Nos eum admittimus, ubi manifesta rerum & historiarum est convenientia, & verba ipsa adeo sublimia, ut omnis earum vis, si in plena sua significatione accipiantur, in sensu literali exhausta non sit; ac proinde res ipsa nos docet, Deum præter sensum literalem sublimius quid verbis istis etiam comprehendere voluisse, quod suo tempore manifestavit.

Non necesse fuit, ut Deus olim dixerit, *omnia legalia præcepta præter moralia fuisse umbram & figuram futurorum:* Sufficit, Deum olim tam per Mosen quam Prophetas aliquoties indicasse, cultum illum ceremonialem absque morali sibi neutiquam placere; & postea per Messiam perfectiorem cultum introduxisse; quin & templum, cui cultus ille externus alligatus erat, exscindi & dirui curasse: Ea enim ratione satis evidenter ostendit, sibi cultum illum externum non amplius placere; sed meliori & perfectiori, per Messiam instituto, tanquam umbram corpori, cedere debere.

Nec tamen propterea *Lex & Prophetæ Israëli fuerunt obscura*, quatenus pro illo tempore ab ipso intelligi debebant. Non enim exegit Deus, ut ante Messiæ adventum dilucide sensum illum mysticum intelligerent: Voluit ut secundum literam Legem adimplerent, & ceremonias in ea præscriptas observarent. Verum postquam adveniente Messia perfectiorem cultus rationem exegit, etiam cultum illum externum, olim exactum & secundum literam implendum, docuit umbram tantum fuisse cultus spiritualis; ideoque eum evanescere sensim debere, sicut adventante corpore umbra evanescit: Et destruendo templum totamque Rempublicam Judaicam, illi etiam finem imposuit.

Coronidis loco libet vicissim quærere; Quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant Prophetam & Legislatorem divinum?

SECUNDUM

SCRIPTUM

JUDÆI.

Affirmavi in primo meo quæsito, Dominum nunquam in Veteri Testamento Israëli commendasse fidem in Messiam mediatorem : Sed idem videtur nobis fateri Clarissimus Dominus, siquidem nullum textum produxit in sua responsione, in quo talem fidem Deus Israëli commendaverit : Non fuisse necessarium tale præceptum docte satis ostendit, & juxta suum dogma probare conatur. Miratur, quod cum affirmaverim Deum nunquam hanc fidem commendasse in Veteri Testamento, eam esse à principio magis necessariam, quam in Deum Creatorem, statim addiderim. Sed non debebat Clarissimus Dominus intelligere me ex propria sententia eam propositionem protulisse, quam nunquam crediderim : Loquebar quidem juxta Christianum dogma ; ideo quærebam ; quare si ita necessaria fuit illa fides, nunquam à Deo fuit commendata in Veteri Testamento ?

Probabam (ex vestra fide) esse magis necessariam, quam in Deum creatorem : quia licet homines credant Deum creatorem, non ideo consequenter credunt Messiam, cujus fidei defectu, neque vere, neque verum Deum credunt ; Si vero crederent in Messiam, necessario crederent in Deum : Sic Joannes Calvinus : *Sciendum, quod est impossibile veram Dei cognitionem habere sine Christo ; ideo à principio mundi propositus fuit omnibus electis, ut in ipsum oculos injicerent, & in ipso eorum spes requiesceret.* (& infra) *Cum ipsi caput non haberent, id est Christum, cognitio, quam ipsi de Deo habuerunt, vana fuit & inutilis : Sicuti hodie Turcæ, qui quamvis pleno ore se Deum creatorem cœli & terræ adorare glorientur, idolum tamen dumtaxat adorant, non verum Deum.* Ex tali dogmate ego inferebam, quod erat necessaria, imo magis necessaria commendatio fidei in Messiam Redemptorem, quam in Deum Creatorem, quia, ut creditis, Filius est unica via ad Patrem : Quia per unicum Christum est credere in Deum : *Petr. 1. 21. August. lib. XI. de civit. Dei, cap. 2. Joan. 2. vers. 23. Qui non habet Filium non habet Patrem.* Tandem hoc dogma Christianum est, quod saltem post lapsum Adami, nulla Dei cognitio potuit homini prodesse ad salutem sine fide in Mediatorem. Fortasse fortasse fallor, sed non potui aliter didicisse ex Doctorum Christianorum lectione : Non igitur omnino inepte inferebam : Non minus, imo magis necessariam fuisse ab Adami peccato, revelationem fidei in venturum Messiam, quam in Deum creatorem, siquidem ista absque illa erat prorsus inutilis, aut omnino impossibilis.

Asserit Clarissimus Dominus, quod *fides nostra debet se accommodare revelationi divinæ eo modo, quo ipsa fuerit.* Hoc verum est, sed cum distinctione loquendum. Propheta credit Deo loquenti, quia præter id, quod revelat, influit in mentem Prophetæ assensum revelationi ; interim licet Prophetæ dubitare, an divina revelatio sit ? Dubitavit Samuel ; dubitavit Gideonus. Sarah etiam dubitavit Angelo loquente : Ideo Deus simul cum eo quod intendit, ita afficit mentem Prophetæ, ut clare & evidenter sciat, Deum ipsi loquutum fuisse, ut ut fuerit modus revelationis clarus, vel obscurus. Quoad populum aliter se habet. Post divinam revelationem Synai tenetur credere omni veritati divinitus revelatæ (non sine præcepto, ut ait Clarissimus Dominus) sed ex præcepto divino ; Domino præcipiente, ut Prophetæ secundum legem approbato ab iis, ad quos de jure divino id judicium pertinebat, populus fidem adhibeat : quare nullum credendi additur præceptum, quia jam in lege talis fides fuerat præcepta. Est etiam verum, quod ea, quæ à divino Vate prædicuntur, alia sunt clara, alia maximè obscura, ut visiones Isaiæ, Ezechielis, Sachariæ, Danielis, & aliæ ; tamen etiam est verum, quod ea, quæ fuerunt, & sunt de necessitate salutis, Dominus nunquam obscure & ænigmatice revelavit ; sed

Deut. 18. vers. 19.

omnis

omnia clara, & distincta, ea perspicuitate, quæ sufficiebat, ut Populus falli non posset, neque aliquis eum seducere.

Prophetæ, post legis divinæ promulgationem, nullam novam veritatem populum edocebunt, quæ ad Deum credendum inducat aliter ac per Mosem fuit in lege revelatus: quia per eandem legem non licet adorare Deum aliter, ac patres nostri tunc temporis cognoverunt, quamvis vel Propheta, vel omnes homines affirment, eundem Deum Israëlis esse, & non alium: Ideo tali novæ veritati, quantumvis divina prædicetur, Israël assentire prohibetur: Neque assignabitur locus in tota lege, ex quo talis permissio deduci possit. Neque est officium Prophetæ, post Mosem aliquid à lege derogare, vel aliquid de novo addere sub legis prætextu; Non quod Deus non posset, si velit; sed quod ex eadem lege constat, quod noluit: pariter ac Christianus credit, neque baptisma, neque Sacramentum eucharisticum, mutanda fore; non quia Deus non posset, si velit, sed quia decrevit non ita velle.

Addit Clarissimus Dominus, quod *sicuti Israëlitæ tenebantur credere in Deum, quia clarissime se eis manifestavit, adeo ut ejus existentiam non possent amplius in dubium vocare, ideoque istius fidei nullum fuit necessarium præceptum: ita neque pro Messia credendo fuit præceptum aliquod, præter ipsius claram promissionem necessarium.*

Habuerunt Israëlitæ de Deo indubitabilem notitiam, ideo & fides fuit indubitabilis: pro qua notitia neque suffecere in Ægypto stupenda miracula coram Israële & gentibus patrata: quapropter in transitu maris dixit divinus Spiritus: *& crediderunt Domino, & Mosi servo ejus*, neque omnino hæc sufficiebant (ut optime probat Doctissimus Benedictus Arias Montanus) quo usque in admirabili visione montis Sinaï Dominum ipsum loquentem audiverint, quæ fuit quasi visio beatifica, quasi intuitiva notitia. Nec necessarium erat alterum credendi præceptum, quia non ob alium finem se Deus eis manifestavit, nisi ut in ipsum crederent. Quare dixit postea Mosi: *& credent in me, & in te in æternum.* Præterquam in toto sacro volumine sæpissimè commendatur fides in Deum, ut in primo præcepto Decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus &c.* Etenim plurimi Doctores ex Christianis & Judæis hæc verba esse partem primi præcepti sustinent: alii esse fundamentum totius legis, quod ad ipsam supponitur: nec in his amplius sistere oportet. Quoties Dominus Deus noster addidit, & præcepit in lege ipsum adorare, ipsum cognoscere, ipsum, & non alium credere, amare. Profecto, liceat sic loqui: Hoc est præceptum totam legem transcendens. Sed assignetur locus in toto Veteri Testamento, ubi Deus eodem modo (licet non sub formalitate præcepti) fidem in Messiam venturum commendaverit, sicuti in se ipsum, cum non minus necessaria fuerit ad hominis salutem, quam in Deum Creatorem. *Exod. 19. vers. 9.*

Adducto exemplo de Deo ut Israëli revelato, prosequitur Clarissimus Dominus: *Eodem modo se res habet cum Messia.* Profecto si eodem modo Deus se gessisset cum Messia, ut se gessit cum se ipso, ut ab Israële indubitanter & infallibiliter crederetur, ejus existentiam non possent Israëlitæ in dubium revocare quando venisset. Verum quidem est, Deum per Prophetas Israëli Messiam liberatorem promisisse, idque non obscure, sed satis clare & aperte; ideo non fuit necessarium aliud præceptum, scilicet, credite Messiam quando venerit (ut dicit Clarissimus Dominus) quia credendo revelationi divinæ, Messiam fore venturum constantissime crediderunt, & Judæi huc usque credunt, ut omnibus notum est, qui spem nostram unanimes irrident. Ideo dicebam in ultimo quæsito, non textum, in quo Messias promissus fuisset, exigebam, sed in quo fides in eum pro salute æterna totius Israëlis, & generis humani, commendabatur, expetebam: Sed non extat: An fuisset necessarius; eventus docuit, ut asseritis, nostram infidelitatem exprobantes.

Addit Clarissimus Dominus, quod *Deus in Vetere Testamento, non plane & aperte Messiæ officium revelavit.* Certe satis clare & apertè Dominus Messiæ officia per suos Prophetas revelavit, adeo ut neque in dubium revocari possent. Prædicitur ut *Rex, qui regnabit, & sedebit in throno Davidis Patris sui:* Ut *Judex, qui judicabit populos in æquitate, qui judicabit pauperes, & egenos:* Ut *Pastor, qui pascet populum suum Israëlem, qui habitabit cum eis, neque eos deseret:* Ut *bonus Pastor; qui prædicabit annum placabilem Domino, qui liberabit totum Israëlem, domum Iuda, & domum Jacob ex manu persequentium: ad quem con-* *Isai. Ezechiel. Jerem.*

fluet

fluet totus Israël ex omnibus locis, & regionibus, quærens Adonai, & Davidem Regem suum, quem suscitabit ei: aliaque plurima officia adeò perspicua, ut in dubium revocari non possent. Sed hæc officia sic ad literam intellecta in vestra sententia, respectu eorum, quæ nunc Messiæ attribuuntur, certe minima sunt, quasi nihil sunt. Verum alia in Veteri Testamento non clare extant, ut Clarissimus Dominus fatetur, & non nisi mystice inde deduci possunt. O quam bene, quam piè, quam misericorditer Deus Dominus noster se gessisset cum dilecto populo (supposita vestri dogmatis veritate) si saltem semel in toto sacro volumine, clare & literaliter Messiæ, quem revelavit, officium Israëli prædixisset! Contra verò miserum foret, quod omnia officia, quæ clarè & perspicuè revelata fuere, ut jacent in litera, temporalia sint, carnalia sint, Israëli inutilia, Deo revelante indigna, ideoque ut à Deo promittuntur, nullatenus expetenda, contemnenda potius, ut spiritualibus nociva, adeo ut in ipsa literæ perspicuitate, ob inscitiam nostram, absque malitia, perpetua Israëlis damnatio, & ruina consistat: tandem quod electo populo mortiferam solùm literam tradiderit, gentibus vero spiritum, qui vivificat. Sed difficilius est demonstrare, quid de divina gloria & majestate detraheret, seu minueret, si fidem in Messiam, non qualem qualem, sed ut à vobis depingitur, & extollitur, Israëli commendasset, aut revelaverit; cum præsciverit ob istius fidei defectum totum Israëlem in æternam damnationem abiturum, præter paucos? Et plurima legalia, quæ ad breve tempus inservitura erant, paulo post mortifera, mille encomiis extulerit, mandaverit, intimaverit? An summa veritas hoc modo nos decipere volebat? Absit. Sed Deus noluit (ajunt.) At non est credibile Deum noluisse, cum summè bonus sit, qui omnia ad salutem revelavit Israëli ea claritate, quam sufficere præscivit, ut effectus sequeretur, nisi hominis malitia obstiterit.

Prosequitur Clarissimus Dominus, quod *totum id reservavit Deus præstituto tempori adventus Messiæ.* Id verè certum est, quod omnia, quæ Prophetæ prædixerunt de futuro Messia, reservavit Deus præstituto tempore ejus adventus exequenda: non vero, quod vera & propria officia Messiæ nunquam antea revelata reservaverit ad ejus adventum, cum ex iis, quæ antea revelata fuerunt, ejus adventus esset dignoscendus: quæ si ita obscura fuissent, ut non intelligerentur, essent potius Israëli (ut fatemini) erroris causa suum Messiam minime cognoscenti: quia nec expectare, neque credere debebant Messiam, nisi se accommodando promissionibus (ut ait Clarissimus Dominus) quæ cum nullatenus proportionatæ sint eis, quæ nunc de eo prædicantur, nisi fere omnes mystice intelligantur, ab Israële recipi hæ non possent, qui debet se accommodare divinis promissionibus, ut in sacro textu clare & perspicuè extant, non ut postea mystice interpretarentur, adventus Messiæ tempori reservata.

Concludit Clarissimus Dominus ad primum quæsitum, quod non extat locus in Veteri Testamento, in quo Deus talem fidem in Messiam commendaverit, aut dixerit esse necessariam ad salutem Israëlis, & totius humani generis: Sed addit, *quod non fuit necessaria talis commendatio, & sufficiebat Messiam promittere, qui postea Dei voluntatem hominibus indicaret.* Fateor hoc suffecisse gentibus, non aliter à Deo per divinam legem & Prophetas edoctis; non vero Israëli, quem Deus de talibus mysteriis nunquam prævenit, & contrariis coloribus Messiam depinxerat. Futurus erat Rex, Judex, Pastor: Israël vero neque Regem vidit, neque Judicem, neque Pastorem. De Regno spirituali in cœlo, de Judice in cœlo præter Deum, de Pastore in cœlo, nunquam à Deo admonitus: Quæ si antea revelasset, quis non crediderit? Ideo petebatur textus, si forte in Veteri Testamento posset assignari, in quo Dominus hæc & similia prænuntiavit. Sed non extat.

Ad tertium quæsitum, eodem modo respondet Clarissimus Dominus, quod, scilicet, textus non exstat in toto Veteri Testamento, in quo Deus infidelitatem in Messiam, futuram esse nostræ calamitatis & condemnationis causam, prædixerit, admonuerit, aut comminatus fuerit: Hoc pro responsione sufficiebat, quia nil aliud exigebat nostrum quæsitum. Sed Clarissimus Dominus eis, quæ nobis in pectore restabant, & tacitis consequentiis ex sua categorica responsione à nobis educendis, piè satisfacere conatur. Addit igitur, quod non erat necessarium Deum hæc nos præmonuisse, quia promittendo Messiam certò consequebatur Deum velle, ut eum Israël admitteret, ipsumque audiret, & obedientiam præstaret, ut Regi, & divi-

& divino Doctori, neque oportebat dicere; recipite eum, alias iram meam experiemini.

Fateor quidem, quod, Domino Messiam promittente, non necesse erat dicere, vel imponere præceptum de eo recipiendo: quia ut Rex à Deo missus ipse se faceret recipere, & obedire, si talis erat voluntas Dei: ut fecit cum Saule, Davide, & Salomone. Et ut Propheta, jam erat præceptum in lege expressum de audiendo Propheta: Et qui Prophetæ jam probato non audiret, peccaret, sicuti in quodlibet aliud contra legis præceptum. Non erat quæsitum de hac fide (ut notavi in calce mei scripti) sed de ista fide in Messiam Mediatorem, in qua consisteret tota salus æterna Israëlis, & generis humani, respectu cujus omnia quæ antea Deus in lege præceperat, quasi nihil erant, absque qua, neque verè, neque verum Deum credere possent; sed si quam fidem haberent in Deum Creatorem, futura erat quasi in non Deum, quasi in idolum. Quare Deus de hoc Israëlem non admonuisset, ne adeò infandum crimen idololatria deterius, in sui ultimam corporalem & spiritualem perditionem committeret? Quare pro aliis minoribus peccatis tot præventiones, tot comminationes? & pro hoc capitali, & omnium deterrimo, nec verbum ullum? Quare dixit: *Scio, quod fluentibus seculis, vos adulterabitis, & fornicabimini cum Diis gentium, & scandescet ira mea, & abjiciam vos à facie mea in nationibus:* Hoc pessimum erat; sed in- *Deut.*
finite pejus Deum humanatum occidere, & eum loquentem facie ad faciem despicere, & in patibulo suspendere, posteaque in suis generationibus semper abnegare, respuere. Quare de idololatria tot comminationes, & de Messiæ abnegatione punienda perpetuum silentium in tota lege? Profectò ideo Deus nullam fecit de Messia recipiendo admonitionem, quia præsciebat non esse necessarium (ut rectè ait Clarissimus Dominus) ut Israël suum Regem reciperet, id commendare: Siquidem id quod in summam utilitatem cedit ei, cui promittitur, non eget aliqua suasione, ut recipiat. Messias vero in summam fælicitatem Israëli promittebatur, ut ex tota Sacra Scriptura satis liquet: quare Deus juberet, ut admitteret? Cætera vero, quæ supra captum hominis sunt, quæ nunquam Israël excogitaverat, in quibus unicè tota salus consistebat, quare non admonuisset dilectum populum? Præsertim cum Messias adventaturus esset omnino absconditus, formam servi accipiens. Certe sicuti dixit: Ego scio quod fluenti tempore declinabitis ad falsos Deos; rationabile erat dixisse: Ego scio quod me humanatum non recipietis, potius enecabitis, inde vestra totalis damnatio. Sed sciebat Deus, hoc taliter non futurum esse, neque Israëlem remedium à Deo præscriptum pro libertate ex gentibus obtinenda recusaturum, neque Unctum Domini occisurum: Ideo neque ejus receptionem præcepit, neque tale facinus comminatur, neque de illa in Messiam eo modo Mediatorem & Salvatorem fide aliquando loquutus.

Dixi quod verba Mosis *Deuter.* XVIII. non satisfaciebant, quia de Josua, & ejus successoribus Prophetis evidenter intelliguntur. Idem sentiunt plurimi Doctores Christiani, sicuti & Joannes Calvinus, qui *aliter opinantes se ridiculos meritò facere Judæis* aperte dicit, dum textus litera evidenter reclamet. Queritur Clarissimus Dominus quod cætera Calvini verba omiserim. Fateor, non malitiose, quia angustæ chartæ margo non plura capiebat, & quæ ibi scripsi ita constricta, ut vix essent legibilia. Præterquam ad id, quod intendebam nil prorsus intererat, quod Calvinus dixisset: *Non male, nec citra propositum talia verba Petrum Messiæ accommodasse, ut Prophetæ, & præcipuo Prophetæ:* Esto quod etiam conveniant Messiæ in ordine Prophetarum; non satisfacit quæsito de fide illa peculiari, in qua constitit, & consistit totius humani generis salus. Neque ibi major Propheta significatur quam Moses (ut intendit Clarissimus Dominus) *eo quod nullus ex præcedentibus similis fuerit Mosi*, ut legitur in sacro textu: & miror quomodo hæc cohærere velit: quia si nullus ex præcedentibus Christum fuit similis Mosi, quomodo admittit, quod hæc verba intelliguntur de omnibus Prophetis, dicente Deo, *suscitabo Prophetam similem tibi:* & si fuerunt similes, quare additur quod inter V. Testamenti Prophetas nemo fuit similis Mosi? Certum quidem est, quod non surrexit sicut Moses Propheta, qui loquutus fuerit Dominum facie ad faciem: Fuerunt tamen omnes similes Mosi in officio prophetico; quamvis non gradu revelationis, qui

Mosi fuit omnibus excellentior.] Hæc tamen verba multi fecere Christiani Doctores, quia non alia invenerunt, ex quibus talem, quam expetimus fidem, possent ex V. Testamento deducere.

Ad alterum quæsitum eodem modo respondit, scilicet, quod non revelavit Dominus Israëli, quod unicum medium, ut reducatur in divinam gratiam, & à captivitate liberetur, est fides in Messiam Mediatorem, Deum & Hominem. Hoc unum quærebatur, ex cujus responsione poterit Judæus suas consequentias juxta divinam legem deducere, certus, quod omnia quæ Deus prævideret simpliciter & absolute necessaria ad sui Populi salutem clarissimè revelavit, ne temporum successione, & gentium suasione, falleretur. Hoc ad divinam providentiam, & amorem, quem semper cum Israële exercuit. non pertinaciter, sed constantissimè credimus pertinere: alias, legibus umbraticis, carnalibus, nihil proficientibus, exiguo tempore duraturis, nos decepisset: quod de ejus bonitate minimè credendum.

Levit. Deut. Quod sine pœnitentia nulla nobis salutis spes in hac, & præcedentibus captivitatibus, fatemur: Sed qualis debeat esse hæc pœnitentia, divina revelatione sumus præventi: quia, ut adnotavi in margine istius quæsiti, Deus ipse modum pœnitentiæ nobis præscripsit, videlicet, quod à peccatis vere resipiscamus, observando leges, præcepta, judicia, ac ceremonias, scripta ea die in eo libro legis. Quæ observantia, cum incompatibilis sit cum medio ad nostram salutem à Christianismo proposito, tale medium, seu pœnitentiam admittere, obstat divinum præceptum, seu decretum in lege præscriptum.

Sed Clarissimus Dominus hanc pœnitentiam nobis à Deo præfixam ad præsentem captivitatem extendi, vel non admittit, vel in dubium vertit. Profecto immeritò, quia ex sapientioribus Christianis doctoribus nemo fere dubitat: Et qui non admittunt, ut Judæorum argumentum elidere possint, inextricabilem labyrintum contexunt, ut Babylonicæ captivitati circumstantias, & verborum Sacri textus seriem queant applicare. Certum quidem est, quod omnibus præcedentibus Israëlis afflictionibus & captivitatibus applicari possunt, quia in quavis afflictione, quæ universo Israëli accideret, peccata sua fuisse in causa, fateri tenebatur, & Dei comminationes in lege scriptas, tunc periclitari, credere debebat, ad Deumque per legis observantiam resipiscere. ideo Nehemias verba Dei populo comminantia, aptè sui temporis captivitati applicuit: Non quod omnia in ea captivitate exequuta fuisse crediderit, id erat impossibile: sed quia etiam, juxta ea verba, propter legis prævaricationem iram Dei merito sustinebant. Ergo de hac captivitate ea verba non intelligenda? Negatur consequentia: quia non nisi in hac captivitate omnia à Deo ibi clarissimè prænuntiata, nos, & patres nostri, ad literam periclitati sumus. Præsertim cum nunquam adimpletum fuerit, quod Deus Israëli post captivitatem, & dispersionem per totum orbem

Deut. terrarum in lege promisit, dicens: *Etsi ad cardines cœli fueris dissipatus, exinde te retrahet Dominus Deus tuus, & reducet te in terram quam dedit Patribus tuis, & multiplicabit te plusquam Patres tuos, & circumcidet cor tuum, & seminis tui, ut ames Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & vivas.* Quæ verba non nisi de hac captivitate intelligi possunt, cum huc usque nihil ex prædictis Israëli evenerit; neque talem corporalem, & spiritualem redemptionem expertus sit; sed omnino opposita nobis contingunt. Promisit nobis Deus tempore redemptionis futurum se esse nobis in Deum. Sed, ut asseritis, à tempore redemptionis jam Deus nos dereliquit, abjecit: Messiam inter nos habitaturum, nostrum futurum Regem, & Pastorem; tamen nos eum de medio tulimus, nè habitaret in

Ezech. 37. nobis. Promisit se *nos purificaturum ab omnibus sordiis, immunditiis, & peccatis*; nos tamen (ut creditis) immundati fuimus in sanguine Messiæ quando venit, cum infidelitate, & abominabili pertinacia. Promisit se *nos congregaturum ex omnibus regionibus nostræ dispersionis ad terram, quam dedit Patribus nostris, in qua habitaverunt Patres nostri:* Nos tamen tunc temporis abjecti sumus à terra nostra per totum orbem terrarum: Promisit se *positurum tabernaculum suum in medio nostri*; fuit tamen ablatum tabernaculum suum ex medio nostrì: Promisit, quod *scient, & fatebuntur gentes, Dominum nobiscum esse, & quod nobiscum habitet in æternum*; sciunt tamen hodie gentes, & constanter credunt, quasi suæ fidei

dei mysterium, à nobis recessisse, neque amplius nobiscum esse. Hæc omnia clare, & perspicue revelavit Deus Israëli cum in lege, tum in omnibus Prophetis, ut neque in dubium vocare possemus: juxta hanc revelationem, & claras promissiones debuit semper esse expectatio nostra, & juxta hanc expectationem fides (ut Clarissimi Domini verbis utar) quæ cum in aliis redemptionibus præcedentibus non advenissent, post præsentem captivitatem futura esse, merito credimus, ut verbum Dei in suo Populo adimpleatur, indefectibile cum sit. Aliàs de hac præsenti captivitate nunquam Deus Israëlem prævenisset, neque verbum loquutus fuisset, maximè de præcedentibus brevissimo tempore duraturis; quod omnino incredibile est, si modus, quo semper Israëlem tractavit, recte, & cum sinceritate consideretur, & ad sensus mysticos, textus clara litera despecta, ad libitum non recurramus.

Tandem quærebatur: Ex quo loco Veteris Testamenti constaret: Legem Mosis esse umbraticam, esse figuram eorum quæ tempore Messiæ debebunt contingere? Etiam respondet Clarissimus Dominus, quod non extat talis locus in toto Veteri Testamento, quod hoc omnino latebat, in adventu Messiæ detegendum ac divinitus per eum revelandum: Et quamvis talis textus non adsit, ex ipsamet lege sufficiens ratio deducitur, qua probari potest sic fieri debere: quia, scilicet, Deo nunquam placuit cultus ille externus absque morali, seu interno cultu; unde patet maioris pretii & perfectionis esse hunc quam illum, qui in solis externis consistebat, quæ indifferentia sunt, nec suapte natura bona, sed in quantum à Deo præcipiuntur. Certe ex hac conjectura non recte inferri videtur divinam legem esse futurorum umbram, & figuram, præter quam Deus omnia moralia, quæ ad summam hominis perfectionem conducebant, in lege edocuit, quibus aliquid perfectius addi posse, non licet nobis credere: quod ex ipsis Dei nostri verbis probare, non esset difficile.

Nec videntur perfectiora, quæ nobis ratio nostra naturaliter dictat, quam ea, quæ à Domino supernaturaliter revelantur, & observanda præcipiantur; quamvis nostram miseram rationem lateat illius præceptionis motivum, bonum tamen, sanctum, & honestum debemus credere, quidquid ex illa infinita scientia, & bonitate proficiscitur. Nonne perfectius, & rationabilius est facere, quæ Deus præcepit, quam quæ nobis ratio naturalis bona esse suadet? Ideo contra plurima moralia commissum non adeo severe punit rectissimus judex, quam, quæ contra aliqua ceremonialia committerentur. Qui fallo nomen Dei jura-ret, non impunè iturum, dicit Deus in decalogo; sed qui Sabatum non servaret, quod morte plecteretur: Qui furtum fecerit, quintuplum restituat, & sacrificium offerat; sed qui comederit fermentatum tempore Paschatis abscissa anima ejus: Qui mentitus fuerit, qui falsum testimonium dixerit, qui concupiverit bona proximi sui, suum peccatum feret, nulla pœna his peccatis à Deo indicta, quamvis ab eo puniendi nisi resipiscant: Sed sanguine, vel sepo vetitus, & in die expiationis non contristatus, non circumcisus: Si immundus templum intraverit: Si pulverem suffumigii in alios usus divertat: Si ei speciem aliquam vel addiderit, vel subtraxerit, & in aliis plurimis, quæ omnino ceremonialia sunt: abscissa anima ejus, deleta anima ejus de populo suo. Quam pænam non omnium ceremonialium prævaricationi Dominus decrevit; neque moralibus præter pauca, ut idololatriæ, blasphemiæ, homicidio, & incestibus. Ideo non erat lex naturalis; sed divina: & cum moralia gentes minimè laterent lumine rationis edoctas, voluit infinita sapientia etiam moralia divinæ legi inserere, ne Israël crederet solo externo cultu Deum esse contentum, vel quod ex naturali ratione honeste viveret, & moralia observaret, cum plurimi ex gentibus hoc etiam fecissent; sed quod in iis agendis Deo præcipienti obedientiam præstaret, ut sic etiam perfecta essent moralia sub lege contenta; aliter naturalis lex esset, sed non divina, quamvis ex lumine rationis, à Deo hominibus indito, profluxerit.

Totam legem Deus æquè Israëli commendavit absque aliqua distinctione inter moralia, & ceremonialia; in quovis deficeret æque peccabat. Sed hæc distinctio noviter introducta, de qua Deus neque verbum loquutus; conqueritur tamen per Prophetas de unius, vel alterius prævaricatione: quandoque de homicidio, de rapina, de defectu charitatis in pauperes, semper de idololatria, de violentia, &

similibus moralibus. Etiam de ceremonialibus, ut de Sabathi non recta observantia, de impuris, & non ritè administratis sacrificiis, de servis Hebræis ultra septennium detentis, de terra non quiescente septimo anno, quod crimen Dominus longa captivitate se puniturum minatur. Filii Aaron, divino Dei Judicio propter suffumigium male administratum, intra Sanctuarium à Deo occisi. Pater eorum Aaron, quod sacrificii ceremoniam erraverit à Mose acriter reprehensus, & ex illius diei justo dolore se excusavit. Itaque neque cultus internus, absque externo, neque hic absque altero Deo placebat: Ideo David saltabat lino indutus coram arca Domini, & tanta cum majestate eam conduci voluit, quia sciebat cultum eum externum Deo esse gratissimum: neque David quasi puerulus erat, ad majora, & perfectiora ineptus, qui uxori reprehendenti dixit: se ea die honorabilem esse coram Deo. Sed Romani, & Græci Gentiles ad perfectiora, & magis spiritualia à Deo fuerunt aptiores inventi, Davide, omnibus Sanctis, & Prophetis, totoque populo à Deo ex omnibus gentibus electo, & ab incunalibus edocto, ob sui ruditatem elementis puerilibus carnalibusque & externis ceremoniis, absque spiritualitate contentis: quasi decem præcepta decalogi totam spiritualem perfectionem non contineant, vel alia perfectiora fuerint revelata. Sed cum divinæ majestati externus cultus absque interno placere non posset, reprehendit sæpe Hebræos, qui externo cultui, utpote faciliori, intenti, ab aliis vitiis & peccatis non abstinerent: neque hinc inferre licet, aliquando Deum, quem sacratissimum externum cultum Israëli præcepit, odio habiturum, ut carnalem, vanum, & inanem: præter quem in lege omnia quæ ad sui, & proximi amorem conducebant, abunde præcepit: & nulla major spiritualitas & perfectio excogitari potest, quam Deo præcipienti obedire.

Quod templo careamus signum non est cessationis legis Mosaicæ: caruimus etiam, quamvis breviori tempore, in captivitate Babylonica, perseverante tota divina lege. Hanc oppositionem jam diu Dominus solvit per Prophetam Oseam, quod *multis temporibus futuri eramus à Deo quasi separati, & ablegati, interim non marito alteri addicti*, id est, non alicui alteri legi subjecti, quod *futuri eramus per hæc longa tempora, sine Rege, sine Altari, sine Sacrificio, & sine idolo:* & postea *quæsituri erimus Adonai Deum nostrum & Messiam Regem.* Nunc vero quæcumque extra templum fieri licet, opere exequimur, & in non sacrificando divinæ legis præceptum observamus, quod extra templum fieri prohibuit.

Quærit insuper Clarissimus Dominus, an ego cognoscam, quod ii, qui ex Israële oriundi, quorum ascendentes jam olim in Christum crediderant, & eorum vestigiis insistentes adhuc credunt, suæ progeniei ex Abrahamo penitus obliti, si quando venerit Messias, quem hodierni Judæi expectant, ipsum non receperint, neque eius imperio subjici velint, ob hoc peccatum, à beneficiis à Messia conferendis excludendi sint? Quod si tunc textum ex Vetere Testamenti petiverint, in quo talis fides in Messiam commendetur; cum ostendere minimè possim: quare nunc Christianum urgeo ut talem textum mihi designet: cum sicut illi tunc peccarent contra Messiam, quamvis textus nullus extet hanc fidem præcipiens, sic peccarunt Judæi Messiam non recipientes.

Respondeo: Quod quando Deus Israëlem redimere dignetur, omnes impii ex gentibus, qui voluntati Dei suum populum redimentis obstiterint, qui persecutiones præteritis addiderint, qui ejus fortissimam manum agnoscere renuant, omnino deperdentur, ut Prophetæ mille in locis nobis prædixere: in quibus etiam erunt ii, qui ex Abrahamo oriundi gentibus fuerunt immixti, suam progeniem, & legem obliti, qui jam cum Israële nil prorsus habent. Sed omnes isti, non quia non obedient Messiæ, peribunt, sed ut Deo omnipotenti inobedientes, & infideles, ut ejus imperio resistentes, ut multa facinora contra Deum Creatorem, contra rationis lumen, contra innocentem populum, antea, & in eo tempore, patrantes. Verum pii ex gentibus, sive ex Israële oriundi, sive non, qui verum Deum coluerint, qui Israëlis mirabilem redemptionem adjuverint, Deo, & populo inservientes, Dei amore, & timore alliciti, redemptionis beneficiorum erunt participes: Eorum corda, ut Israëlis, circumcidentur, ut ament Dominum Deum suum toto corde suo, & tota anima sua,

ma sua, ut vivant, divina gratia omnes affluentes: ibuntque de Sabatho in Sabathum, de anno in annum in Hirusalaim, Deum Jacob fortem adoratum, & sacrificia offerentes in festo tabernaculorum: qui si non venerint, punientur, ut Dominus per Prophetas clare comminatur: non quod non crediderint in Messiam mediatorem, Deum & hominem, sed qui Deo ipsi non obediverint imperanti. Profecto redemptionis beneficia non à Messia conferentur; sed à Deo omnipotenti: *Ego dispersi, ego restituam.* An ne Messias totas orbis terras percurret, ut Israëlitas ex captivitate liberet, & secum adducat? Non certe: sed à Deo miraculosè admonitus veniet populus ex omnibus locis suæ dispersionis ad quærendum Dominum, & Davidem Regem suum. Ideo Dominus in omnibus locis, & pro uno, vel altero Israëlita, prodigia efficiet, quæ Ægypti miracula excedant, ut inde liberetur, & erit pro fama, & honore in terra captivitatis suæ, & cantabunt gentes Domino canticum novum, quia fecit veritatem, quam promiserat filiis Israël. Messias erit, utpote Rex sanctissimus, omnium redemptorum caput, in quo etiam sensu Redemptoris munus exercebit: quia populum venientem, ut bonus Pastor recipiet, gubernabit, rectissimè judicabit, & sua doctrina, & exemplo ad sanctissimam vitam provocabit: Sedebit in trono Davidis patris sui, ex gentibus, & ex Israële iniquos disperdet: Cui omnes reges, & populi amantissime parebunt: non quod mundanum imperium exerceat, ut Alexander, vel Julius Cæsar; sed quod divina virtute à Deo ipsi concessa, omnes gentes in Dei amore, & filiali timore, continebit: Ita ut non ultra bellum, sed pax perpetua usque ad fines terræ, non æmulatio, non contentio, non sectarum diversitas: quia talis est Dei voluntas & in ejus manu prosperabitur, & erit Adonai unus, & nomen ejus unum: & totus Israël jam sanctificatus, Regnum Sacerdotum omnibus populis: Tunc Deus Israëlis solus regnabit in suo mundo, quem creavit, & generis humani hoc modo miserebitur, ne amplius sit diabolo in prædam: Non quod vim libero hominum arbitrio sit illaturus; sed quod ex affluentia gratiæ in bonum fere semper dirigetur, ut jam peccato finis imponatur. Hæc sunt beneficia, quæ Israëlis miram redemptionem comitabuntur & insequentur, à solo Deo Jacob manu forti, suo tempore efficienda, quorum omnes pii, vel ex gentibus, vel Israële, erunt participes, ipse erit nobis, & omnibus in Deum, & servus suus David Pastor in medio nostri, cui si aliquis obedire nolit, si insanus non fuerit, crimen læsæ majestatis committet, ut qui tempore Davidis ei subjici noluerit. Sed quid hoc cum fide in mediatorem, in qua generis humani salus consistat?

Hæc omnia pro majore parte mysticè explicantur à Doctoribus Christianis. Fateor quidem, quod ex Sacri textus litera plurima possit intellectus humanus, utpote cogitationum ferax, elicere, quæ ad perfectionem, & exactiorem moralitatem, hominem inducant; dummodo in iis, quæ rationi non repugnant, indemnis semper sit, & rata maneat sacri textus litera, alias ad hominum libitum legenda & intelligenda, quod divini verbi majestatem, & sinceritatem haud quaquam deceret; sed secundum quod clare, & perspicue significat (in iis quæ nullatenus, nec sibi, nec rationi pugnant) semper intelligenda. Neque credimus perfectiorem nucleum contineri sub illa, quam corticem homines appellarunt, sed dulcissimum fructum arboris legis divinæ.

Clarissimus Dominus idem videtur fateri, quod sensus literalis religiose servandus, quamvis sub litera sublimiora contineantur. Certe si sensus literalis nunquam rejiciatur, sed religiose observetur, quantumvis majora ibi latere credantur: Templum illud ab Ezechiele depictum cum suis porticis, & mensuris, aliquando realiter construetur, & bellum Gog, & Magog, vere continget: atque Israël carnalis, domus Jacob & Judæ in propriam patriam, quam habitaverunt patres sui, vere revertentur: Venient ex omnibus regionibus, & ex septentrione, in propriam hæreditatem, & omnes gentes in nomine Adonaï, in Hierusalaim. Sic adest clarissime in litera, hic sensus literalis, tamen à vobis nunquam admittendus, qui Templum id mysticum, bellum id mysticum, Israëlem illum mysticum, Hierusalaim mysticam, terram mysticam, interpretari intelligere cogimini; sin iliterque cunctam Prophetarum literam, præter aliqua quæ vel vestræ intentioni inserviunt, aut saltem non obstant, quæ ad literam intelligenda, permittitis.

 In sum-

In summa, verum est, quod plurima mystica nostri antiqui Doctores, atque etiam hodierni, magna cum subtilitate, ex sacra litera deduxere, præsertim Cabalistæ: nunquam tamen, quod literalem sensum deseruerint, neque quod ea mystica novum in religione dogma constituerint, aut à Deo constitutum mutaverint (absit tale nephas) hoc nunquam licebit: quia omnia ea mystica cogitationes humanæ sunt, quæ de sensu literali sacræ paginæ nil debent, vel mutare, vel detrahere.

Christianismus, cum novæ revelationi fidem adhibeat, perquam talis est, & constituitur, sacram literam juxta Euangelicum sensum tenetur intelligere, aliter non esset amplius Christianismus: Sed cum Israël in suo Veteri Testamento unicè perseveret, nova revelatione neutiquam admissa: Quærebatur: An in ipso locus aliquis exstaret, ex quo colligi posset, Deum prædixisse, quod aliquando permissurus erat tales sensus mysticos, ex quibus nova Religionis dogmata constituerentur, vel tales sensus futuros insinuaverit pro adventu Messiæ? Sed Clarissimus Dominus respondet, quod nec exstat, nec necesse fuit, quod exstaret.

Coronidis loco quærit Clarissimus Dominus: *Quibus argumentis moti Judæi Mosem agnoscant Prophetam, & divinum legislatorem?* Facile satisfaciemus huic quæsito Clarissimi viri vestigiis insistentes. *Deus* (ut ait) *adeo clare se Israëli manifestaverat, ut ejus existentiam in dubium vocare, non possent?* Cum vero eadem media, per quæ ita clare se manifestavit, etiam Mosem divinum Prophetam, & Legislatorem probaverint, non magis poterant Israëlitæ Prophetiam Mosis in dubium vocare quam Dei existentiam: Ideo Deus ipse dixit: *Et*
Exod. 19. *credent in me, & in te in æternum:* (& antea) *& crediderunt Domino, & Mosi servo ejus:* quippe eisdem mediis, quibus se fecit clare cognosci, Mosis legationem divinam esse facile, & liquido ostendit. Igitur patres nostri, quibus clara, & indubitabilis fuit hæc revelatio Domini, & Mosis servi ejus, filios suos qui non viderant Dei miracula, neque ejus vocem audiverant, Mosis divinam legationem, & Prophetiam, docuere, quod est unicum fundamentum divinæ legis in qua præcipue commendatur, ut hanc veritatem filios edoceant:
Deut. 6. *Et docebis ea filios tuos:* Non extraneos filios, à quibus per hanc legem nos separari voluit, ut in Sacra scriptura sæpe repetitur; & hi totam posteritatem in suis generationibus, absque doctrinæ & traditionis hujus interruptione, usque in præsentem diem docuere.

Hæc enim traditio falsa esse non potest, supposito quod in sua origine, & radice adeo vera fuit, ut non possit in dubium vocari: neque credibile est, quod tunc, vel postea, patres vellent suos filios decipere, & falsis legibus instruere: neque hoc de omnibus Israëlitarum patribus cogitari potest, quantumvis aliquis perversus hoc facinus contra humanitatem ipsam committeret: Ideo quamvis ob varios fines, & causas plurimi à lege defecerint, populus Israëliticus perpetuo substitit, veritatem in Synaï à primis receptam, filios erudiens: Quapropter Dominus Israëlem ut perpetuo legem observet, ad patres provocat recurrendum, ut qui
Deut. 32. vers. 7. sciebat, traditionem à patribus esse infallibilem; non ab extraneis. Non enim est hæc traditio ab hominibus alicujus nationis, ad alterius nationis homines, & sic de una in alteram per varias orbis partes propagata: Talis enim nunquam suam veritatem certò probare poterit: Quia non est difficile quod Græci aliqui, ob causas, & motiva posteris ignota, Romanos fallere velint, vel Galli Hispanos, & hi Italos Martis, Veneris, & aliorum, deitatem prædicantes: Sicuti Arabes cæteros Orientales, & tractu temporis Africanos, & bonam Europæ partem seducentes, sub divinæ legis prætextu, & virtutum moralium, omnibus rationabili, observantia. Hac arte falsæ antiquitatis gentilicæ sectæ fuerunt introductæ, & per totius mundi gentes disseminatæ; quia malitia primi deceptoris, & ignorantia eorum, qui primò fallebantur, falsas deitates, earumque prodigia fecere credibilia, quæ semel accepta, quasi verissima, sanctissima, aliis proposita, neque amplius in dubium vocare liceret: tamen omnino falsa, quia eorum origo falsa fuit. Pariter Romanorum legum, Numa Pompilio ficta divinitate, inventore; primi ab eo seducti vera cum pietate, & amore cæteros deceperunt. Adhuc nostro seculo fingunt, & semper finxere Monachi Divorum infinita miracula, quibus populi fidem adhibuere; credit satis piè, & pia hac fraude misere deceptus,

ctus, quisque filios erudit, & isti alterius nationis homines, donec in toto Christianismo Papistico illa impostura de fide habeatur, ut qui negaverit, igne suæ infidelitatis pœnas luat. Sic nostro tempore pater Avianus Capucinus miraculis claret, populos, & principes decipit, ut sanctissimus impostor: Sed quare non faciet? Sunt nè filii, quos ipse genuit, quorum animarum salus ipsi chara? Talis est traditio, quæ in sua origine, ab aliquibus incipit, quos non est moraliter impossibile, alios voluisse decipere, ob causas, quas posteri penetrare nequeunt. Verum Judæorum de divina lege, & Mose traditio à parentibus incœpit, qui clare viderunt, & in filios suos immediate, sine interruptione derivata: Quod si primi patres non vidissent, quare communi consensu filios docerent, quod falsum esse sciebant? Quare in prolem inutile mendacium disseminarent?

Hoc sit primum argumentum, quo Mosem Prophetam, & divinum legislatorem, cognoscunt Judæi: quia patribus nostris adeo clare Deus Mosem verum Prophetam Israëli manifestavit, ut eis non amplius posset esse dubitatio, neque nobis, qui ab eis per interruptam nunquam traditionem accepimus.

Alterum argumentum desumitur, ex ipsa Mosis Prophetia, quæ suam divinitatem ita evidenter ostendit, ut nemo eam rationabiliter negare queat. Etenim futura contingentia, quæ ab solo humano arbitrio dependent, nemo potest certò præscire vel prædicere: solus Deus omniscius hæc præcognoscit, & suis Prophetis revelare quit, ut cæteris hominibus prænuntient. At in Mosis Prophetia clare, aperte, & omni cum perspicuitate futura contingentia cum individualibus circumstantiis populo Israëlis prænuntiantur, quæ postea ad unguem adimpleta continuo experimur. Recte ergo, & infallibiliter cognoscunt Judæi Mosem esse verum, & divinum Prophetam: Hoc enim fuit medium unicum, quo Deus utitur per Isaiam, ut suam divinitatem hominibus probet: *Nonnè ego vobis futura prænuntiavi? quærite à Diis gentium an hæc etiam facere possint?* Deut. 28.

Verum quod talium prædictiones extent in Mosis Prophetia, ex ejus simplici lectione constat. Scilicet, quod fluentibus seculis ob magna Israëlis peccata, & divinæ legis prævaricationem, venturæ erant gentes, ut eum destruerent è longissimis, & distantissimis regionibus (non ex proximis, hoc enim sæpe contingit) sed ex longinquis: quarum linguam non intelligetis: Profecto Israëlitæ Romanorum linguam non intelligebant. Nonne hæc erant ex mere contingentibus? tamen à Mose prædicta, & in sua tempore exequuta. Quod totus Israël in captivitatem iturus, ejus terra omnino deserta: Quod spargendus erat per totum orbem. Contigit ne hoc alicui populo? An Romani Germanos, Britannicos, Gallos, Hispanos, Græcos, Asiaticos, per totum orbem in captivitatem, dispersere? Hos potius ut hæ regiones habitarentur, conservare satagebant. Sed quod admirabilius est: prædixit Moses Israëlem spargendum per totum mundum, in quo ab omnibus gentibus extremam passurus erat persecutionem, quibus futurus esset in proverbium, despectum, & abominationem: Tamen quod in his omnibus semper conservandus, & idem populus futurus per tot sæcula: An hæc non sunt de contingentibus, imo quæ naturali rationi obstare videntur? Existimo quod hoc divino fundamento nixus, dixit Apostolus: Quod non intrabit Israël in Ecclesiam, *donec intraverit plenitudo gentium:* Quod supponit Israëlem substitutum, & perseveraturum in esse populi separati per plura secula, ut Moses prædixerat: Præterquam omnes Doctores Christiani consentiunt, quod conservatio Israëlis naturalis non est, sed ex speciali Dei providentia, cujus varios fines excogitarunt. Quod totum clare Moses prædixit, quantumvis merè contingens. Ergo fuit divinus Propheta. Tandem prædixit Moses Israëlem toto hoc captivitatis tempore suam miseriam, non seditiosorum tunc temporis discordiæ, non inimicorum potentiæ, non aliis naturalibus causis, attributurum; sed suis dumtaxat peccatis, & divinæ legis transgressioni: *Et dicent in ea die quia Adonai nobiscum non est hæc nobis contingunt.* Talem confessionem per tot secula, Israëlem facturum, quis nisi divinus spiritus potuit prædicere? Qui per fidelissimum servum Mosem hæc omnia clare prænuntiavit. Deut. 31. verf. 17.

Exhibet etiam Judæis Daniel per clarum testimonium, qui clare, & aperte prædixit, quod post septuaginta hebdomadas, id est cccexc. annos, templum erat à Duce cum exercitu venturo penitus

penitus destruendum: Sacrificium in medio ultimæ hebdomadæ cessaturum, civitatemque omnino devastandam. Hujus Prophetiæ divinitatem eventus confirmavit. Quod si hæc per decem annos antea fuissent prædicta, non esset vaticinium minus divinum, quia solus Deus poterat hæc antea prævidisse, & futura enuntiare. Fuit igitur absque dubio Daniel iste divinus Propheta: hic tamen non Romanus, non Græcus; sed Judæus fuit legis Mosaicæ exactus observator, cujus revelationem in hac eadem Prophetia valde commendat, & illius prævaricationem lamentatur: Ergo credidit Mosem Prophetam, & Dei legislatorem: cum Prophetia hæc Danielis à nemine, qui non insaniat, impius quantumvis sit, negari potest. Habent igitur Judæi argumenta, quibus Mosem verum Prophetam, & legislatorem agnoscant (præter alia plurima) ex ejusdem Mosis Prophetia, quæ suam divinitatem probat: Ex infallibili à patribus traditione: ex Danielis irrefragabili testimonio.



RESPON-

RESPONSIO
AD
SECUNDUM SCRIPTUM JUDÆI.

CAPUT I.
De Quæsitô primô.

Fides in Christum quo sensu sit unicum medium ad salutem.

Christianum esse dogma, unicum ad salutem æternam medium esse fidem in Jesum Christum, agnosco. Verum id intelligendum de tempore, postquam Jesus Christus in mundum venit, Euangeliumque prædicatum est. Ab Adami lapsu fidem expressam in Jesum Christum futurum redemptorem perinde fuisse necessariam, adeo ut sine expressa & distincta in ipsum fide nemo salutem æternam consequi potuerit, nusquam in Scriptura Sacra reperio, ideoque nec ut dogma Christianum recipio. Agnosco lubens, quosdam Christianos Doctores, præjudicio erga peculiares quasdam opiniones abreptos, ita sentire ac docere: Verum mihi dogma Christianum non est, nisi quod in Scriptura, unica fidei meæ regula, reperitur. Si quid ergo Vir Doctissimus ex N. Testamento contra me proferre possit, illud ut dogma Christianum agnoscam & vindicabo.

Fides pro ratione revelationis, vel est distinctior, vel minus distincta.

Dixi ego, ut sententiam meam de fide, quæ requisita olim fuit sub V. Testamento in Redemptorem futurum, declararem, *fidem nostram accommodatam esse debere revelationi divinæ.* Sed sententiam meam non recte percepisse Vir Doctissimus videtur. Illud volui: Pro ratione ac modo clarioris vel minus claræ ac distinctæ revelationis divinæ, etiam fidem nostram esse vel magis vel minus distinctam & expressam. Quando Deus nobis quid revelat plene & distincte, etiam distinctam & expressam illius requiri fidem: Quando autem Deus quid revelat, cujus non omnes circumstantias distincte & perspicue ob oculos ponit; rem ipsam, quæ clare revelata est, distincta quidem fide esse apprehendendam; non perinde illas circumstantias: Sed sufficere confusiorem aliquam & minus distinctam earum apprehensionem, revelationi divinæ accommodatam. Solent quippe omnes Prophetiæ, antequam complementum suum habuere, aliquam involvere obscuritatem, quæ ipso demum complemento evolvi & explanari solet. Rem illustrabo exemplo. Promisit Deus Abrahamo, se semini ipsius terram Canaan hæreditario jure possidendam traditurum: non autem speciatim prædixit modum introductionis in terram illam; quod nempe Josua duce populus præeunte arca Jordanem sicco pede esset transiturus, regionisque illius incolas bello superaturus. Promissioni isti divinæ convenienter Abraham rem ipsam credere debebat; nequaquam autem ad fidem modi, quo eam Deus effecturus erat, obligabatur. Eodem modo Deus olim diversis temporibus, primo obscurius, deinde clarius paulo ac

distinctius Messiæ adventum, ejusque officium ac munus prædixit per Prophetas. Nullæ tamen prædictiones adeo fuere distinctæ & explicitæ, quin multum obscuritatis remanserit, per ipsum Messiæ adventum demum evolvendæ. Iniquum vero fuisset, & à justitia Dei alienum, ut distinctam in illum fidem exegisset, quem distincte non revelasset. Fides ergo Patrum sub Vet. Fœdere accommodata fuit revelationibus divinis de Messia, primo admodum confusa & indistincta, dein paulo distinctior, prout ex revelationibus divinis hauriri poterat: Sed quantacunque fuerit, valde fuit incompleta, si conferatur cum illa fide, quæ nunc in Christum præscribitur. Crediderunt illi, convenienter promissis divinis, adventurum Messiam, eumque redemptorem fore Israëlis: Naturam autem redemptionis non nisi imperfecte admodum perceperunt; nec Deus ab ipsis exegit, ut eam distincte & expressa fide reciperent. Sufficit ipsis, credere venturum Messiam ad liberationem Israëlis: distinctam autem in illum fidem Deus reservavit tempori, quo Messias in mundum missus, muneri suo inauguratus, totique mundo plene ac perspicue sine figuris & umbris prædicatus est. Itaque distincta illa fides, quæ nunc in Messiam necessaria est, olim necessaria non fuit.

Distincta non fuit fides patrum V. T. de Christo.

Et hinc liquet, Viri Doct. responsionem, ***quod Dominus ea quæ sunt & fuerunt de necessitate salutis nunquam obscure & ænigmatice revelavit, sed clare & distincte***, neutiquam mihi opponi; utpote qui urgeam, quoniam obscure revelata fuerunt, ideo distinctam eorum fidem non fuisse necessariam, nec à Deo præscriptam. Quanta autem ea fides fuerit, quam Patres ex Prophetiis divinis de Messia colligere potuerunt, definire difficile est. Sufficit, quia Deus plene & perspicue Messiæ munus ipsis non revelavit, quod nec ab ipsis fidem distinctam in Messiam exegerit. An ergo sine Messia salutem æternam consecuti sunt? Nec hoc dixerim. Sed Deus, pro absoluto suo jure, ipsis redemptionem, in plenitudine temporum per Messiam impetratam, applicat, licet pro ratione temporis quo vixerunt distincte in ipsum non crediderint. Hæc est mea de necessitate fidei in Messiam venturum sententia, quam S. Scripturæ omnino consentaneam judico.

Quomodo fuerit accommodata revelationi divinæ.

Ex dictis manifestum est, nec Virum Doct. sensum verborum meorum recte percepisse, cum dixi, ***existentia divina fidem Israëli non fuisse præscriptam, sed sufficisse claram existentiæ divinæ revelationem, ut credatur Deus esse, eamque totius legislationis fuisse fundamentum***: & postea pergens, addo: ***Eodem modo se res habet cum Messia***, &c. Non jam inquiram, an prima Decalogi verba, ***Ego sum Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto***, præceptum contineant: Ego sane nullum in iis præceptum deprehendo, sed tantum declarationem, qua Deus se Israëlis Deum declarat, qui jus potestatemque habet leges ipsi pro lubitu ferendi, ob beneficium illud ingens liberationis ex dura Ægypti servitute, quo Deus eum sibi acquisiverat in peculium, quæque declaratio legislationis fundamentum est. Similiter, cum jubetur Deus adorari, amari, &c. non præscribitur ut credamus Deum esse; illa enim omnia divinam existentiam præsupponunt. Sed his omissis, quando dixi, ***Eodem modo se res habet cum Messia***, nequaquam, prout Vir Doct. verba mea accipit, indicare volui, perinde sicut Deus existentiam suam ita manifeste Israëli revelavit, ut eam in dubium revocare non posseat; cum etiam ita manifeste Messiam Israëli revelasse per Prophetas, ut quando in

mundum

mundum venisset, ipse statim ita indubitanter & infallibiliter ab Israële agnosceretur, ut ejus existentiam in dubium revocare non possent: Tum enim mihi ipsi aperte contradixissem, qui continuo urgeo, Messiam obscurius à Prophetis fuisse delineatum, & non plene ac perspicue revelatum, sed id reservatum ipsius adventui: Quod miror Virum Doct. non animadvertisse. Illud volui: Fidem nostram accommodatam esse debere revelationi divinæ; & quando Deus nobis quippiam revelat, illi revelationi divinæ fidem adhibendam, etiamsi Deus non addat præceptum istiusmodi, credetis hoc esse verum: & fidem hanc vel distinctiorem vel obscuriorem esse, pro modo revelationis divinæ. Idque illustravi duobus exemplis: Primo Dei, qui existentiam suam ita clare Israëli manifestaverat, ut eam in dubium vocare non possent: idcoque eos obligatos credere Deum esse, licet nusquam præcipiatur, credetis Deum esse. Alterum fuit exemplum Messiæ: Eodem modo se res habet cum Messia; hoc est, credendum est Messiam à Deo promissum venturum, licet Deus expresse non præcipiat, credetis Messiam venturum esse: &, vel minus distincta, vel distinctior in ipsum fides fuit requisita, pro ratione clarioris vel minus claræ de ipso revelationis. Deum Messiam ita clare per Prophetas Israëli revelasse, ut quando venisset minime ambigere possent, quin is esset qui à Prophetis prædictus fuit, ego non affirmavi: hæc potius, ut mox videbimus, Viri Doct. est sententia: Contrarium dixi: per Prophetas Messiæ officium obscurius fuisse descriptum: nunc vero in Euangelio id plene ac perspicue revelatum; ideoque nunc distinctam & explicitam in ipsum requiri fidem. Sane si quis Novi Testamenti libros non oscitanter perlegat, ex iis facile deprehendet, quale sit Messiæ munus ibi descriptum, non sub figuris & umbris, sed plene ac perspicue. At Judæi libri istius veritatem non agnoscunt. Fateor: verum non quia non distincte intelligunt, quæcunque ibi de Messiæ munere dicuntur; sed quia ea cum Prophetarum vaticiniis non congruere contendunt.

Age nunc videamus, quid Vir Doct. assertioni meæ opponat. Dicit, *Dominum Messiæ officia clare & aperte per Prophetas suos revelasse, adeo ut neque in dubium vocari possent.* Sane Messiam fore Regem, & sessurum in solio Davidis patris sui, Prophetæ expresse prædicunt, & in dubium vocari nequit. Sed quænam sit regni illius ratio futura, non ita expresse & perspicue prædicunt, ut ante Messiæ adventum Prophetiarum sensus plene & integre perceptus sit: per adventum vero Messiæ, in quo prophetiæ illæ suum habent complementum, sensus earum manifestus & planus redditus est. Sane terrenum non fore Messiæ regnum, vel ex eo solo liquet, quod mors ejus miseranda prædicatur: quæ cum fælici adeo regno in terris conciliari non potest. Quare & aliquot ex Judæorum Rabbinis, imo & ipsi Thalmudis compilatores (ut Doctor Lumbrozo in suo *Propugnaculo Judaismi* confitetur, & contra Grotium urget non esse hoc commentum recentiorum, sed doctrinam Thalmudis) cum hæc adeo pugnantia conciliare non possent, ne cogerentur cum Christianis regem agnoscere spiritualem & cælestem, duos maluerunt confingere Messias, unum miserum & occidendum, filium Joseph seu Ephraim; alterum gloriosum & gentium victorem, filium Davidis. Sed de hisce in sequentibus plenius.

Munus Messiæ à Prophetis quomodo præd. Rum. [sic: marginal note]

At vult Vir Doct. ut *clare ac perspicue, verbis non figuratis, sed sensu proprio acceptis*, munus Messiæ olim per Prophetas Israëli præsignificatum fuerit. At vero nulla

Verbis figuratis.

solida ratione inductus id urget; imo ratio contrarium fieri suadet. Quia si Deus gratiam per Messiam revelandam jam ante per Prophetas clare revelasset, nihil novi Messias revelare potuisset, & Propheta, cujus ministerio Deus gratiam illam revelasset, magnam muneris Messiæ partem implevisset. Hoc quippe Messiæ officium est, homines in gratiam cum Deo reducere, modumque, quo gratia divina, perspicue ac plene ab ipso revelata, obtineri possit ac debeat, docere. Si jam ratio illa per Prophetas fuisset plene exposita, quid porro Messias, cum venisset, revelaturus fuisset? Ut ergo rite officio suo Messias fungeretur, oportuit munus ipsius involutius prædici; plena autem illius revelatio ipsi reservari.

Prædictio ista non pugnat cum misericordia Dei.

Sed si hæc sit prophetiarum sententia, inquit Vir. Doct. *Deus misericorditer non egisset cum dilecto populo suo, si ne semel quidem in toto sacro volumine clare & distincte Messia, quem revelavit, officium prædixit, &c.* Imo contra, misericorditer Deus cum dilecto suo populo egisse dicendus est, cum Messiam promisit, munerisque ejus rationem aliquatenus præsignificavit; & postea Messiam ipsum misit, miraculisque omni exceptione majoribus instruxit, ad convincendum Israëlem, illum eundem esse cujus adventum per Prophetas suos significavit. Et quæ injuria, quod regem mittat multo illustriorem, quam secundum literam promisisse videri posset? per quem Israël non proprie liberatur ab oppressione suorum hostium, & in terram Canaan restituitur; sed eximitur ab ira divina & maledictione æterna, & introducitur in vitam cælestem.

Promissa typica Israëli maxime fuerunt utilia, quia accommodata promissis Legis.

Atqui *Deo revelante est indignum*, inquit Vir Doct. *ut promittat Israëli inutilia, ideoque, ut à Deo promittuntur, nullatenus expetenda, contemnenda potius ut spiritualibus nociva, adeo ut in ipsa litera perspicuitate, ob inscitiam nostram absque malitia, perpetua Israëlis damnatio & ruina consistat.* Ego vero contendo, tantum abesse, ut hæc promissa Israëli fuerint inutilia, ut fuerint summe utilia, & maxime expetenda, & misericordiam ac amorem, quo Deus Israëlem complectebatur, requisivisse ut hac & non alia ratione promissum de Messia Israëli revelaret. Lex enim Israëli eam observanti promittit fælicem in terra Canaan habitationem. Deus ergo Israëli promittens Messiam, qui eum à peccatis, omnibusque in quas ob peccata inciderant miseriis, esset liberaturus, non potuit illo tempore munus Messiæ plene & perfecte revelare; sed oportuit, ut fælicitatem veram ac solidam, à Messia procurandam, adumbraret typis rerum terrenarum, in Lege Mosis diserte promissarum. Exspectatione quippe Messiæ, bonorumque quæ allaturus esset spe, in mediis afflictionibus Israël erat continendus in officio & obsequio Legis divinæ: oportuit ergo illum istiusmodi promissis erigi, quæ bona in Lege promissa diserte continebant, ipsiusque exspectationi ex promissis Legis conceptæ consentanea erant: nondum maturuerat tempus, quo Israëli natura regni Messiæ plene revelari poterat. Quid enim? siquidem manifeste, sine ullo verborum involucro, Prophetæ prædixissent, Messiæ regnum non fore terrenum, sed cæleste; Messiam hic in terris fore crucifigendum; sed post mortem resurrecturum, in cælos ascensurum, & potestatem in cælo ac terra accepturum: eandem quæ Messiæ fuit sortem fore ejus sequacium ac subditorum, in hac nempe vita crucem & afflictiones, quietem vero ac gaudium in futura vita in cælis: An non in plurimis, quorum corda terræ Canaan nimium sunt affixa, exspectatio Messiæ elanguisset,

guiffet, & ſpes qua ſe ſuſtentabant mediis in afflictionibus collapſa fuiſſet? Quare tantum abeſt ut hæc promiſſa Iſraëli fuerint inutilia, ut potius ſummam ex illis Iſraël utilitatem perceperit, quoniam maxime fuerunt accommodata, ut Iſraëlem ante Meſſiæ adventum erigerent & in officio continerent. Cum autem Iſraël per varias & diuturnas afflictiones exercitatus aliquam quaſi maturitatem eſt adeptus, ſenſim præparatior redditus eſt, ad Meſſiam, cujus adventus inſtabat, recipiendum: populo ita præparato (licet & plurimi ob carnalem affectum animos ſuos induraverint) Deus Meſſiam miſit, ejuſque munus plene revelavit, & quid ſub promiſſorum iſtorum cortice hactenus occultaverit, perſpicue ſine umbris ac typis patefecit. Neque hic quicquam inſolens aut Deo inuſitatum factum eſt: quia ſermo metaphoricus Deo eſt uſitatiſſimus; ideoque nemo criminari poteſt, Deum, quando phraſibus hyperbolicis utitur, quæ ab unoquoque, imo & ab Iſraële ipſo, agnoſci debent, ſecundum literæ rigorem accipi non poſſe, obſcure loqui: Proinde ea præciſe ſecundum literam accipere velle, non eſt abſque omni malitia, & ob ſolam inſcitiam in errorem labi. Sicut ergo in multis Prophetarum verbis hyperbole eſt agnoſcenda, quid ni & figurata locutio, Deo admodum familiaris? Præſertim cum alias, quæ de Meſſiæ afflictionibus & morte alibi prædicta ſunt, intelligi nequeant.

Sed tum *populo ſuo mortiferam tantum dedit literam, gentibus vero ſpiritum qui vivificat.* Nequaquam: imo vero Iſraëli facta eſt hæc prærogativa, ut ſpiritus vivificans ipſi ſit datus, antequam daretur gentibus: cum vero Iſraël eum contumaciter rejecerit, & in litera abſque ſpiritu hærere maluerit, Deus eum, ſpreto Iſraële, communicavit gentibus. *Gentibus non eſt datus ſpiritus vivificus præterito Iſraële.*

Pergit Vir Doct.: *Si Deus præſciverit ob iſtius fidei defectum totum Iſraëlem, præter paucos, in æternam damnationem abiturum, etiam eum Iſraëli revelaſſet prout à vobis depingitur, & extollitur.* Reſp. Deus non tantum promiſit regem, ſed & præſtituto tempore eum miſit, donis ejuſmodi inſtructum, quibus Iſraëli ſufficienter eſt revelatus, adeo ut, ſiquidem ſepoſito omni affectu, præjudicio & malitia, ſedata mente eum conſiderare voluerit, ab ipſo facile agnoſci potuerit. Etſi Deus Iſraëlis infidelitatem præviderit, nulla tamen ratio cogit, ut Deus propterea ejuſmodi loquendi phraſibus promiſſa ſua enuntiet, quæ Iſraël, etiamſi maxime velit, in alienum ſenſum accipere nequeat. Oſtendimus enim Iſraëlis ſtatum exegiſſe, ne ante Meſſiæ adventum plena regni Meſſiæ revelatio ipſi fiat. Non etiam æquum fuit, ut propter prævisam ſequentium infidelitatem Deus nullam populi ante Meſſiæ adventum viventis haberet rationem; aut ejuſmodi loquendi modis promiſſa de Meſſia enuntiaret, qui ipſi ſpe & exſpectatione Meſſiæ pro ratione ſtatus ſui erigendo accommodati non erant. Præſertim cum, quando Meſſiam miſit, etiam abunde per eum convicti eſſe debuerint, ipſum eundem eſſe quem exſpectabant. Tum ipſa ſalutis, & medii quod ad ſalutis conſecutionem Deus deſtinavit, ratio exigit, ne Deus ejuſmodi prædictionibus, quæ nec à contumacibus detorqueri poſſent, Meſſiæ officium plene deſcribat. Vitæ quippe æternæ præmium excellentius eſt, quam ut ulli, niſi qui per voluntarium obſequium Deo ſeſe in omnibus ſubjicit, concedatur. Per fidem Deus Iſraëlem ad ſalutem ducere vult: Fides autem cum ſit virtus, & obedientia Deo maxime grata, argumentis apodicticis & omni exceptione majoribus non extorquet aſſenſum invitis & *Præſcientia Dei non requirit, ut illis loquendi phraſibus utatur, quæ in alienum ſenſum nullo modo accipi poſſunt.*



refractariis; sed solidis persuadet, quibus licet animus contumax assensum denegare possit, docilis tamen & probitatis studiosis plenissime convincitur. Sufficit itaque ut ea adhibeat argumenta Deus, quibus omnis infidelitas, nisi sola obstet malitia, facile expugnari possit.

Promissio verbis figuratis enunciata non est Israëli erroris causa.

Agnoscit porro Vir Doct. promissorum de Messia impletionem reservatam præstituto tempori, quoniam *quæ Deus de Messia prædixit in ejus adventu sunt exequenda:* Non autem quod *vera & propria Messiæ officia nunquam antea revelata reservaverit ad ejus adventum.* Sed nec hoc in verbis meis reperitur: aliud quippe est, nullo modo, aliud, obscurius revelare. Posterius dixi. Qui obscurius revelat, etiam rem insinuat; sed clarius & apertius suo tempore in lucem producendam. Non itaque promissa hæc, quæ sub locutionibus figuratis Messiæ officium aliquatenus adumbrabant, quod postea plenius in lucem est productum, Israëli erroris causa sunt quod Messiam suum minime agnoscat: Absit: Sed carnalis quidam affectus, quod Israël terræ ita sit affixus, ut animum ad cælum & cælestia minime attollere velit. Sed *non debebant exspectare neque credere Messiam, nisi se accommodando promissionibus: ut ego assero.* Ita est: inde ergo sequitur, antequam Messias advenit, officium ejus nondum plene cognosci potuisse, quia plene nondum revelatum erat, sed sub figuratis quibusdam locutionibus adumbratum. Postquam vero in mundum venit, sesesque miraculis divinissimis illustrem reddidit, muneris que sui rationem plene Israëli manifestavit, nunc & ipsius fides illustriori huic revelationi accommodata esse debet, & Messias ut rex cælestis agnoscendus.

Quæ sufficiant gentibus persuadendis, etiam sufficere debere Israëli.

Recte ergo me conclusisse contendo, non necesse fuisse, ut Deus sub Vet. Fædere Israëli distincte totum Messiæ officium revelaret, & expressam in ipsum fidem præciperet; sed suffecisse, Messiam promittere, qui cum venerit Dei voluntatem hominibus annunciet. Fatetur Vir Doct. *hoc suffecisse gentibus, non Israëli.* Quamobrem vero? *Quia gentes aliter per divinam Legem & Prophetas non erant edoctæ; Israëli vero Deus Messiam contrariis coloribus depinxerat.* Sed vero gentibus sufficere non potest revelatio, nisi quæ sufficientibus documentis probari potest esse divina. Agebatur quippe de gentibus à falso idolorum cultu convertendis ad verum Deum Israelis. Quæ vero argumenta gentibus persuadendis sufficiunt, an illa Israëli persuadendo non sufficiunt? Quid ulterius ad fidem exigi potest, quam argumenta, quibus sufficienter probatur revelationem quandam esse divinam? Talia ergo cum requirantur ad gentibus persuadendum, dico ea etiam sufficere Israëli, & injustum esse ut Israël alia requirat. Nec objicere potest, *sibi Deum contrariis coloribus Messiam depinxisse:* Deus enim sibi ipsi contrarius esse nequit: sed cum fateatur Vir Doct., hæc sufficientia esse gentibus persuadendis, inde colligere debebat Israël, siquidem contraria opinione esset imbutus, se Prophetarum verba juxta genuinum sensum non percipere, ac proinde ex propiore hac Dei revelatione eorum sensum addiscendum esse.

Qua ratione rex cælestis Israëli fuerit promissus.

Exspectavit Regem, & merito: Rex enim est promissus. Dicit Vir Doct., *Regem non vidit.* Fateor, non terrenum, sed cælestem. *Atqui de Rege in cælo præter Deum nunquam admonitus fuit.* Resp. Per Prophetas, qui Messiæ adventum antecesserunt, regem in cælo verbis planis absque ulla figurata locutione non esse promissum, non imus inficias: ideoque nec illa fides expresse & distincte ab Israële olim exacta fuit. Attamen in promissis illis quædam sunt, si rite & attente inspiciantur, quæ regem non terrenum

terrenum promitti suadent. Quoniam redemptio quæ promittitur, siquidem futura sit terrena, ad illos tantum spectare potest, qui Messiæ tempore victuri sunt: Quomodo ergo salus est toti Israëli? Adde, quod terrena Israëlis fælicitas & reductio in terram Canaan res nimis exilis est, quam ut ob eam Messias toties à Prophetis sit prædictus, & tempus ac locus nativitatis, & parentes adeo sollicite descripti. Quid? Israëlis in terram Canaan restitutio tanti est, ut ob eam operæ pretium fuerit tot jam sæculis prædicere Messiæ adventum, ipsumque adeo exacte per Prophetas præfigurare? Et restitutio illa tam ingens Israëli bonum est? cum forte pluribus nunc non multo pejus sit, quam in tali, quale sibi imaginantur, regno futurum. Aliquid ergo de regno cœlesti obscurius est insinuatum. Postea vero Messia adveniente de regno illo cælesti plenissime verbis propriis absque ulla figura est edoctus: Et ab eo tempore distincta fides in regem cælestem necessaria fuit: peccatque Israël, quod eum ad se missum, sibique jam plene, & quidem prius quam gentibus, revelatum, agnoscere, eique obedire & confidere recuset. Nec est quod excipiat, se omnia, prout litera præcise sumta sonat, nondum impleta videre. Majora siquidem in Messia Deus largitus est. Colorem aliquem habere posset objectio, si Deus minus quid præstitisset, quam litera rigide sumta sonat. Nunc vero cum multo excellentius præstiterit, nihil est quod infidelitati suæ Israël prætexat. Addo tandem; Si quædam à Prophetis prædicta Israël nondum in Jesu nostro Salvatore benedicto impleta credat, posse ea adhuc imposterum impleri, postquam plenitudo gentium in Ecclesiam intraverit, & Israëlem suæ contumaciæ pœnituerit. Viam modo eorum impletioni non amplius infidelitate sua præcludat.

CAPUT II.

De Quæsitô Secundô.

Non requiri, ut Deus omnia, quæ Messiæ munus spectant, clare per Prophetas prædixerit.

SEcundum Quæsitum fuerat, *ut assignetur locus, in quo Deus dixerit, quod unicum medium ad salutem Israëlis, & restitutionis in divinam gratiam, sit fides in Messiam quatenus jam venit.* Respondi ego: Non necesse esse, ut id Deus olim præsignificaverit: sufficere, postquam Messias in mundum venit, Deum id per Messiam declarare. Regerit Vir Doct. *requiri evidens ejusmodi testimonium, ex quo Judæus suas consequentias juxta divinam Legem poterit deducere, certus quod omnia quæ Deus praviderat simpliciter & absolute necessaria ad sui populi salutem clarissime revelavit, ne temporum successione & gentium suasione falleretur.* Sane quando Deus Israëli clare revelavit se missurum Messiam, juxta divinam Legem certo consequentias suas deducere potest, plenissime persuasus, eum quando venerit audiendum esse. Sed Vir Doct. vult, omnia, quæ per Messiam revelari Deus voluit, jam per Prophetas plenissime revelari debuisse. At sic nihil per Messiam revelandum restaret. Quo jure autem id Judæus à Deo exigere potest? Sive enim per præcedentes prophetas, sive per ipsum Messiam jam missum id revelaverit, utrobique autoritate divina constringitur ad credendum & parendum. *At Deus omnia ad populi sui salutem absolute necessaria clarissime revelavit.* Agnosco.

In summa, verum est, quod plurima mystica nostri antiqui Doctores, atque etiam hodierni, magna cum subtilitate, ex sacra litera deduxere, præsertim Cabalistæ: nunquam tamen, quod literalem sensum deseruerint, neque quod ea mystica novum in religione dogma constituerint, aut à Deo constitutum mutaverint (absit tale nephas) hoc nunquam licebit: quia omnia ea mystica cogitationes humanæ sunt, quæ de sensu literali sacræ paginæ nil debent, vel mutare, vel detrahere.

Christianismus, cum novæ revelationi fidem adhibeat, perquam talis est, & constituitur, sacram literam juxta Euangelicum sensum tenetur intelligere, aliter non esset amplius Christianismus: Sed cum Israël in suo Veteri Testamento unicè perseveret, nova revelatione neutiquam admissa: Quærebatur: An in ipso locus aliquis exstaret, ex quo colligi posset, Deum prædixisse, quod aliquando permissurus erat tales sensus mysticos, ex quibus nova Religionis dogmata constituerentur, vel tales sensus futuros insinuaverit pro adventu Messiæ? Sed Clarissimus Dominus respondet, quod nec exstat, nec necesse fuit, quod exstaret.

Coronidis loco quærit Clarissimus Dominus: *Quibus argumentis moti Judæi Mosem agnoscant Prophetam, & divinum legislatorem?* Facile satisfaciemus huic quæsito Clarissimi viri vestigiis insistentes. *Deus* (ut ait) *adeo clare se Israëli manifestaverat, ut ejus existentiam in dubium vocare, non possent?* Cum vero eadem media, per quæ ita clare se manifestavit, etiam Mosem divinum Prophetam, & Legislatorem probaverint, non magis poterant Israëlitæ Prophetiam Mosis in dubium vocare quam Dei existentiam: Ideo Deus ipse dixit: *Et*
Exod. 19. *credent in me, & in te in æternum:* (& antea) *& crediderunt Domino, & Mosi servo ejus:* quippe eisdem mediis, quibus se fecit clare cognosci, Mosis legationem divinam esse facile, & liquido ostendit. Igitur patres nostri, quibus clara, & indubitabilis fuit hæc revelatio Domini, & Mosis servi eius, filios suos qui non viderant Dei miracula, neque ejus vocem audiverant, Mosis divinam legationem, & Prophetiam, docuere, quod est unicum fundamentum divinæ legis in qua præcipue commendatur, ut hanc veritatem filios edoceant:
Deut. 6. *Et docebis ea filios tuos:* Non extraneos filios, à quibus per hanc legem nos separari voluit, ut in Sacra scriptura sæpe repetitur; & hi totam posteritatem in suis generationibus, absque doctrinæ & traditionis hujus interruptione, usque in præsentem diem docuere.

Hæc enim traditio falsa esse non potest, supposito quod in sua origine, & radice adeo vera fuit, ut non possit in dubium vocari: neque credibile est, quod tunc, vel postea, patres vellent suos filios decipere, & falsis legibus instruere: neque hoc de omnibus Israëlitarum patribus cogitari potest, quantumvis aliquis perversus hoc facinus contra humanitatem ipsam committeret: Ideo quamvis ob varios fines, & causas plurimi à lege defecerint, populus Israëliticus perpetuo subsistit, veritatem in Synaï à primis receptam, filios erudiens: Quapropter Dominus Israëlem ut perpetuo legem observet, ad patres provocat recurrendum, ut qui
Deut. 32. vers. 7. sciebat, traditionem à patribus esse infallibilem; non ab extraneis. Non enim est hæc traditio ab hominibus alicujus nationis, ad alterius nationis homines, & sic de una in alteram per varias orbis partes propagata: Talis enim nunquam suam veritatem certò probare poterit: Quia non est difficile quod Græci aliqui, ob causas, & motiva posteris ignota, Romanos fallere velint, vel Galli Hispanos, & hi Italos Martis, Veneris, & aliorum, deitatem prædicantes: Sicuti Arabes cæteros Orientales, & tractu temporis Africanos, & bonam Europæ partem seducentes, sub divinæ legis prætextu, & virtutum moralium, omnibus rationabili, observantia. Hac arte falsæ antiquitatis gentilicæ sectæ fuerunt introductæ, & per totius mundi gentes disseminatæ; quia malitia primi deceptoris, & ignorantia eorum, qui primò fallebantur, falsas deitates, earumque prodigia fecere credibilia, quæ semel accepta, quasi verissima, sanctissima, aliis proposita, neque amplius in dubium vocare liceret: tamen omnino falsa, quia eorum origo falsa fuit. Pariter Romanorum legum, Numa Pompilio ficta divinitate, inventore; primi ab eo seducti vera cum pietate, & amore cæteros deceperunt. Adhuc nostro seculo fingunt, & semper finxere Monachi Divorum infinita miracula, quibus populi fidem adhibuere: credit satis piè, & pia hac fraude misere deceptus,

ctus, quisque filios erudit, & isti alterius nationis homines, donec in toto Christianisimo Papistico illa impostura de fide habe.tur, ut qui negaverit, igne suæ infidelitatis pœnas luat. Sic nostro tempore pater Avianus Capucinus miraculis claret, populos, & principes decipit, ut sanctissimus impostor: Sed quare non faciet? Sunt nè filii, quos ipse genuit, quorum animarum salus ipsi chara? Talis est traditio, quæ in sua origine, ab aliquibus incipit, quos non est moraliter impossibile, alios voluisse decipere, ob causas, quas posteri penetrare nequeunt. Verum Judæorum de divina lege, & Mose traditio à parentibus incœpit, qui clare viderunt, & in filios suos immediate, sine interruptione derivata: Quod si primi patres non vidissent, quare communi consensu filios docerent, quod falsum esse sciebant? Quare in prolem inutile mendacium disseminarent?

Hoc sit primum argumentum, quo Mosem Prophetam, & divinum legislatorem, cognoscunt Judæi: quia patribus nostris adeo clare Deus Mosem verum Prophetam Israëli manifestavit, ut eis non amplius posset esse dubitatio, neque nobis, qui ab eis per interruptam nunquam traditionem accepimus.

Alterum argumentum desumitur, ex ipsa Mosis Prophetia, quæ suam divinitatem ita evidenter ostendit, ut nemo eam rationabiliter negare queat. Etenim futura contingentia, quæ ab solo humano arbitrio dependent, nemo potest certò præscire vel prædicere: solus Deus omniscius hæc præcognoscit, & suis Prophetis revelare quit, ut cæteris hominibus prænuntient. At in Mosis Prophetia clare, aperte, & omni cum perspicuitate futura contingentia cum individualibus circumstantiis populo Israëlis prænuntiantur, quæ postea ad unguem adimpleta continuo experimur. Recte ergo, & infallibiliter cognoscunt Judæi Mosem esse verum, & divinum Prophetam: Hoc enim fuit medium unicum, quo Deus utitur per Isaiam, ut suam divinitatem hominibus probet: *Nonnè ego vobis futura prænuntiavi? quærite à Diis gentium an hæc etiam facere possint?* Deut. 28.

Verum quod talium prædictiones extent in Mosis Prophetia, ex ejus simplici lectione constat. Scilicet, quod fluentibus seculis ob magna Israëlis peccata, & divinæ legis prævaricationem, venturæ erant gentes, ut eum destruerent è longissimis, & distantissimis regionibus (non ex proximis, hoc enim sæpe contingit) sed ex longinquis: quarum linguam non intelligetis: Profecto Israëlitæ Romanorum linguam non intelligebant. Nonne hæc erant ex mere contingentibus? tamen à Mose prædicta, & in sua tempore exequuta. Quod totus Israël in captivitatem iturus, eius terra omnino deserta: Quod spargendus erat per totum orbem. Contigit ne hoc alicui populo? An Romani Germanos, Britannicos, Gallos, Hispanos, Græcos, Asiaticos, per totum orbem in captivitatem, dispersere? Eos potius ut hæ regiones habitarentur, conservare satagebant. Sed quod admirabilius est: prædixit Moses Israëlem spargendum per totum mundum, in quo ab omnibus gentibus extremam passurus erat persecutionem, quibus futurus esset in proverbium, despectum, & abominationem: Tamen quod in his omnibus semper conservandus, & idem populus futurus per tot sæcula: An hæc non sunt de contingentibus, imo quæ naturali rationi obstare videntur? Existimo quod hoc divino fundamento nixus, dixit Apostolus: Quod non intrabit Israël in Ecclesiam, *donec intraverit plenitudo gentium:* Quod supponit Israelem subsistiturum, & perseveraturum in esse populi separati per plura secula, ut Moses prædixerat: Præterquam omnes Doctores Christiani consentiunt, quod conservatio Israelis naturalis non est, sed ex speciali Dei providentia, cuius varios fines excogitarunt. Quod totum clare Moses prædixit, quantumvis merè contingens. Ergo fuit divinus Propheta. Tandem prædixit Moses Israëlem toto hoc captivitatis tempore suam miseriam, non seditiosorum tunc temporis discordiæ, non inimicorum potentiæ, non aliis naturalibus causis, attributurum; sed suis dumtaxat peccatis, & divinæ legis transgressioni: *Et dicent in ea die quia Adonai nobiscum non est hæc nobis contingunt.* Talem confessionem per tot secula, Israëlem facturum, quis nisi divinus spiritus potuit prædicere? Qui per fidelissimum servum Mosem hæc omnia clare prænuntiavit. Deut. 31. verf. 17.

Exhibet etiam Judæis Daniel per clarum testimonium, qui clare, & aperte prædixit, quod post septuaginta hebdomadas, id est CCCCXC. annos, templum erat à Duce cum exercitu venturo penitus

penitus destruendum: Sacrificium in medio ultimæ hebdomadæ cessaturum, civitatemque omnino devastandam. Hujus Prophetiæ divinitatem eventus confirmavit. Quod si hæc per decem annos antea fuissent prædicta, non esset vaticinium minus divinum, quia solus Deus poterat hæc antea prævidisse, & futura enuntiare. Fuit igitur absque dubio Daniel iste divinus Propheta: hic tamen non Romanus, non Græcus; sed Judæus fuit legis Mosaicæ exactus observator, cujus revelationem in hac eadem Prophetia valde commendat, & illius prævaricationem lamentatur: Ergo credidit Mosem Prophetam, & Dei legislatorem: cum Prophetia hæc Danielis à nemine, qui non insaniat, impius quantumvis sit, negari potest. Habent igitur Judæi argumenta, quibus Mosem verum Prophetam, & legislatorem agnoscant (præter alia plurima) ex eiusdem Mosis Prophetia, quæ suam divinitatem probat: Ex infallibili à patribus traditione: ex Danielis irrefragabili testimonio.



RESPON-

RESPONSIO
AD
SECUNDUM SCRIPTUM JUDÆI.

CAPUT I.
De Quæsitô primô.

Fides in Christum quo sensu sit unicum medium ad salutem.

Christianum esse dogma, unicum ad salutem æternam medium esse fidem in Jesum Christum, agnosco. Verum id intelligendum de tempore, postquam Jesus Christus in mundum venit, Euangeliumque prædicatum est. Ab Adami lapsu fidem expressam in Jesum Christum futurum redemptorem perinde fuisse necessariam, adeo ut sine expressa & distincta in ipsum fide nemo salutem æternam consequi potuerit, nusquam in Scriptura Sacra reperio, ideoque nec ut dogma Christianum recipio. Agnosco lubens, quosdam Christianos Doctores, præjudicio erga peculiares quasdam opiniones abreptos, ita sentire ac docere: Verum mihi dogma Christianum non est, nisi quod in Scriptura, unica fidei meæ regula, reperitur. Si quid ergo Vir Doctissimus ex N. Testamento contra me proferre possit, illud ut dogma Christianum agnoscam & vindicabo.

Fides pro ratione revelationis, vel est distinctior, vel minus distincta.

Dixi ego, ut sententiam meam de fide, quæ requisita olim fuit sub V. Testamento in Redemptorem futurum, declararem, *fidem nostram accommodatam esse debere revelationi divinæ.* Sed sententiam meam non recte percepisse Vir Doctissimus videtur. Illud volui: Pro ratione ac modo clarioris vel minus claræ ac distinctæ revelationis divinæ, etiam fidem nostram esse vel magis vel minus distinctam & expressam. Quando Deus nobis quid revelat plene & distincte, etiam distinctam & expressam illius requiri fidem: Quando autem Deus quid revelat, cujus non omnes circumstantias distincte & perspicue ob oculos ponit; rem ipsam, quæ clare revelata est, distincta quidem fide esse apprehendendam; non perinde illas circumstantias: Sed sufficere confusiorem aliquam & minus distinctam earum apprehensionem, revelationi divinæ accommodatam. Solent quippe omnes Prophetiæ, antequam complementum suum habuere, aliquam involvere obscuritatem, quæ ipso demum complemento evolvi & explanari solet. Rem illustrabo exemplo. Promisit Deus Abrahamo, se semini ipsius terram Canaan hæreditario jure possidendam traditurum: non autem speciatim prædixit modum introductionis in terram illam; quod nempe Josua duce populus præëunte arca Jordanem sicco pede esset transiturus, regionisque illius incolas bello superaturus. Promissioni isti divinæ convenienter Abraham rem ipsam credere debebat; nequaquam autem ad fidem modi, quo eam Deus effecturus erat, obligabatur. Eodem modo Deus olim diversis temporibus, primo obscurius, deinde clarius paulo ac

 distinctius

distinctius Messiæ adventum, ejusque officium ac munus prædixit per Prophetas. Nullæ tamen prædictiones adeo fuere distinctæ & explicitæ, quin multum obscuritatis remanserit, per ipsum Messiæ adventum demum evolvendæ. Iniquum vero fuisset, & à justitia Dei alienum, ut distinctam in illum fidem exegisset, quem distincte non revelasset. Fides ergo Patrum sub Vet. Fœdere accommodata fuit revelationibus divinis de Messia, primo admodum confusa & indistincta, dein paulo distinctior, prout ex revelationibus divinis hauriri poterat: Sed quantacunque fuerit, valde fuit incompleta, si conferatur cum illa fide, quæ nunc in Christum præscribitur. Crediderunt illi, convenienter promissis divinis, adventurum Messiam, eumque redemptorem fore Israëlis: Naturam autem redemptionis non nisi imperfecte admodum perceperunt; nec Deus ab ipsis exegit, ut eam distincte & expressa fide reciperent. Sufficit ipsis, credere venturum Messiam ad liberationem Israëlis: distinctam autem in illum fidem Deus reservavit tempori, quo Messias in mundum missus, muneri suo inauguratus, totique mundo plene ac perspicue sine figuris & umbris prædicatus est. Itaque distincta illa fides, quæ nunc in Messiam necessaria est, olim necessaria non fuit.

Distincta non fuit fides patrum V. T. de Christo.

Et hinc liquet, Viri Doct. responsionem, ***quod Dominus ea quæ sunt & fuerunt de necessitate salutis nunquam obscure & ænigmatice revelavit, sed clare & distincte***, neutiquam mihi opponi; utpote qui urgeam, quoniam obscure revelata fuerunt, ideo distinctam eorum fidem non fuisse necessariam, nec à Deo præscriptam. Quanta autem ea fides fuerit, quam Patres ex Prophetiis divinis de Messia colligere potuerunt, definire difficile est. Sufficit, quia Deus plene & perspicue Messiæ munus ipsis non revelavit, quod nec ab ipsis fidem distinctam in Messiam exegerit. An ergo sine Messia salutem æternam consecuti sunt? Nec hoc dixerim. Sed Deus, pro absoluto suo jure, ipsis redemptionem, in plenitudine temporum per Messiam impetratam, applicat, licet pro ratione temporis quo vixerunt distincte in ipsum non crediderint. Hæc est mea de necessitate fidei in Messiam venturum sententia, quam S. Scripturæ omnino consentaneam judico.

Quomodo fuerit accommodata revelationi divinæ.

Ex dictis manifestum est, nec Virum Doct. sensum verborum meorum recte percepisse, cum dixi, ***existentia divina fidem Israëli non fuisse præscriptam, sed sufficisse claram existentiæ divinæ revelationem, ut credatur Deus esse, eamque totius legislationis fuisse fundamentum***: & postea pergens, addo: ***Eodem modo se res habet cum Messia***, &c. Non jam inquiram, an prima Decalogi verba, ***Ego sum Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto***, præceptum contineant: Ego sane nullum in iis præceptum deprehendo, sed tantum declarationem, qua Deus se Israëlis Deum declarat, qui jus potestatemque habet leges ipsi pro lubitu ferendi, ob beneficium illud ingens liberationis ex dira Ægypti servitute, quo Deus eum sibi acquisiverat in peculium, quæque declaratio legislationis fundamentum est. Similiter, cum jubetur Deus adorari, amari, &c. non præscribitur ut credamus Deum esse; illa enim omnia divinam existentiam præsupponunt. Sed his omissis, quando dixi, ***Eodem modo se res habet cum Messia***, nequaquam, prout Vir Doct. verba mea accipit, indicare volui, perinde sicut Deus existentiam suam ita manifeste Israëli revelavit, ut eam in dubium revocare non posset; eum etiam ita manifeste Messiam Israëli revelasse per Prophetas, ut quando in mundum

mundum venisset, ipse statim ita indubitanter & infallibiliter ab Israële agnosceretur, ut ejus existentiam in dubium revocare non possent: Tum enim mihi ipsi aperte contradixissem, qui continuo urgeo, Messiam obscurius à Prophetis fuisse delineatum, & non plene ac perspicue revelatum, sed id reservatum ipsius adventui: Quod miror Virum Doct. non animadvertisse. Illud volui: Fidem nostram accommodatam esse debere revelationi divinæ; & quando Deus nobis quippiam revelat, illi revelationi divinæ fidem adhibendam, etiamsi Deus non addat præceptum istiusmodi, credetis hoc esse verum: & fidem hanc vel distinctiorem vel obscuriorem esse, pro modo revelationis divinæ. Idque illustravi duobus exemplis: Primo Dei, qui existentiam suam ita clare Israëli manifestaverat, ut eam in dubium vocare non possent: ideoque eos obligatos credere Deum esse, licet nusquam præcipiatur, credetis Deum esse. Alterum fuit exemplum Messiæ: Eodem modo se res habet cum Messia; hoc est, credendum est Messiam à Deo promissum venturum, licet Deus expresse non præcipiat, credetis Messiam venturum esse: &, vel minus distincta, vel distinctior in ipsum fides fuit requisita, pro ratione clarioris vel minus claræ de ipso revelationis. Deum Messiam ita clare per Prophetas Israëli revelasse, ut quando venisset minime ambigere possent, quin is esset qui à Prophetis prædictus fuit, ego non affirmavi: hæc potius, ut mox videbimus, Viri Doct. est sententia: Contrarium dixi: per Prophetas Messiæ officium obscurius fuisse descriptum: nunc vero in Euangelio id plene ac perspicue revelatum; ideoque nunc distinctam & explicitam in ipsum requiri fidem. Sane si quis Novi Testamenti libros non oscitanter perlegat, ex iis facile deprehendet, quale sit Messiæ munus ibi descriptum, non sub figuris & umbris, sed plene ac perspicue. At Judæi libri istius veritatem non agnoscunt. Fateor: verum non quia non distincte intelligunt, quæcunque ibi de Messiæ munere dicuntur; sed quia ea cum Prophetarum vaticiniis non congruere contendunt.

Age nunc videamus, quid Vir Doct. assertioni meæ opponat. Dicit, *Dominum Messiæ officia clare & aperte per Prophetas suos revelasse, adeo ut neque in dubium vocari possent.* Sane Messiam fore Regem, & sessurum in solio Davidis patris sui, Prophetæ expresse prædicunt, & in dubium vocari nequit. Sed quænam sit regni illius ratio futura, non ita expresse & perspicue prædicunt, ut ante Messiæ adventum Prophetiarum sensus plene & integre perceptus sit: per adventum vero Messiæ, in quo prophetiæ illæ suum habent complementum, sensus earum manifestus & planus redditus est. Sane terrenum non fore Messiæ regnum, vel ex eo solo liquet, quod mors ejus miseranda prædicatur: quæ cum fælici adeo regno in terris conciliari non potest. Quare & aliquot ex Judæorum Rabbinis, imo & ipsi Thalmudis compilatores (ut Doctor Lumbrozo in suo *Propugnaculo Judaismi* confitetur, & contra Grotium urget non esse hoc commentum recentiorum, sed doctrinam Thalmudis) cum hæc adeo pugnantia conciliare non possent, ne cogerentur cum Christianis regem agnoscere spiritualem & cælestem, duos maluerunt confingere Messias, unum miserum & occidendum, filium Joseph seu Ephraim; alterum gloriosum & gentium victorem, filium Davidis. Sed de hisce in sequentibus plenius. *Munus Messiæ à Prophetis quomodo prædictum.*

At vult Vir Doct. ut *clare ac perspicue, verbis non figuratis, sed sensu proprio acceptis*, munus Messiæ olim per Prophetas Israëli præsignificatum fuerit. At vero nulla *Verbis figuratis.*

solida ratione inductus id urget; imo ratio contrarium fieri suadet. Quia si Deus gratiam per Messiam revelandam jam ante per Prophetas clare revelasset, nihil novi Messias revelare potuisset, & Propheta, cujus ministerio Deus gratiam illam revelasset, magnam muneris Messiæ partem implevisset. Hoc quippe Messiæ officium est, homines in gratiam cum Deo reducere, modumque, quo gratia divina, perspicue ac plene ab ipso revelata, obtineri possit ac debeat, docere. Si jam ratio illa per Prophetas fuisset plene exposita, quid porro Messias, cum venisset, revelaturus fuisset? Ut ergo rite officio suo Messias fungeretur, oportuit munus ipsius involutius prædici; plena autem illius revelatio ipsi reservari.

Prædictio ista non pugnat cum misericordia Dei.

Sed si hæc sit prophetiarum sententia, inquit Vir. Doct. *Deus misericorditer non egisset cum dilecto populo suo, si ne semel quidem in toto sacro volumine clare & distincte Messia, quem revelavit, officium prædixit, &c.* Imo contra, misericorditer Deus cum dilecto suo populo egisse dicendus est, cum Messiam promisit, munerisque ejus rationem aliquatenus præsignificavit; & postea Messiam ipsum misit, miraculisque omni exceptione majoribus instruxit, ad convincendum Israëlem, illum eundem esse cujus adventum per Prophetas suos significavit. Et quæ injuria, quod regem mittat multo illustriorem, quam secundum literam promisisse videri posset? per quem Israël non proprie liberatur ab oppressione suorum hostium, & in terram Canaan restituitur; sed eximitur ab ira divina & maledictione æterna, & introducitur in vitam cælestem.

Promissa typica Israëli maxime fuerunt utilia, quia accommodata promissis Legis.

Atqui *Deo revelante est indignum*, inquit Vir Doct. *ut promittat Israëli inutilia, ideoque, ut à Deo promittuntur, nullatenus expetenda, contemnenda potius ut spiritualibus nociva, adeo ut in ipsa litera perspicuitate, ob inscitiam nostram absque malitia, perpetua Israëlis damnatio & ruina consistat.* Ego vero contendo, tantum abesse, ut hæc promissa Israëli fuerint inutilia, ut fuerint summe utilia, & maxime expetenda, & misericordiam ac amorem, quo Deus Israëlem complectebatur, requisivisse ut hac & non alia ratione promissum de Messia Israëli revelaret. Lex enim Israëli eam observanti promittit fælicem in terra Canaan habitationem. Deus ergo Israëli promittens Messiam, qui eum à peccatis, omnibusque in quas ob peccata inciderant miseriis, esset liberaturus, non potuit illo tempore munus Messiæ plene & perfecte revelare; sed oportuit, ut fælicitatem veram ac solidam, à Messia procurandam, adumbraret typis rerum terrenarum, in Lege Mosis diserte promissarum. Exspectatione quippe Messiæ, bonorumque quæ allaturus esset spe, in mediis afflictionibus Israël erat continendus in officio & obsequio Legis divinæ: oportuit ergo illum istiusmodi promissis erigi, quæ bona in Lege promissa diserte continebant, ipsiusque exspectationi ex promissis Legis conceptæ consentanea erant: nondum maturuerat tempus, quo Israëli natura regni Messiæ plene revelari poterat. Quid enim? siquidem manifeste, sine ullo verborum involucro, Prophetæ prædixissent, Messiæ regnum non fore terrenum, sed cæleste; Messiam hic in terris fore crucifigendum; sed post mortem resurrecturum, in cælos ascensurum, & potestatem in cælo ac terra accepturum: eandem quæ Messiæ fuit sortem fore ejus sequacium ac subditorum, in hac nempe vita crucem & afflictiones, quietem vero ac gaudium in futura vita in cælis: An non in plurimis, quorum corda terræ Canaan nimium sunt affixa, exspectatio Messiæ elanguisset,

guisset, & spes qua se sustentabant mediis in afflictionibus collapsa fuisset? Quare tantum abest ut hæc promissa Israëli fuerint inutilia, ut potius summam ex illis Israël utilitatem perceperit, quoniam maxime fuerunt accommodata, ut Israëlem ante Messiæ adventum erigerent & in officio continerent. Cum autem Israël per varias & diuturnas afflictiones exercitatus aliquam quasi maturitatem est adeptus, sensim præparatior redditus est, ad Messiam, cujus adventus instabat, recipiendum: populo ita præparato (licet & plurimi ob carnalem affectum animos suos induraverint) Deus Messiam misit, ejusque munus plene revelavit, & quid sub promissorum istorum cortice hactenus occultaverit, perspicue sine umbris ac typis patefecit. Neque hic quicquam insolens aut Deo inusitatum factum est: quia sermo metaphoricus Deo est usitatissimus; ideoque nemo criminari potest, Deum, quando phrasibus hyperbolicis utitur, quæ ab unoquoque, imo & ab Israële ipso, agnosci debent, secundum literæ rigorem accipi non posse, obscure loqui: Proinde ea præcise secundum literam accipere velle, non est absque omni malitia, & ob solam inscitiam in errorem labi. Sicut ergo in multis Prophetarum verbis hyperbole est agnoscenda, quid ni & figurata locutio, Deo admodum familiaris? Præsertim cum alias, quæ de Messiæ afflictionibus & morte alibi prædicta sunt, intelligi nequeant.

Sed tum *populo suo mortiferam tantum dedit literam, gentibus vero spiritum qui vivificat.* Nequaquam: imo vero Israëli facta est hæc prærogativa, ut spiritus vivificans ipsi sit datus, antequam daretur gentibus: cum vero Israël eum contumaciter rejecerit, & in litera absque spiritu hærere maluerit, Deus eum, spreto Israële, communicavit gentibus.

Gentibus non est datus spiritus vivificans præterito Israële.

Pergit Vir Doct.: *Si Deus præsciverit ob istius fidei defectum totum Israëlem, præter paucos, in æternam damnationem abiturum, etiam eum Israëli revelasset prout à vobis depingitur, & extollitur.* Resp. Deus non tantum promisit regem, sed & præstituto tempore eum misit, donis ejusmodi instructum, quibus Israëli sufficienter est revelatus, adeo ut, siquidem seposito omni affectu, præjudicio & malitia, sedata mente eum considerare voluerit, ab ipso facile agnosci potuerit. Etsi Deus Israëlis infidelitatem præviderit, nulla tamen ratio cogit, ut Deus propterea ejusmodi loquendi phrasibus promissa sua enuntiet, quæ Israël, etiamsi maxime velit, in alienum sensum accipere nequeat. Ostendimus enim Israëlis statum exegisse, ne ante Messiæ adventum plena regni Messiæ revelatio ipsi fiat. Non etiam æquum fuit, ut propter prævisam sequentium infidelitatem Deus nullam populi ante Messiæ adventum viventis haberet rationem; aut ejusmodi loquendi modis promissa de Messia enuntiaret, qui ipsi spe & exspectatione Messiæ pro ratione status sui erigendo accommodati non erant. Præsertim cum, quando Messiam misit, etiam abunde per eum convicti esse debuerint, ipsum eundem esse quem exspectabant. Tum ipsa salutis, & medii quod ad salutis consecutionem Deus destinavit, ratio exigit, ne Deus ejusmodi prædictionibus, quæ nec à contumacibus detorqueri possent, Messiæ officium plene describat. Vitæ quippe æternæ præmium excellentius est, quam ut ulli, nisi qui per voluntarium obsequium Deo sese in omnibus subjicit, concedatur. Per fidem Deus Israëlem ad salutem ducere vult: Fides autem cum sit virtus, & obedientia Deo maxime grata, argumentis apodicticis & omni exceptione majoribus non extorquet assensum invitis &

Præscientia Dei non requirit, ut illis loquendi phrasibus utatur, quæ in alienum sensum nullo modo accipi possunt.



terrenum promitti suadent. Quoniam redemptio quæ promittitur, siquidem futura sit terrena, ad illos tantum spectare potest, qui Messiæ tempore victuri sunt: Quomodo ergo salus est toti Israëli? Adde, quod terrena Israëlis fælicitas & reductio in terram Canaan res nimis exilis est, quam ut ob eam Messias toties à Prophetis sit prædictus, & tempus ac locus nativitatis, & parentes adeo sollicite descripti. Quid? Israëlis in terram Canaan restitutio tanti est, ut ob eam operæ pretium fuerit tot jam sæculis prædicere Messiæ adventum, ipsumque adeo exacte per Prophetas præfigurare? Et restitutio illa tam ingens Israëli bonum est? cum forte pluribus nunc non multo pejus sit, quam in tali, quale sibi imaginantur, regno futurum. Aliquid ergo de regno cœlesti obscurius est insinuatum. Postea vero Messia adveniente de regno illo cælesti plenissime verbis propriis absque ulla figura est edoctus: Et ab eo tempore distincta fides in regem cælestem necessaria fuit: peccatque Israël, quod eum ad se missum, sibique jam plene, & quidem prius quam gentibus, revelatum, agnoscere, eique obedire & confidere recuset. Nec est quod excipiat, se omnia, prout litera præcise sumta sonat, nondum impleta videre. Majora siquidem in Messia Deus largitus est. Colorem aliquem habere posset objectio, si Deus minus quid præstitisset, quam litera rigide sumta sonat. Nunc vero cum multo excellentius præstiterit, nihil est quod infidelitati suæ Israël prætexat. Addo tandem; Si quædam à Prophetis prædicta Israël nondum in Jesu nostro Salvatore benedicto impleta credat, posse ea adhuc imposterum impleri, postquam plenitudo gentium in Ecclesiam intraverit, & Israëlem suæ contumaciæ pœnituerit. Viam modo eorum impletioni non amplius infidelitate sua præcludat.

CAPUT II.

De Quæsitô Secundô.

SEcundum Quæsitum fuerat, *ut assignetur locus, in quo Deus dixerit, quod unicum medium ad salutem Israëlis, & restitutionis in divinam gratiam, sit fides in Messiam quatenus jam venit.* Respondi ego: Non necesse esse, ut id Deus olim præsignificaverit: sufficere, postquam Messias in mundum venit, Deum id per Messiam declarare. Regerit Vir Doct. *requiri evidens ejusmodi testimonium, ex quo Judæus suas consequentias juxta divinam Legem poterit deducere, certus quod omnia quæ Deus praviderat simpliciter & absolute necessaria ad sui populi salutem clarissime revelavit, ne temporum successione & gentium suasione falleretur.* Sane quando Deus Israëli clare revelavit se missurum Messiam, juxta divinam Legem certo consequentias suas deducere potest, plenissime persuasus, eum quando venerit audiendum esse. Sed Vir Doct. vult, omnia, quæ per Messiam revelari Deus voluit, jam per Prophetas plenissime revelari debuisse. At sic nihil per Messiam revelandum restaret. Quo jure autem id Judæus à Deo exigere potest? Sive enim per præcedentes prophetas, sive per ipsum Messiam jam missum id revelaverit, utrobique autoritate divina constringitur ad credendum & parendum. At *Deus omnia ad populi sui salutem absolute necessaria clarissime revelavit.*

Non requiri, ut Deus omnia, quæ Messiæ manus spectant, ille per Prophetas prædixerit.

Agnosco.

Agnosco. Exinde ergo sequitur, quod ad primum quæsitum jam respondi, distinctam & expressam fidem in Messiam, antequam in mundum venit, & à Prophetis sub typis & umbris præfiguratus, saltem non plene revelatus fuit, absolute ad salutem necessariam non fuisse: sed demum necessariam redditam, cum Deus Messiam misit & plenissime revelavit, ac distinctam in ipsum fidem ad æternæ salutis consecutionem exserte præcepit. Nihil itaque hic omissum, quod ab amore Dei, quem semper erga Israëlem ostendit, exspectari merito potuit.

Nec dici potest, legibus umbraticis Deum decepisse Israëlem.

Addit Vir Doct.: *Alias legibus umbraticis, carnalibus, nihil proficientibus, exiguo tempore duraturis, nos decepisset*; *quod de sua bonitate minime esse credendum* recte Vir Doct. concludit: Deus enim, qui ipsa veritas est & sanctitas, neminem decipere potest. Sed non video quomodo Deus, nisi ita exserte omnia quæ conditionem regni Messiæ spectant in antecessum revelaverit, dici potuerit Israëlem legibus umbraticis, &c. decepisse. Justa & legitima foret hæc argumentatio, siquidem Deus Legem ritualem Israëli præscribens, eam observari noluisset, ejusque observatores mortis reatui subjecisset. Nunc autem contrarium verum est: Voluit serio Legem ritualem ab Israële observari: ejus transgressores & prævaricatores severe punivit. Nec Apostoli usquam docuerunt, ne ipse Apostolus Paulus, tantus libertatis Christianæ patronus, illicitum esse fidelibus ex Judæis Mosaicæ Legis ritus observare: Quin ipse Timotheum circumcidit, se purificavit, & dies purificationis transegit in templo: Sed gentibus, quibus nunquam præcepti erant, eos à Judæis legis Mosaicæ zelotis imponi noluerunt. Verum est, docuerunt earum observationem ad salutis æternæ consecutionem esse inefficacem; quoniam jam ipsum corpus adventasset, quo adveniente umbra cessare debet. Sed Deus, pro statu Israëlis infantili, ritibus hujusmodi, tanquam primis elementis, eorum animos ad perfectiorem cultum præparare volens, neutiquam dici potest Israëlem decepisse, quando cultu perfectiore introducto legem ritualem & umbraticam cessare facit. Non quod Deus ab Israële olim agnosci & credi voluerit, ritus legales cultus spiritualis ac perfectioris esse typum: hoc enim cum nusquam diserte Israëli revelaverat, nec etiam illius fidem ab Israële exigere potuit: Sed quod cultus ille rudior & imperfectior revera tyrocinium religionis fuerit, & à Deo destinatus, ut, postquam perfectior cultus esset introductus, Israël illum hujus fuisse typum ex utriusque collatione deprehenderet. Verum de eo mox plura.

Deut. xxx. respicit tempora captivitatis Babylonica.

Dixi, pœnitentiam, quæ præscribitur **Deut.** xxx. respicere proprie tempora captivitatis Babylonicæ: idque probavi verbis Nehemiæ, **Cap.** I. 8, 9. Agnoscit Vir Doct. Nehemiam verba hæc captivitati Babylonicæ applicuisse: sed addit, *id à Nehemia factum, non quod omnia in ea captivitate executa fuisse crediderit: id erat impossibile: sed quia etiam, juxta ea verba, propter Legis prævaricationem iram Dei merito sustinebant.* Dicitque, *ex sapientioribus Christianis doctoribus neminem fere dubitare, quin verba hæc ad præsentem Israëlitarum captivitatem sint extendenda.* Legi ego plures celeberrimos interpretes Christianos, qui caput hoc ad tempora captivitatis Babylonicæ referunt, & inter illos quosdam, qui vulgarem Judæorum objectionem allatis verbis Nehemiæ expresse refellunt. Et dura admodum est explicatio, Nehemiam, cum ipsa eadem verba referat, quæ Vir Doct. urget, *Etsi ad cardines cœli dissipatus fueris, &c.* non credidisse, Deum omnia quæ ibi minatus fuerat executum esse; sed tantum, quod propter Legis prævari-

prævaricationem iram Dei merito sustinebant. Sane & in diversis afflictionibus, in libro Judicum memoratis, modo cum essent sub potestate Midianitarum, modo Palæstinorum, Ammonitarum, aliorumque, dubium non est, quin propter Legis prævaricationem iram Dei merito sustinuerint: Nemo tamen verba hæc Mosis ad illum statum unquam applicuisse legitur: Quoniam tunc in patria sua vivebant, aliorum licet jugo oppressi. In captivitate vero Babylonica è terra sua fuere abducti, & dispersi inter gentes. Verum, ait Vir Doct., *non fuere dispersi ad cardines usque cœli.* Verum est: Sed aut in verbis hisce hyperbole quædam agnoscenda est, valde familiaris in comminationibus ac promissionibus divinis; aut argumentationis quædam species, quâ confirmetur pœnitentium spes ac fiducia in captivitate Babylonica, (quam ob carceris diuturnitatem valde collapsam fuisse docet *Ezechiel cap.* XXXVII.) Deum vere eos exinde liberaturum; neque esse quod de liberatione desperent ac dubitent; quia ea est divini numinis erga populum resipiscentem misericordia, eaque Dei omnipotentia, qua omnem humanam potestatem ipsi sese opponentem dejicere ac confringere potest, ut licet ad ipsos usque cœli cardines populus dissipatus fuerit, inde eum sit retracturus Deus.

Promissam fælicitatem Israël non est adeptus ob spretum Messiam.

Hisce addit Vir Doct. patheticam admodum exaggerationem omnium miseriarum, quas Judæi à tempore adventus Jesu Christi, quem nos dicimus esse Messiam à Deo olim promissum, experti sunt, & etiamnum experiuntur, plane repugnantem fælici illi statui, qui sub Messiæ regno prædictus fuit. Sed respondeo: Illustris illius fælicitatis promissæ Israëlem participem esse non posse, quia regem Messiam ad se missum non agnovit, sed abnegavit & cruci affixit. Dicit Vir Doct. *hoc fieri non potuisse, quia Deus dixit, se tempore Messiæ circumcisurum cor populi, populumque purificaturum ab omnibus scoriis, immunditiis, & peccatis,* &c. Ad quæ paucis respondeo: Deum in Scriptura dici homines *purificare*, non quod actu semper homines mundentur; sed quia circa eos gratiosam adhibet operationem, quæ ad ipsos mundandos efficax est, & ad ipsorum mundationem destinata; licet contingat, hominem propria malitia abuti ista operatione divinâ, & per eam minime mundari. Id unico nunc, omni exceptione majore, testimonio comprobabo, ex *Ezech.* XXIV. 13. *Immunditia tua execrabilis est: quia mundavi te* (in Hebræo est טהרתיך) *& non es mundata à sordibus tuis.* Et ita Ezechielis verba, quæ Vir Doct. citat, explicanda esse, evidenter colligitur ex *cap.* XI. ubi postquam idem proposuit promissum, *vers.* 19, 20. *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum,* &c. addit *vers.* 21. *Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, dabo eorum viam in caput eorum.* Manifestò indicio, posse hominem, si contumax esse velit, gratiosæ isti operationi divinæ morem non gerere, atque ita beneficio promisso excidere. Verum Vir Doct. ejusmodi operationem divinam promissam credit, qua totus Israël cohibeatur, ne contumax esse possit, & qua adeo valide commoveatur ad recipiendum Messiam, ut se ei necessario subjicere debeat. Sed talis operatio divina cum libera obedientia, qualem Deus passim in Lege sua exigit, consistere nequit: nec ulla vera obedientia est, nisi quæ libera sit: libera autem esse nequit, nisi facultas non obediendi adsit.

Quo sensu dicatur Deus populi cor circumcisurus.

Posita libertate arbitrii homo gratia divina resistere potest.

Animadvertit Vir Doct. hanc sibi responsionem objectum iri, ideoque alio in loco eam præoccupare conatus est, dicens: *Non quod Deus vim libero hominum arbitrio sit illaturus: sed quod ex affluentia gratiæ in bonum fere semper dirigetur, ut jam peccato finis impona-*

imponatur. Sed vero, sive vim libero hominum arbitrio Deus inferat, sive intus ita potenter afficiat, ut aliud velle nequeat, perinde est. Dico ergo: Illa affluentia gratiæ divinæ aut relinquet homini libertatem contrarium volendi, aut non. Si non relinquet; jam destructum est liberum arbitrium, nullaque superest hominis obedientia, vere ac proprie dicta. Si relinquet: fieri potest, ut affluentia illa gratiæ per voluntariam hominis malitiam non consequatur effectum: ac proinde requiritur, ut homo à sua parte adferat animum docilem, ac pietatis studiosum, omni præjudicio renuntiet, seque à verbo divino regi patiatur. Et non destructo libero arbitrio, quæ erit illa gratiæ divinæ affluentia, qua tam potenter homines in bonum dirigentur, ut peccato finis imponatur? An erit clara præceptorum ac promissorum divinorum renovatio? Sed & illis posse non parere hominem ostendit Israël, cum ex ore Mosis Legem plene & perfecte audivit, & nihilominus aliquoties Mosi rebellavit. An interna quædam Spiritus Sancti in mentibus hominum operatio? Sed quæ alia, quæ liberum hominum arbitrium non destruat excogitari potest, nisi quæ præcepta Dei in memoriam revocet, & promissa bonorumque promissorum certitudinem ac magnitudinem animis hominum infigat? Sed quandoquidem ipsi revelationi divinæ homo rebellare potest, etiam illi Spiritus Sancti operationi, quæ in & cum illa revelatione operatur, resistere potest. An denique potens maximorum miraculorum patratio, quæ ita convincet homines, ut assensum & obedientiam sit quasi extorsura? Verum nulla tanta dari miracula, quin animus contumax ea contemnere possit, iisque minime flecti ad obsequium, affectui suo aut concupiscentiæ adversum, exemplo suo aliquoties docuit Israël, qui licet Mosem in montem ad Deum adscendentem conspiceret, fulgura ac tonitrua videret ac audiret, aliaque miracula Mosis oculis suis conspicatus esset, nihilominus aliquoties in deserto illi rebellavit: imo licet miraculo insolito & inaudito Corah Dathan & Abiram à terra devoratos coram adspexisset, & cum fletu aufugisset præ metu ne & ipsi à terra absorberentur; nihilominus postero die, quasi omnium horum obliti, animo rebelli Mosi ac Aaroni cædem interfectorum exprobrant, dicentes, *Vos interfecistis populum Dei*, *Num.* XVI. Quæ itaque erit illa gratiæ affluentia, qua homo fere semper in bonum dirigetur, & peccato finis imponetur?

Separatio populorum facta est propter Messiam, & in Messia desinere debet.

Tandem addit Vir Doct.: *Alias de hac præsente captivitate nunquam Deus Israëlem prævertisset, neque verbum locutus fuisset; maxime autem de præcedentibus brevissimo tempore duraturis: quod omnino incredibile est, si modus, quo semper Israëlem tractavit, recte & cum sinceritate consideretur, & ad sensus mysticos, textus clara litera despecta, ad libitum non recurramus.* Resp. Si consideremus rationem regiminis divini, quo erga populum Israël jam ab initio usus est Deus, apparebit totam illam directionem respexisse Messiam, & fælicia illa quæ sub Messia fluent tempora adumbrasse. Ob Messiam solum, quem Abrahamo ex semine suo promisit, Deus discrimen illud populorum, inter Judæos nimirum & gentes, introduxit; ideoque etiam circumcisionem instituisse videtur, cum semen Abrahamo benedictum, quod sensu mystico Messiam designabat, promisit; ut semper in circumcisione promissi illius memores essent; ideoque & Deus tali signo Israëlem ab aliis populis discriminari voluit, quod deleri aut obliterari non posset; ritusque illi præscripsit plane diversos, imo & contrarios aliarum gentium ritibus: ne ulla unquam inter ipsum & gentes commixtio fieret; ut ita indubitato constaret, Messiam

Messiam ex ea gente, cui promissus erat, ortum fuisse. Inde sequitur, Deum populi sui, tanquam populi peculiaris, & à reliquis separati, curam gessisse singularem, cum per Prophetas docuisse & monuisse, usque ad Messiæ tempora: hinc etiam omnes prophetiæ ad Messiæ usque tempora terminantur. Ab eo tempore Deus pro populo suo censeri voluit, non Israëlem secundum carnem ex Abrahamo oriundum, sed quoscunque vestigiis fidei Abrahami insistentes, ex quacunque gente oriundos; voluitque ut omnes in unum coalescerent, ac discrimen illud populorum aboleretur: simulque paries ille intergerinus, lex ritualis, qua Israël à gentibus separabatur, sponte evanesceret. Et hunc suum populum Messiæ regendum tradidit. Prædicunt ergo Prophetæ quanta populo fælicitas sit obventura per Messiam: non quia omnes in Israële secundum carnem fælicitatem sibi à Messia oblatam corde obsequioso sunt amplexuri, ac reipsa eam adepturi: sed quia omnibus facultatem largietur eam consequendi, adeo ut si quis eam non obtineat, sibi id imputet suæque incredulitati: & quia quicunque per veram in Messiam fidem populus Dei futuri sunt, reipsa etiam fælicitatem illam sunt consecuturi. Unde manifestum est, licet Deus per Prophetas antea diserte comminatus non fuerit, dispersionem hanc præsentem pœnam fore rejectionis Messiæ; juste tamen & non recedendo à modo quo hactenus Israëlem tractavit, eam potuisse ob spretum Messiam ipsi immittere: Quia jam ipsum regi suo Messiæ regendum tradidit. Et mirum non est Prophetas de temporibus Messiæ adventum secuturis non ita distincte prophetasse ac de præcedentibus, nec rejectionem Messiæ, & populi Israëlis propter eam è terra sua dispersionem, ita ad vivum præsignificasse: Quoniam omnes ferme prophetiæ in ipso Messia terminantur. Esaias tamen *cap.* LIII. Messiæ rejectionem prædixit; & Daniel *cap.* IX. populi propter ejus cædem miserabile excidium. Prædictiones autem de temporibus sequentibus Prophetis Novi Testamenti creditæ sunt.

Addideram præterea; ***Si quis pertendere velit, verba hac etiam ad præsentem Judæorum statum extendi debere; sciat ille, nullam veram ad Deum resipiscentiam esse posse, fine receptione illius, quem ad populi sui salutem misit.*** Illud ideo addidi, ut subindicarem, licet id concederetur, nihil tamen exinde proferri posse contra necessitatem fidei in Jesum Christum. Requirit nimirum Deus à populo peccatore resipiscentiam, ut in terram suam restituatur. Atqui quæ pœnitentia Deo grata à populo præstari potest, quamdiu eum rejicere perseverat, quem ipsis misit redemtorem, ejusque se legibus subjicere recusat? Sed vero, ut dixi, vix quicquam Prophetæ de statu populi Israëlis post missum Messiam prænuntiant; nisi summam eorum, qui ipsum recipiunt, fore fælicitatem: quia huc usque separatio populorum durare debuit: Postea omnes gentes cum Israële coalescere voluit in unam Ecclesiam. Solus Apostolus Paulus in *Epist. ad Roman. cap.* XI. nobis revelat consilium Dei de Judæis, quod nempe cœcitas ex parte contigit Israëli, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fiet. Quæ fælicia tempora adhuc speramus, vovemusque ex animo, ut Israël debita animi purgatione se præparet ad redemtorem suum agnoscendum & venerandum; ac ut Deus spiritus sui luce magis magisque eorum animos illustret, ut genuinum prophetiarum sensum, & naturam regni Messiæ sibi promissi agnoscentes, per sinceram in ipsum fidem & obedientiam salutem sibi destinatam consequantur.

Sine receptione Messia nulla Deo grata est resipiscentia.

CAPUT III.

De Quæsitô tertiô.

Sufficit, ut Messias recipiatur, eum esse promissum.

AD tertium Viri Doct. Quæsitum responderam, *Necesse non esse ut Deus olim dixerit, quod Israël propter infidelitatem in Messiam esset deperdendus, & abjiciendus in nationibus, ut non sit amplius populus Dei, sed in æternum damnandus, donec in Messiam cum venit crediderit: Sed sufficere, Deum Israëli Messiam promisisse: exinde enim manifestum esse, Deum voluisse, ut quando veniret reciperetur & agnosceretur; ac proinde neminem, qui eum agnoscere recusaret, beneficiorum ejus fore participem.* Hæc ego eum in finem non dixi, quod ejusmodi textum in Sacra Scriptura nusquam extare credam: sed ut disputationem nostram in compendium contraherem: . Prævidebam siquidem, si textus ejusmodi allegassem, prolixam inter Virum Doct. & me de eorum sensu & genuina explicatione exorituram disceptationem: Eam ut præciderem, & disputationem, quantum possem, ad rei caput deducerem, & breviore gyro circumscriberem, hac responsione usus sum: Sufficere Messiam à Deo esse promissum: inde enim evidens est, quando veniret, recipiendum esse, nec posse absque gravi peccato ac divini numinis offensione eum rejici. Agnoscit *hanc meam responsionem* Vir Doct. *legitimam esse, quando agitur de Rege aut Propheta recipiendo.* Addit vero, *se non quæsivisse de hac fide, sed de ista fide in Messiam Mediatorem, in qua consisteret tota salus æterna Israëlis & generis humani, respectu cujus omnia quæ antea Deus in Lege præceperat quasi nihil erant, absque qua neque vere, neque verum Deum credere possent; sed si quam fidem haberent, in Deum creatorem, futura erat quasi in non Deum, quasi in idolum.* Hic primo Virum Doct. præmonitum velim, me illorum Christianorum, qui Judæos criminis horrendi, quasi non verum Deum sed tantum idolum agnoscant, reos agunt, neutiquam approbare. Sentio ego, nos simul Christianos ac Judæos in unum eundemque Deum, cæli & terræ creatorem, quique Israëlem ex Ægypto eduxit, credere; neque in eo versari controversiam inter Christianos & Judæos: Sed in eo solo, utrum Jesus, qui olim in Judæa docuit, & miraculis claruit, crucique affixus est, sit promissus ille Israëli Messias: quem cum Judæi non agnoscant, nec etiam Deum recte colunt. Hoc præmisso jam ipsam responsionem examinabo. Cum Deus toties & tam sollicite Messiæ adventum prædixit, manifestum est, voluisse Deum ut ab Israële reciperetur. Necesse non fuit, ut Deus omnia ita plene & exacte prædixerit, ut Israël, etiamsi vellet, eum cum veniret rejicere non posset: voluntarios siquidem sibi Deus subditos vult, qui obsequium sibi gratum præstant. Sufficit, quando Messiam misit, eum illis instruere donis, quibus omnes, quorum animi pia docilitate sunt imbuti, & minime refractarii, abunde convinci possent. Sive enim Deus antea eas adhibeat præcautiones, sive per Messiam, donis ex quibus agnosci posset sufficienter instructum, clare quomodo recipi & coli debeat, præcipiat; nulla præfracte eum respuentibus excusatio superest.

Necesse non est, clare fuisse prædictam Messiæ rejectionem.

Sed cur Deus prædixit idololatriam Israëlis in futuris sæculis, rejectionem autem Messiæ nequaquam, crimen idololatriæ multo deterius? Resp. Aut tales requirit Vir Doct. de Mes-

Messia prædictiones, quibus Israël ita convinceretur, ut quando Messias venisset, etiamsi vellet, de eo dubitare minime posset: aut quibus de Messia sufficienter posset instrui, eumque quando venisset agnoscere; non tamen ita evidenter necessario convinceretur, quin si animo sit refractario eum rejicere posset. Si posterioris generis prædictiones requirit, eas exstare dicimus; & licet exstarent clariores, modo non tales quæ invitis assensum extorquerent, fieri tamen posset, ut Israël, maxima saltem Israëlis pars, eum rejiceret: neque rejicientibus omnis deesset prætextus, quia semper quid invenirent quod cavillari possent. Si prioris generis prædictiones: præterquam quod eæ cum voluntario obsequio consistere nequeant, uti statim diximus; Quæro, an ullas ejusmodi dari posse credat? An licet sint evidentissimæ, Israël tamen non posset semper prævaricandi prætextum, siquidem vellet, sibi quærere? Num clariores dari possint, quam prædictiones de idololatria, & præceptum divinum toties in Lege inculcatum, de non colendis idolis, seu diis alienis? Num propterea Israël ab idolorum cultu abstinuit? Nonne sæpius in idololatriam gentium, quas Deus coram facie ipsius è terra Canaan delevit, lapsus & relapsus est?

Præsentis diuturnæ dispersionis causam nullam aliam posse dari, quam Messiæ rejectionem.

Tandem, quoniam Deus comminatur, se Israëlem ob idololatriam dispersurum inter gentes, nullumque inter peccata Lege vetita gravius sit idololatria, dicat Vir Doct. ob quodnam crimen Israël nunc ita dispersus sit inter gentes, & pluribus jam sæculis è terra Canaan extorris inter gentes oberraverit. Non ob idololatriam. Quia legimus quidem in historia sacra, Israëlem ante captivitatem Babylonicam aliquoties se fœdo idololatriæ crimine polluisse, & ob id crimen Babylonem in captivitatem abductum. Post reditum autem è captivitate Babylonica, gravissima illa afflictione melius edocti, nunquam leguntur in idololatriam relapsi Judæi, sed alia quidem crimina & peccata commisisse: imo in hodiernum usque diem, licet peccatores uti cæteri, ab idololatriæ tamen crimine puros se conservant. Explicet ergo Vir Doct., quodnam illud crimen idololatria gravius sit, cujus pœna per tot sæcula Israëlem premit, & quod nulla sua pænitentia, nullisque pœnis, quantumvis diuturnis, eluere possit. Sane si maturo judicio rem expendere velit, rationemque investigare quæ homini cordato in conscientia satisfacere possit, nullam aliam reperire poterit præter Messiæ contemtum. Legimus ob idololatriam Israëlem olim in hostium suorum potestatem traditum, sed quamprimum resipisceret, seque ad Deum converteret, jugo hostili liberatum: Babylonem in captivitatem abductum post septuaginta annorum captivitatem libertati & patriæ restitutum: interimque Deum per Prophetas suos spem fecisse liberationis, eaque Israëlem in mediis calamitatibus erexisse. Nunc autem ultra sexdecim sæcula extorres è patria vivunt, dissipati in ultimas usque mundi regiones, neque ullus Propheta nomine Dei eos erigit, aut miseriæ finem ostentat. Minatur Deus, se parentum idololatriam vindicaturum in liberis usque in tertiam & quartam generationem: Jam autem plus quam triginta aut quadraginta generationibus exilium hoc sustinent. Promittit Deus populo pænitenti restitutionem in terram suam. An verbum hoc Dei excidit? Absit. Quodnam ergo est crimen illud idololatria gravius, quod ipsos tot sæculis in exilio hoc detinet, quodque sincera ac constanti sua in Deum fide, & Mosaicæ Legis professione expiari non potest? Si enim Judæi jure Dominum nostrum Jesum Christum rejecerint, soli sunt hodie in terra veri gloriæ ac veritatis divinæ

assertores ac patroni. Et quid Deus benignus & misericors ob tam constantem Legi suæ adhæsionem tam longinquo exilio, quin & tot afflictionibus ac calamitatibus, quibus nonnunquam à quibusdam Christianis, perverso zelo contra religionis suæ genium in eos sævientibus, misere affliguntur, testatam, fidis suis cultoribus non esset condonaturus? Proferat ergo Vir Doct. tale peccatum, ob quod Deus, non obstante hac Israëlis fide & constantia, iram erga eos tot sæculorum decursu ostendat.

Potuit Messias rejici, etiamsi in Israëlis salutem venerit.

Dixeram ego, *Necesse non esse, ut Deus id præmoneret Israëlem; sufficere ut Messiam mitteret, & per illum inobedientibus pœnam denuntiaret.* Agnoscit Vir Doct. sufficisse Messiæ promissionem: verum inde longe aliud quam ego concludit: addens; *Siquidem non egebat aliqua suasione, ut reciperetur is, qui in summam Israëlis fælicitatem promittebatur.* Fateor, quando veniens fælicitatem actu ipso confert, licet aliam quam homo exspectaverat. Ita licet Jesus, Dominus noster, cum cælesti gloria venisset, omnesque Judæos in cælum, coram oculis suis apertum, introducere paratus esset, plurimosque ipsum prompte recipientes coram aliorum oculis in cælum assumsisset, gloriaque cælesti vestitos ostendisset, dubium minime est, quin omnes Judæi, licet nunquam de cælesti illa gloria cogitassent, sed regnum in terra gloriosum exspectassent, unanimes nemine excepto eum pro rege & Messia promisso recepissent: neque necesse fuisset id ipsis præcipere, præceptumque istud pœnæ comminatione sancire: quoniam fælicitas bonum est summum, hominesque tam potenter in amorem sui trahit, ut refragari non possint. Alia vero est ratio, quando promittit fælicitatem futuram, mediumque fælicitatem illam consequendi est cultus carnali hominis inclinationi adversus: tum enim facile à carnali homine contemni potest, qui sibi persuadere non vult, vitam desiderio suo adversam ad fælicitatem perveniendi viam esse. Sane si vitam cælestem cultoribus suis promisisset Jesus Christus, simulque Judæis regnum, quod hic in terris desiderant, restituisset, religionemque carni non ingratam, & carnali ipsorum exspectationi minime repugnantem, exegisset, num eum rejecissent Judæi? an non obviis cum ulnis amplexi fuissent? Non ergo eum rejiciunt, quia promittit quæ captum hominis superant, quæque Israël non excogitaverat; sed quia non præstitit illa quæ Judæi exspectaverant. Quo jure, ad primam quæstionem diximus.

Quis status prognatorum ex Judæis in Christum credentibus, sub regno Messiæ qualem Judæi exspectant.

Ego, ut responsionem meam fortius adstruerem, quæsiveram, *an non ipse Vir Doct. agnoscat, eorum posteros, quorum parentes ex Israële oriundi jam olim in Jesum Christum crediderunt, si unquam Messias, quem adhuc hodie Judæi exspectant, in mundum veniat, esse à beneficiis ipsius excludendos, & graviter puniendos, quoniam ipsum non receperunt?* Hanc quæstionem, quæ proprie est argumentatio responsionem meam confirmans forma quæstionis proposita, Vir Doct. alieno loco transposuit, eique tanquam quæstioni principali prolixe respondet. Summa huc redit: *Tales puniendos, non quia Messia, sed Deo immorigeri sunt.* Verum ea responsio neutiquam sufficit. Manifestum quippe est, qualiscunque rex sit Messias, sive terrenus, sive spiritualis ac cælestis, nomine Dei eum munus suum administrare, ac proinde non posse eum rejici sine contumacia in Deum. Hoc quærebatur; an exstaret locus in Prophetis, ubi illi, qui ex Israële sunt oriundi, à beneficiis per Messiam conferendis dicuntur excludendi, eo quod ipsum non receperint. Talis non producitur à Viro Doct. Addit etiam Vir Doct.

pios

pios ex gentibus, sive ex Israële oriundos, sive non, qui verum Deum coluerint, qui Israëlis mirabilem redemptionem adjuverint, &c. redemptionis beneficiorum fore participes. Quæro, an iisdem cum Judæis privilegiis sint gavisuri sub Messia, an vero Judæi eminentiore supra eos honoris gradu sint donandi? Si prius: Velim produci textum ex Prophetis. Si posterius: velim similiter ex Prophetis probari, oriundos ex Israële, eo quod in Jesum Christum crediderunt, inferiore loco sub Messiæ regno futuros, quam illos, qui Christo nunquam nomen dederunt. Is locus si proferri nequeat, agnoscendum nec Christianos urgeri debere in simili casu locum proferre, sed sufficere Messiam à Deo missum, pænamque inobedientibus ab ipso constitutam.

Verba Deut. XVIII. respiciunt Messiam, & in J. Christo sunt impleta.

Agnoscit Vir Doct., à Christianis inter alia loca afferri solitum testimonium Mosis *Deut.* XVIII. qui verba Dei referens, ait, *Suscitabo prophetam sicut te*, &c. Quare per præoccupationem respondet, locum illum, teste Calvino, intelligendum vel de Josua, vel successuris Prophetis. Ego breviter respondens, eam explicationem concessi; ita tamen, ut vel potissimum Messias intelligatur: quia Deus dixit, se Prophetam suscitaturum sicut Mosen: inter Prophetas autem (solo excepto Messia) neminem fuisse Mosi similem. Respondet duo Vir Doct.: Primo: *Esto, etiam accipiatur de Messia, non satisfacit quæsito de fide illa peculiari, in qua constitit & consistit totius humani generis salus.* Sed nullam rationem hujus responsi video. Si enim hic præcipiatur Messias audiri in omnibus quæ præcepit Israëli, ipse autem fidem in se ut Dei legatum præceperit, tanquam conditionem ad salutem æternam necessariam, omnino etiam in eo ex vi præcepti hujus audiendus est; & quicunque eum, etiam in eo, audire recusat, eum manet pæna hic per Mosen denuntiata. Alterum est: *Me non posse urgere verba* sicut tu, *significare Prophetam Mosi similem: quia agnosco, totum hunc textum etiam comprehendere reliquos Prophetas, inter quos ipse contendam neminem fuisse similem Mosi:* Addit autem Vir Doct., *omnes Prophetas Mosi fuisse similes in officio prophetico, non autem in gradu revelationis, qui Mosi fuit omnibus excellentior.* Respondeo: Me jure textum hunc urgere posse, licet eum etiam Prophetis, qui inter Mosen & Messiam intercesserunt, applicandum concedam. Non enim propterea agnosco, omnia, quæ hic dicuntur, omnibus illis Prophetis congruere: Sane verba illa, *sicut tu*, nulli nisi soli Messiæ aptari possunt. Quare hunc textus hujus agnosco sensum. Nolo ut Israël populus meus auscultet augures & divinos, prout gentes solent: Sed suscitabo ei Prophetas, qui nomine meo ipsi responsa dabunt: Inter illos autem Prophetas unum suscitabo eximium, similem tui, cui in omnibus quæ ipsi dixerit auscultaturus est: Si quis vero verbis ejus, quæ in nomine meo loquetur, auscultare renuerit, ejus anima exscindetur. Et rationes sunt non leves in textu, quæ explicationem hanc suadent. Primo: quia Deus dicit, *suscitabo Prophetam*; quod indicare videtur, certo quodam tempore Prophetam suscitandum. Si id interpretari velis de continua Prophetarum in populo Israëlis successione; omnino dicendum videtur, continuos fore in populo Prophetas, quos audire Israël possit. Atqui id experientia falsi coarguit. Secundo: quia expresse dicitur, *sicut tu*; quod omnino cum Mose similitudinem significat. Dicit Vir Doct. *fuere Mosi similes in officio prophetico.* Imo, inquam ego, ratione officii quo Moses functus est Mose longe fuere inferiores: fuit siquidem Moses legislator: reliqui autem Prophetæ ad summum Legis Mosaicæ interpretes, populumque ad Legis observa-

tionem

tionem solummodo hortati sunt. Mose ergo ratione officii longe fuerunt inferiores. Ut ergo Propheta sit similis Mosi, requiritur ut, Mosis instar, legislator sit; ac proinde præstantioribus præceptis Legem Mosis perficiat. Tandem addo: Licet Vir Doct. contendat, hæc ad Messiam non referri, non tamen Domino nostro Jesu Christo obsequium detrectare potest, consentaneë hisce verbis Mosis. Constat quippe, & in sequentibus fusius ostendetur, Jesum nostrum esse non tantum Prophetam, sed & Mose multo excellentiorem: cum autem omnis Propheta, quem Deus missurus erat, audiri debuerit, sub pœna exterminii è populo; sane tam excellenti Prophetæ obsequium denegari nequit, nisi incurrendo pœnas hic à Mose inobedientibus denuntiatas.

Non necesse est, ut Propheta sit verus, eum approbari à Synedrio Judæorum.

Regeret forte Vir Doct. Jesum Dominum nostrum à Synedrio magno non fuisse approbatum, sed ut blasphemum condemnatum: Idque fortasse quasi in transitu subindicare voluit, cum initio scripti sui ait, ***Dominum præcipere, ut Propheta secundum legem approbato ab iis, ad quos de jure divino id judicium pertinebat, populus fidem adhibeat.*** Fateor, tale me præceptum in Lege nusquam reperire, quo Deus judices quosdam constituit infallibiles, à quorum judicio populus ita pendere teneretur, ut non licuerit Prophetam, qui se evidentibus miraculis à Deo missum evincit, agnoscere, nisi prius à judicibus illis approbatum. *Deut.* XVIII. 19. dicitur quidem interficiendus, qui Prophetæ à Deo misso auscultare noluerit: nulli vero infallibilis illa cum autoritate judicandi potestas traditur: sed signa verum à falso Propheta distinguendi adeo ibi manifesta & evidentia indicantur, ut à quovis discrimen istud observari possit: ***Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus***, &c. Neque ad istam discretionem faciendum opus erat judicio infallibili. Inde autem minime sequitur, non potuisse Judæorum senatum ex odio, malevolentia, aliove pravo affectu, verum Prophetam, ingrata ipsi annuntiantem, & nomine Dei peccata ipsius libere redarguentem, respuere, & indignis modis tractare. Plures occurrunt apud Prophetas de Sacerdotum ac Scribarum perversitate querelæ: inter alia *Esa.* LVI. 10, 11. *Jerem.* VIII. 8, 9, 10. *Ezech.* XXII. 26. *Malach.* II. 7, 8. Quisquamve credat, hominibus tam graviter Legem divinam violantibus, à Deo traditam potestatem, infallibile de Prophetis à se missis pronuntiandi judicium; ita ut, si quem illi rejicerent, nec illum ut verum Prophetam recipere fas esset? Sic Jeremiæ, quem ut pseudoprophetam & seditiosum indignis modis tractarunt, ut Dei Prophetæ auscultare nefas fuisset. Non ergo judicium Senatus Judaici contra Dominum Jesum spectari debet, sed ex ipsa doctrina miraculisque ejus indubium de missione ipsius judicium est pronuntiandum.

CAPUT IV.

De Quæsiti quarti primo membro.

Ceremoniæ umbra sunt cultus spiritualis.

ULtima quæstio bimembris est: in priore membro quærit Vir Doct., ***ut assignetur locus, in quo Deus dixit, omnia legalia præter moralia fuisse umbram seu figuram futurorum in adventu Messiæ.*** Respondi: Necesse non esse, ut Deus olim dixerit,

dixerit; ante Messiæ adventum omnia legalia præcepta præter moralia fuisse umbram & figuram futurorum: Sufficere, Deum olim, tam per Mosen quam Prophetas, aliquoties indicasse, cultum illum ceremonialem absque morali sibi neutiquam placere; & postea per Messiam perfectiorem cultum introduxisse, quin & templum, cui cultus ille externus alligatus erat, exscindi & dirui curasse, &c. In hac mea responsione tria occurrunt, quibus probo, necesse non fuisse, ut Deus olim per Prophetas populum præmonuerit, ceremonias tantum esse figuram perfectioris cultus: quæ tria aliquatenus inter se connexa sunt, quorum præcipuum est secundum, quod Deus per Messiam perfectiorem cultum introduxerit. Vir Doct. prolixe ad primum respondet membrum, & quædam ad tertium, nullâ facta mentione secundi.

Prolixus ille discursus ad primum membrum totus eò tendit, ut evincat: *Legis ceremonialis observationem non minus rigide, imo in multis rigidius exactam, quam Legis moralis*; quod aliquot allatis exemplis illustrare conatur: ac proinde *eam, quia supernaturaliter à Domino revelatur, & observanda præcipitur, non minus perfectam esse, quam ea quæ ratio nostra naturaliter nobis dictat.* Profecto non opus erat tanta exemplorum congerie, ut ostenderetur, Legem ceremonialem exacte ab Israële debuisse observari: Quamvis enim omnia exempla non sint accommodata, ut inter alia de falso teste, cui quidem in decalogo nulla constituitur pœna, sed tamen gravissima, *Deut.* XIX. 18. *& seqq.* tamen (ne singulatim omnia excutiendo prolixiores simus) ea, brevitatis causa, admittam ut legitime concludentia: Sed nihil hic contra me infertur: Non enim quæritur, an præcepta ceremonialia Israëlem obligaverint usque ad Messiæ adventum: ultro id concessi, & etiamnum urgeo; sed, utrum fuerint typus & umbra, quæ in Messiæ adventu non quidem abroganda erant ut illicita; sed cedere debebant cultui perfectiori ac spirituali; ac proinde nullam amplius obligandi vim habere, sed sensim ut inefficacia ad salutem consequendum evanescere.

Olim rigide fuere observanda.

Sed fortasse Vir Doct. voluit hoc argumento evincere, Legem ceremonialem non minus fuisse perfectam Deoque gratam, quam moralem. Sane id nullo modo exinde evincitur. Sequitur quidem, Deum utramque rigide observari voluisse; non autem, utriusque observationem ex æquo hominem commendare Deo. Præceptorum positivorum nulla ratio assignari potest, nisi arbitrium legislatoris: Sicut itaque pro arbitrio suo leges illas fert, ita & quibus libet pœnis eas sancit. Unde manifestum est, siquidem gravioribus eas pœnis sanciat, earum transgressionem summopere ipsi displicere: non autem, earum observationem æque ipsi placere, aut magis, quam moralium, quæ gravioribus pœnis non sancivit, aut forte etiam levioribus. Possunt esse rationes graves, cur Legislator leges minoris momenti, si in se considerentur, severioribus pœnis sanciat, quam leges majoris momenti. Et ratio hic non obscura est. Voluit Deus per legem ritualem populum suum sanctificare & segregare à reliquis nationibus ac gentibus, ut eâ tanquam pariete intergerino separarentur: Ideoque & populo suo ritus præscripsit, ut plurimum contrarios gentium ritibus; ut ita populus ille esset peculiaris, ab omnibus distinctus: voluitque id populorum discrimen ad tempora usque Messiæ religiose servari: ut ita toti mundo constaret, Messiam ex familia & gente cui promissus erat, vere originem suam ducere. Justissima ergo ratio erat, legem hanc ritualem gravissimis pœnis sanciendi, ne forte negligeretur.

Inde non sequitur, ejusdem esse apud Deum pretii cum lege morali.

Non sunt Deo grata sine cultu morali.

Eam autem non æqualis cum morali apud Deum fuisse pretii, ipse Deus per Prophetas sæpius testatus est, cum se ritus illos, in quorum observatione populus omnem ponebat operam, detestari ait, quia populus vera erat destitutus pietate. ***Misericordiam volo***, inquit Deus, ***non sacrificium.*** Quin & quandoque legem ritualem impune violari permisit: ita Davidi impune fuit panes propositionis, solis Sacerdotibus concessos, comedere. Imo &, si non jussit, saltem spiritus sui instinctu excitavit Eliam, ut altare construeret & holocaustum offerret in monte Carmel, contra expressam Dei legem, qua templum Hierosolymitanum destinaverat sacrificiis. Nihil tale de Lege morali usquam comperietur. Et ipsa ratio suadet. Non enim externa rituum observatio animum intus purgat. Homines maxime impii summum in illa observanda nonnunquam studium ponunt. Lex moralis sine interna animi purgatione præstari nequit: ideoque ejus observatio hominem Deo commendat.

Non sunt perfectiores cultu morali.

Objicit Vir Doct.: ***Nonne perfectius & rationabilius est facere quæ Deus præcepit, quam quæ nobis ratio naturalis bona esse suadet?*** Certe. Sed an non & Lex moralis, quam & ratio naturalis commendat, à Deo est præcepta? Quæritur solummodo: An officia illa, quæ non tantum ratio naturalis facienda jubet, sed & quæ Deus Lege lata expresse præcepit, quæque non nisi ex corde sincero proficisci possunt, præferenda sint illis, quæ à Deo etiam præcepta, sed nullum in ratione naturali fundamentum habent, & ab impio perinde atque à pio præstari possunt? Hic non instituitur comparatio inter præcepta divina & humana, sed inter divina diversæ speciei, quæ utraque in eo conveniunt, quod sint à Deo; sed in hoc diversa, quod alia sint externa, alia intus animum purgent. Addit Vir Doct.: ***Nulla major spiritualitas & perfectio excogitari potest, quam Deo præcipienti obedire.*** Idque vere ac pie dicit: Ideoque certum est, non potuisse olim satisfacere Israëlitas, si in cultu ceremoniali negligentes forent; fuisset quippe hic summus legis divinæ, quam Deus severe observari volebat, contemtus. Inde autem minime sequitur, ritualis legis observationem æquali apud Deum fuisse pretio, atque moralis; sed solummodo, eam impune non potuisse sperni.

Cur moralis legis observatio olim non sufficerit, sine observatione ceremonialis.

Sed nec Legis moralis observatio absque ceremoniali Deo placuit. Resp. Fieri non potuit, ut diligens Legis moralis observator ceremonialem negligeret: non enim fieri potest, quin legis moralis observatio ex summa erga Deum reverentia procedat; illa autem reverentia ut & rituum à Deo præceptorum observationem producat necesse est. Ritus autem ac ceremoniæ ab animo impio Deumque non sincerè quærente observari possunt, ideoque fieri potest, ut exactus ac superstitiosus earum observator Deo minime placeat. Quemadmodum hoc pluribus prophetarum vaticiniis comprobari potest. Quæ omnia arguunt, Deum legem ritualem populo non præcepisse ut perfectam; sed ut umbratilem & typicam, & tandem meliori ac perfectiori cessuram.

Ceremonialis potest abrogari, & desinere debuit tempore Messiæ.

Et non eandem legis ritualis cum morali fuisse rationem, satis agnoscere ipse Vir Doct. videtur; cum pag. 7. Scripto suo in agnoscat, ***Deum, siquidem velit, legem ceremonialem posse abrogare.*** Atqui id de Lege morali dici nequit; contrarium enim illi quicquam præcipere, eamve abrogare minime potest: Quia ex ipsa naturæ divinæ sanctitate fluit, quam sicut abnegare nequit, ita nec legem moralem exinde immediate fluentem abrogare potest. Verum contendit Vir Doct., ex eadem Mosis Lege

apparere,

apparere, Deum eam nunquam abrogare velle. Verum hoc expresse à nobis negatur, ejusque assertionis probatio ex ipsa Lege Mosis requiritur à Viro Doct. Deinde, nec nos urgemus, legem ceremonialem per contrariam legem proprie abrogatam, sed meliori, cujus typus fuerat, cessisse. Religio enim Christiana religionis Judaicæ proprie non est abrogatio, sed perfectio. Nihil enim in religione Christiana Legi Mosaicæ contrarium præcipitur: Fides in eundem Israëlis Deum exigitur, Lex Mosis agnoscitur divina; tantum ritus, qui, ut discrimen fieret populorum, ad tempus præscripti sunt, omnibus jam in unum recollectis sponte evanescunt: perinde atque leges militares pace facta sponte cessant; & inter omnes obtinet cultus spiritualis ritibus illis adumbratus. Quod licet antea temporibus perfectionis nondum impletis cognosci non potuerit; nunc tamen accurata inter Veteris & Novi Testamenti tempora collatione facta, cultuque novo miraculis Mosis miracula multum excedentibus plenissime comprobato, facile ad Dei gloriam deprehenditur.

Gentiles non fuere aptiores spirituali cultui recipiendo, quam David, &c.

Objicit tandem Vir Doct.; *Exinde sequi, Romanos & Græcos gentiles ad perfectiora & magis spiritualia à Deo fuisse aptiores inventos Davide, omnibus sanctis & prophetis, totoque populo à Deo ex omnibus gentibus electo, & ab incunabulis edocto, ob sui ruditatem elementis puerilibus, carnalibusque & externis ceremoniis absque spiritualitate contentis.* Colorem haberet hæc objectio, si sola lex ceremonialis populo data fuisset; gentibus autem solis perfectior lex annuntiata, exclusis Judæis. Atqui contrarium videmus. Judæis enim primo lex perfectior tempore præstituto est annuntiata, & gentibus non, nisi postquam jam à Judæis rejecta esset. Et olim præter legem ritualem moralis Israëli est præscripta, ut præcipue observanda; de qua Vir Doctissimus verbis immediate sequentibus ita magnifice disserit: *Quasi decem præcepta Decalogi totam spiritualem perfectionem non contineant, vel alia perfectiora fuerint revelata.* An perfectior Decalogo lex revelata fuerit, hujus non est disquisitionis: Nunc tantum dico, quoniam decalogus, qui legis moralis summa est, ipsis præscriptus fuit, non solam legem umbratilem, & primis elementis assimilatam, ipsis latam esse. Interim & ceremonialem illis tulit Deus, & ab ipsis observari voluit. Verum non credendum est, in Davide aliisque Prophetis eandem fuisse ruditatem, quæ vulgo in populo fuit. Dubium mihi non est, quin David, aliique spiritu divino afflati Prophetæ, penitius legis ritualis naturam habuerint perspectam, cognoverintque eam populo rudiori in officio continendo destinatam, ut sensim ad perfectiorem cultus rationem aptior reddatur; ideoque nec in illius observatione pietatis summam collocarunt: quod vel solus *L. & LI. Psalmus* evincit. Interim eam observarunt, quia noverant eam toti populo, ac proinde & sibi datam, ac permanere debere ad tempora usque perfectionis. Istis impletis, perfectior lex non Romanis solum & Græcis, sed & Judæis, imo (uti diximus) illis primo annuntiata est; reliquis autem non, nisi prius jam à Judæis repudiata. Non ergo gentes, nec etiam Judæi tempore Christi, aptiores creduntur Davide, reliquisque Prophetis, ad perfectiorem cultum recipiendum: Sed sancti illi viri accommodare se debuerunt infirmitati populi in quo degebant, & communem cum illis cultus rationem observare: Deus quippe legem suam totius populi genio accommodavit, non eximiis quibusdam in illo populo; sed illi eidem sorti cum integro populo subjecti esse debuerunt.

Ceremonialem legem desituram Prophetæ prædixerunt.

Ceremonialem autem legem tandem desituram, non obscure variis in locis Prophetæ prædixerunt: Unum aut alterum, brevitatis causa, seligam. *Esa.* XIX. 19. & *seqq.* dicitur *altare Domini futurum in Ægypto, & Ægyptii Dominum culturi in hostiis & muneribus.* *Malach.* I. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hinc ex conditione partis unius, & quidem præcipuæ, cultus ceremonialis, licet argumentum deducere, quid de integro illo cultu Deus decreverit. Pars præcipua cultus ritualis fuere sacrificia: illa autem alligata erant templo Hierosolymitano, juxta *Deut.* XII. & I. *Reg.* IX. cum autem Deus hic per Prophetas prædicat, *in omni loco sibi hostiam mundam oblatum iri*, cultus fore immutationem aperte indicat: nempe non offerenda Deo sacrificia victimarum & holocautomatum, quæ Hierosolymis, non alibi, offerri debebant; sed *sacrificium laudis, Psal* L. 14. & *spiritum contritum, Psal.* LI. 19. *Esa.* LXVI. 2. quæ sunt hostiæ puræ, ex puro corde profectæ, nullique loco alligatæ. Et ratio hujus immutationis ex antedictis facile colligi potest: Si enim lex ritualis à Deo lata est, ut constaret Messiam ex gente cui promissus fuit originem ducere; nato jam Messia, & in regem cœlestem exaltato, lex illa evanescere debuit, cessante causa ob quam introducta fuit: atque ita destructo pariëte illo intergerino, discrimen populorum cessare, omnesque sub Messia in unum quasi populum congregari debuerunt.

Cultum ritualem Deus voluit cessare sub Christo.

Hisce ita per Prophetas non obscure prædictis, Deus tandem in plenitudine temporis per Filium suum Jesum Christum, in mundum missum, perfectiorem illum ac spiritualem cultum instituit; omnesque ad ejus observationem, primo Judæos, dein gentes vocavit: ad cujus præsentiam ritualis ille, velut umbra ad corporis, typus ad antitypi præsentiam evanescere ac sensim desinere debuit. Instituto jam cultu perfectiore, Dominus Jesus ejusque Apostoli umbratilem Judæis non quidem illicitum declararunt; (solummodo gentibus, quibus nunquam præscriptus fuit, imponi noluerunt) sed nullius amplius esse usus ad Deo placendum, & justificationem ab ipso obtinendam, docuerunt: hinc & aliquamdiu à fidelibus ex circumcisione observatus fuit: donec Deus cultum illum externum penitus abolere volens, templum, cui alligatus erat, per Romanos destruxit, totamque politiam Judaicam evertit, ipsumque populum in miserrimam tradidit captivitatem, & per omnes terræ populos dispersit; ut ita lex ceremonialis, quæ Domino moriente simul quasi mortua est, honestæ sepulturæ traderetur.

Quomodo id probetur ex destructione templi.

Sed excipit hic Vir Doct.: *Quod templo careamus, signum non est cessationis Legis Mosaicæ; caruimus etiam, quamvis breviore tempore, in captivitate Babylonica, perseverante tota divina Lege.* Sed vero, ex sola templi destructione ego non conclusi cessationem legis ceremonialis; sed potissimum ex perfectioris legis promulgatione, cujus ceremonialis tantum umbra fuit. Cum itaque necessitate legis ceremonialis sublata, etiam templum destructum sit, & per tot sæcula desolatum maneat, populusque ita misere è terra sua evulsus, ut omnes genealogiæ penitus perierint, atque ita omne tribuum ac familiarum discrimen, unde origines agnosci debebant, penitus exstinctum; manifestum est, Deum legi ceremoniali finem imposuisse, & sublato illo rituum pariëte intergerino, & populorum discrimine, omnes rursus populos in unum congregasse.

Sed

Sed inquit Vir Doct. *Dominus jam diu oppositionem hanc solvit per Prophetam Oseam cap. III.* Sed fateor me in illa prophetia neutiquam istiusmodi solutionem animadvertere: respicit enim illa non Judam, sed regnum Israëlis, seu decem tribuum, quod expresse à Juda discernitur, *cap. IV. 15. Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Juda.* Decem autem tribus diu ante Judam abductæ sunt in Assyriam, & qui ex iis inde redierunt accessio Judæ facti sunt. Si autem prophetia hæc respiceret præsentem Judæorum dispersionem, & templi reædificationem polliceretur, Judam potissimum respicere deberet, in qua tribu Deus templum construi voluit. Hæc fortasse causa est, quod hic nulla templi mentio fiat; sed tantum *principis, sacrificii, statuæ, ephod & teraphim,* quæ omnia in Israële obtinebant, sine templo. Alias enim ratio vix concipi potest, cur Deus *teraphim & statuas* conjungat *sacrificio*, idola nimirum cum cultu à se instituto: Sed si hæc explicemus, uti revera explicanda sunt, de regno Israëlis, ratio illius facile constat; quia sacrificia in Israële à Jerobeamo instituta Deo minime placuerunt; sed totus ille cultus Deo fuit quam maxime exosus, vocaturque *peccatum Jerobeami qui Israëlem peccare fecit.* Sensus Ose. III. 3. 4.

Sed supponamus, hanc prophetiam etiam Judam respicere, & ad hæc dispersionis Judaicæ tempora extendendam; an exinde sequitur, templum reædificandum, integrumque illum cultum ceremonialem reducendum fore? Nihil tale in toto hoc capite, nec sequentibus, dicitur; sed solummodo, quod *revertentur*, seu convertentur, *& quærent Dominum Deum suum, & Davidem regem suum.* Ubi per *Davidem* Messiam Davidis filium intelligendum esse, non puto Virum Doct. negaturum. Prædicitur ergo post multos dies futura Israëlis conversio ad Deum & ad Messiam. Atqui illud ipsum est quod adhuc speramus, conversionem fore generalem Judæorum ad Messiam, seu Christum Jesum Dominum nostrum, quos, licet Dominum abnegaverint, adhuc propter patres diligi credimus; eoque & vocationem ipsorum aliquamdiu interruptam & ad gentes translatam, denuo reiterandam, ipsisque gratiæ ostium plenius & apertius reserandum: Unde hunc speramus fructum, ut tandem, ubi Dominum agnoverint, misericordiam consecuturi, quin & Christi nostri protectione tuti quietam & tranquillam vitam transacturi sint, absque tamen cultu illo externo & umbratili, quem ad spiritualis cultus præsentiam evanescere debuisse ipsi agnoscent. Non enim omnia de Messia prædicta simul ac semel implentur, sed suis temporibus singula. Quia itaque nondum omnia quæ Prophetis continentur impleta vident Judæi, exinde causam non habent Christum Dominum rejiciendi; sed potius ob insignia & præcipua jam in ipso completa eum ut Dominum ac Christum agnoscendi; & reliqua quæ implenda restant per sinceram fidem ac humilem obedientiam à divina gratia suo tempore exspectandi.

CAPUT V.

De Quæsiti quarti secundo membro.

Sensus Scripturæ literalis quo sensu nunquam sit rejiciendus.

ALterum Quæstionis ultimæ membrum fuit; *Ut aßignetur locus, quod fere omnia, quæ & in divina Lege & in Prophetis fuere revelata, mystice & tropologice explicare liceat, quantumvis sensus literalis omnino despiciatur.* Respondi ego: Licere mystice Legem & Prophetas explicare cum despectu sensus literalis, nunquam ego concesserim: E contra credo, semper & ante omnia sensum literalem religiosè esse investigandum, neque eum ullo prætextu posse rejici aut præteriri. Objicit mihi Vir Doct. *Christianos tamen plurima mystice explicare, despecto sensu literali; si enim nunquam sensus literalis rejiciatur, templum illud ab Ezechiele depictum cum suis porticis & mensuris aliquando realiter construetur, & bellum Gog & Magog vere continget; atque Israël carnalis, domus Jacob & Juda, in propriam patriam, quam habitaverunt patres sui, vere revertetur, &c. Sic adest clarißime in litera: Qui tamen sensus literalis à Christianis minime agnoscitur, sed illi omnia hæc mystice intelligenda docent.* Sed verborum meorum mentem Vir Doct. non recte percepisse videtur. Non enim figuratas, quæ in Scriptura occurrunt, locutiones proprie & secundum literam accipiendas esse indicare volui: Eas enim figurate accipere, non est sensum literalem deserere, sed amplecti: Certum quippe est, verba non semper eodem sensu à Scriptoribus sacris, perinde ac profanis, usurpari: ipseque Vir Doct. agnoscit, in visionibus Esaiæ, Ezechiëlis, Sachariæ, Daniëlis, aliisque, multa reperiri obscura. Qui itaque genuinum verborum sensum quærit, non quid litera præcise accepta significet, sed mentem auctoris verbis ejusmodi adhibentis investigare debet; eumque ubi detexerit, se genuinum verborum sensum indagasse certus est. Quoties in Scriptura Deus sibi os, oculos, aures, manus, pedes, &c. adscribit? An inde colligemus Deum esse corporeum, membrisque humanis præditum? Absit. Sed ea convenienter naturæ divinæ, quæ spiritus est, nihilque corporei admixtum habet, religiose explicabimus. Sic quando tempore Messiæ dicitur *mons Domini elevandus super reliquos montes, lupus habitaturus cum agno, &c. lux lunæ futura sicut lux solis, & lux solis septupliciter augenda,* & quæ his sunt affinia; anne hæc omnia prout litera sonat accipiemus, dicemusque animantia illa fera ac venenata omnem suam feritatem omneque venenum depositura, montem Domini sese erecturum ut emineat supra omnes montes, & lunæ lucem æquandam luci solis, solis vero septuplo fore auctiorem? & quæ his similia plura occurrunt. Nonne ipsa ratio nos redarguet, & figuratam esse dictionem evincet? Ita plura in Prophetarum scriptis occurrunt, locutione figuratâ enuntiata, quorum sensus ex mente autoris dijudicandus est; illa vero indaganda attentâ consideratione omnium quæ autor dicit, non autem lacinia hinc illinc decerpenda. Eodem modo quando Prophetis visio quædam offertur, non credendum est semper, rem ita reverâ contigisse, aut eventuram, prout visio repræsentat: verum illam in eâ tanquam in emblemate repræsentari. Talis fuit visio Michæ I. *Reg.* XXII. quæ non exprimebat ipsum Israëlem &

Dei

Dei deliberationem, prout revera se habebat; sed tanquam in emblemate repræsentabat miserum Israëlis statum, & Dei decretum de Achabo perdendo, idque per falsorum prophetarum deceptionem efficiendo. Similia plura occurrunt in Prophetis; quæ si eodem modo explicentur, à genuina autoris mente minime aberratur.

Dixi tamen, *sensum literalem nullo prætextu rejici debere.* Verum est: Sed quando verba figurate enuntiata etiam figurate explicantur, sensus literalis non rejicitur, sed servatur. Cum hoc scriberem, respexi ad interpretes quosdam Christianos, qui pleraque Prophetarum vaticinia (quæ olim secundum literam complementum suum habuerunt, licet non secundum omnimodam promissionis divinæ latitudinem; sensu vero secundo ac mystico in Christo Domino nostro sunt impleta, & quidem perfectissimo modo, literæ sensu in amplitudine sua accepto) neglecto sensu literali mystice interpretantur, ac directe & sensu primo Christum Dominum designare urgent. Hosce genuinum Prophetiarum sensum minime assequi, neque Apostolorum verba, quando Prophetarum dicta in Christo impleta scribunt, neutiquam assecutos credo. Intentio autem mea nequaquam fuit, nullam in Prophetarum sermonibus occurrere figuratam dictionem. Quin ipsa ratio eam admittere jubet: Prædicuntur enim ab Israële extorre & exule ceremoniæ legales observandæ, quarum maxima pars terræ Canaan & civitati Hierusalem alligata erat. Manifestum itaque est, Deum hac locutione se accommodasse statui populi, & religionis tunc vigentis, & figurata locutione adumbrare voluisse cultum, quem Messias præscripturus esset. Messiæ regnum prædicitur: sed simul variæ Messiæ afflictiones, quin & mors violenta: Manifestum itaque est, hæc non de regno terreno accipienda, quod Messias ita miserabili obitu exstinctus erigere nequit; sed ut duo hæc apte concilientur, de regno cælesti, ad quod Messias per mortem cruentam contendet: uti antea fusius ostendimus. *Quomodo prophetiæ explicandæ.*

Unde sequitur, quæ de Israëlis restitutione prædicuntur (quanquam certum est plurimas de eadem prædictiones captivitatis Babylonicæ tempora respicere) consentanee Messiæ regno esse explicanda, & præcipue de spirituali ad Messiam congregatione & fælicitate accipienda. Dicet forte Vir Doct. nos æqualia hic gentibus cum Judæis adscribere privilegia, cum tamen gentes ad Judæos dicantur congregandæ. Sed vero hæc non pugnant. Euangelium quippe, quod statum hunc fælicem promittit, primo Judæis annuntiatum est, ex iisque Ecclesia collecta: postea, rejicientibus Euangelium plurimis ex gente Judæa, propagatum est ad gentes, illæque ad Ecclesiam illam primitivam Judæorum sunt aggregatæ, & tanquam rami sylvestres oleæ insiti, & in unam cum ipsis coaluerunt Ecclesiam. *Quid intelligendum per restitutionem Israëlis.*

Templum Ezechiëli in visione repræsentatum credibile est fuisse imaginem templi, quale fuit Hierosolymis, cum à rege Nebucadnezare fuit destructum: ejusque idea Ezechiëli est repræsentata, & accurate ab ipso descripta, ut Judæi redeuntes, quantum facultatum & temporum angustia permisit, ad instar illius templum reædificarent. Nec obstat, quod descriptio hæc aliquatenus recedat à descriptione templi Salomonici: Credibile quippe est, reges Judæ, qui per aliquot sæcula Salomoni successerunt, ex amplis illis donariis & annuis tributis templum illud exornasse, & occasione ita ferente amplificasse & augustius reddidisse: perinde uti templum secundum à Sorobabele exstructum postea ab Herode admodum amplificatum, ornatum, multoque augustius redditum est. *Quodnam templum Ezechiëli fuerit repræsentatum.*

est. Nequaquam enim verisimile est, Deum Ezechieli repræsentasse templum, ad cujus ideam post bis mille ac amplius annorum decursum templum sibi exstrui vellet; nullam autem templi mox ab exulibus in patriam reversuris exstruendi mentionem fecisse, aut ideam exhibuisse. Quid quod Haggæus *cap. II.* satis manifeste indicet, post templum illud secundum aliud tertium ædificandum non esse; dicit quippe Deus, se templum illud *repleturum gloria, quæ prioris templi gloriam excedat*; ac *pacem in eo templo daturum*; cumque hoc continget, se *cælum, terram, mare & aridam commoturum*; imo se hoc *semel* tantum facturum. Quæ omnia arguunt, post illius templi excidium alterius tertii constructionem exspectandam non posse.

De prælio Gog & Magog.

Quid sit illud prælium Gog & Magog me non intelligere ingenue fateor. Multæ tamen sunt in illa Prophetia circumstantiæ, quæ figuratam locutionem admittere suadent: ut, quod tempore adventus Gog pisces maris, volucres cæli, &c. à facie Dei commovebuntur, montes subvertentur, &c. quod septem menses impendent sepulturæ interfectorum in exercitu Gog, & quæ his sunt similia. Verum in eo non vertitur cardo rei, licet in prophetia hac quædam remaneat obscuritas, quæ penitus elucidari nequeat.

Pro arbitrio non licet sensum mysticum fingere.

Agnoscit Vir Doct. *Doctores suos, tam antiquos quam hodiernos, plurima mystica magna cum subtilitate ex sacra litera deducere, nunquam tamen sensum literalem deseruisse, neque ea mystica novum in religione dogma constituisse, aut à Deo constitutum mutavisse: Quod nunquam licebit; quia hæ tantum cogitationes humanæ sunt, quæ de sensu literali sacra pagina nil debent vel mutare, vel detrahere.* Rectissime illud & verissime dictum est: Nunquam enim luxurianti hominis ingenio ea auctoritas concedi debet, ut sensu literali Scripturæ neglecto aut repudiato explicationes mysticas pro arbitrio fingat: Hac enim ratione janua panditur quibusvis commentis, insulsis ac absurdis fabulis, veritatem divinam commaculandi. Sed vero quid hoc contra religionem Christianam?

De explicationibus Prophetarum mysticis in Evangelio.

Ait Vir Doct. *Christianismus, cum novæ revelationi fidem adhibeat, talis est, & sacram literam juxta Evangelicum sensum tenetur intelligere.* Resp. Sensus Evangelicus literalem sacræ literæ sensum non evertit, sed eum præsupponit, uti jam ostendimus: solummodo docet, Deum sensum sublimiorem sub Prophetarum verbis occultasse, quem tempore constituto revelasset; Deumque, cum verbis istis uteretur, sensum illum secundum & mysticum respexisse, quod eventus, aptissime verbis divinis respondens, luculentissime comprobavit. Nec pro arbitrio sensus ille ab Apostolis Domini est excogitatus, sed ab eodem Spiritu Sancto, cujus instinctu & afflatu sancti Dei Prophetæ oracula sua ediderunt, dictatus. Adeo ut de illius interpretationis mysticæ non minus quam ipsius oraculi inspiratione divina persuasi sint Christiani: quod ex iis quæ mox dicenda sunt evidenter liquebit. Quod attinet figuratas locutiones, illæ ex circumstantiis dignosci possunt, neque necesse est iis, quæ paulo ante dicta sunt, hic quicquam addi.

Necesse non est, ut Deus prædixerit, eas locum habituras,

Verum urget Vir Doct. *ut ostendatur locus, ubi Deus prædixerit, quod aliquando tales sensus mysticos permissurus erat, ex quibus nova religionis dogmata constituerentur, vel tales sensus futuros insinuaverit pro adventu Messiæ.* Jure id exigeretur, siquidem Apostoli pro arbitrio & proprio marte mysticas illas Scripturæ explicationes excogitassent:

Non

non autem, quando Spiritus Sancti instinctu & revelatione eas tradiderunt. Idem quippe Spiritus, qui oracula Prophetis inspiravit, Apostolos docere potuit, res olim gestas typos fuisse Christi, eorumque quæ ipsi contigerunt; ideoque Deum duplicem oraculis istis comprehendisse sensum, literalem unum, in typo olim, sed imperfecte, impletum: mysticum alterum, in Christo, & quidem perfecte, implendum: Quem sensum & verba ipsa Prophetarum nonnunquam insinuant, cum illustrius quid quam olim impletum fuit continent, si genuinam verborum significationem attendamus: Licet etiam aliquando tota verborum vis in typo exhausta appareat, ac proinde nos augustiorem sub verborum illorum cortice sensum latere nunquam cognovissemus, nisi cum Apostolis revelare Spiritui Sancto placuisset. Non jam loquor de locutionibus figuratis, quæ ex ipsa verborum contextura dignosci possunt, & de quibus antea satis dictum est.

CAPUT VI.

De argumentis quibus Legis & Euangelii divinitas comprobatur.

Illud ergo unum inquirendum restat; utrum Apostoli Spiritus Sancti afflatu nobis mysticum prophetiarum sensum aperuerint? quo evicto, nihil amplius restabit, quod eorum explicationibus objici possit. Sive enim Deus antea per Mosen seu Prophetas præmonuerit, duplicem verbis suis inesse sensum, & utrumque simul patefecerit; sive post mystici sensus impletionem per Apostolos eum demum revelaverit, res eodem redit. Utrobique enim occurrit autoritas divina.

Ut controversiam eò deducerem, atque ita de summâ rei amica inter nos disceptatio institueretur, responsionibus meis ad quæsita Viri Doct. hanc subjunxi quæstionem: ***Quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant prophetam & legislatorem divinum?*** Profert Vir Doct. duo argumenta, continuam patrum, quibus Deus se ac Mosen servum suum clare manifestavit, traditionem per filios ad hanc usque ætatem constantissime propagatam; & prædictiones Mosis de futuris contingentibus, quæ à nemine cognosci possunt nisi à Deo, & cui ea Deus voluerit revelare. Verum quoniam hæc argumenta judicio Viri Doct. sufficiunt ad probandum Mosis missionem divinam; Quæro ulterius, quæ causa esse possit, cur Judæi, Mosen agnoscentes Prophetam divinum, Jesum Dominum nostrum agnoscere recusent, cum omnia, quibus Mosis divina missio comprobari potest, multò illustriora sint in Jesu Christo? Quod ne dicere tantum videar, age comparationem instituamus inter Mosen & Christum, ratione eorum quæ Vir Doct. profert argumentorum, & mox Christi præ Mose prærogativa apparebit.

Iisdem argumentis quibus Mosis, validius Jesu Christi missio divina comprobatur.

Dicit primo Vir Doct. meis verbis, ***Deum adeo clare se Israëli manifestasse, ut ejus existentiam in dubium vocare non possent:*** Ex quibus porro hanc elicit conclusionem:

Mosis missio adstruenda apud Limburgum.

nem : *Cum vero eadem media, per quæ ita clare se manifestavit, etiam Mosen divinum Prophetam & Legislatorem probaverint, non magis poterant Israëlitæ prophetiam Mosis in dubium vocare, quam Dei existentiam.* Sed vero ego hæc ut Christianus, qui divinam librorum Veteris Testamenti autoritatem agnoscit, scripsi, respondens Viri Doct. quæsito. Nunc autem quando quæro, quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant Prophetam divinum, non quæsivi, quibus argumentis Mosis divina missio apud Christianum, suppositis iis quæ Christianus agnoscit, probetur; sed apud hominem eam plane rejicientem, apud quem quæ Christianus una cum Judæo admittit probanda sunt; perinde uti mihi Christianæ religionis divinitas apud Judæum eam repudiantem adstruenda est.

Eam comprobant I. miracula.

Sed age, primo supponentes librorum Veteris Testamenti divinitatem, consideremus paulo penitius illa media, quibus se Deus Israëli revelavit. Præter communia illa omnibus hominibus principia, quibus ex operum divinorum contemplatione cognoscimus existentiam divinam, præter traditionem, qua certi reddebantur Deum patribus suis Abrahamo, Isaaco & Jacobo locutum, accessere varia illustria ac vere stupenda miracula Mosis, & gloriosa cum Deo in monte Sinaï collocutio; quibus conspectis, nec de existentia Dei, nec de Mosis missione divina ambigere potuerunt. Miracula quippe omnem naturæ creatæ virtutem superantia indubium sunt missionis divinæ argumentum.

J. Christi miracula sunt plura ac majora miraculis Mosis.

Verum hisce Jesus noster Mose multo est illustrior, neque Mosis miracula ulla ratione cum Jesu Christi miraculis comparari possunt. Sive enim numerum spectes: Mosis miracula fuere pauca: ad summum enumerantur à Judæis septuaginta sex: Jesu Christi vero innumera. Sive ipsa miracula: Mosis fuere in certas tantum creaturas: Jesu Christi universalia in quascunque, in mare, ventos, diabolos, morbos omniumque morborum genera, quin & mortem ipsam: Neque momentanea & subito evanescentia, uti miracula Mosis; sed permanentia, quorumque effecta continuo in hominum oculis versabantur. Moses plerumque necesse habuit exspectare jussum Dei ut miraculum ederet: Jesus solo verbo sua fecit miracula, & cum autoritate quadam. Quin & discipulis suis dedit potestatem miracula faciendi in nomine suo: qui & omnia sua miracula in nomine Christi, & potestate à Christo accepta se facere constantissime professi sunt. Tandem ipse Dominus Jesus tertio diè à Deo Patre è morte suscitatus est, post suscitationem suam redivivus conspectus discipulis suis, iisque adspectantibus in cælum sublatus: unde decimo post diè Spiritum Sanctum effudit in Apostolos, quos Euangelii sui per totum orbem elegerat præcones. Hæc adeo illustria sunt & divina, ut omnia quæ de Mose narrat historia sacra longe his sint inferiora, ac nullo modo cum iis comparari queant: Ne ipsa quidem illa, quam Vir Doct. vocat, *quasi visio beatifica, quasi intuitiva notitia*, qua populus Israël Mosen vidit montem Sinai adscendentem, ut cum Deo loqueretur, ab eoque Legem acciperet.

Veritas historiæ Evangelicæ validioribus argumentis, quam Vet. Test. comprobatur.

Prævidit Vir Doct. hoc me ipsum argumento oppugnaturum, itaque tacite illud præoccupare volens, innuit magnum intercedere discrimen inter gentem suam aliasque ratione traditionis, qua certitudo de veritate rei gestæ nitatur. Suos enim constanti patrum suorum, de quibus neutiquam credibile est quod filios suos decipere voluerint, traditione

traditione plenissime esse persuasos : Gentes vero niti solummodo testimonio ac traditione hominum alterius nationis, quorum traditio certa non est : quoniam variis rationibus impelli possint ut alios fallant : qui ita decepti porro alios fallunt. Quod exemplo gentium, quarum idololatria ex una gente in aliam est propagata, nec non confictis monachorum miraculis, quibus tamen plurimi temeraria credulitate misere decepti sunt, latius confirmat. Concedo omnia hæc fieri potuisse, & aliquoties contigisse : Verum quid hæc ad Christianismum ? Rationes habemus Christiani non minus solidas, imo solidiores, quam Judæi, quod traditio de doctrina ac miraculis Jesu Christi, quæ historia Euangelica continetur, sincere & incorrupte sit conscripta, & ad nos propagata.

Illius scriptores de veritate historiæ quam scribunt fuisse persuasi.

Illius scriptores de rei gestæ quam narrant veritate plenissime persuasos fuisse, ipsa, quam nobis reliquerunt, historia clamat. Non enim res procul in longinquis ac dissitis regionibus gestas, aut ex incerto aliorum relatu haustas, narrant; sed quarum ipsi fuere testes oculati, quod se oculis suis vidisse, auribus audivisse, ac manibus palpasse testantur. Non ergo hic aliorum figmentis decepti fuere, sed certi, aut verum esse quod scribebant, aut falsum. Et siquidem falsum literis consignarunt, non errore aliquo lapsi sunt, sed malitia, intendentes totum humanum genus mendacio à se conficto in errorem abducere. Atqui tot sunt argumenta, & tam evidentia quæ contrarium evincunt, ut hoc de iis suspicari nefas sit.

Voluerunt etiam vera scribere.

Fuere enim homines plebeii & idiotæ, piscatores manuum labore victum tolerantes, qui, etiamsi voluissent, fabulam ita apte secum cohærentem & per omnia sibi respondentem excogitare non potuissent; multo minus sperare, se eam toti mundo persuadere posse. Res enim scribebant ea qua vivebant regione gestas coram oculis hominum innumerabilium adhuc vitali aura fruentium; quorum consentientibus suffragiis, siquidem mentiti fuissent, statim mendacii coargui potuissent: atque ita statim omnis ipsorum impostura concidisset. Fuere præterea homines pii vitæque inculpatæ, quos nunquam criminis adeo enormis ac mendacii tam detestandi coram Senatu accusatos, multo minus convictos, constat. Sed vero supponamus fuisse acuti ingenii homines, & mendacium aptis coloribus adornare potuisse; quid tali mendacio intendissent ? Num sibi spectassent famam ac honores ? Sed quid ex infami adeo mendacio exspectare poterant, præter infamiam summumque dedecus ? An divitias ac opes ? Sed contraria omnia sibi evenire quotidie videbant, & tamen ad mortem usque in ea professione constantes manserunt, potuissentque sola illius abnegatione mortem redimere. Anne hoc cadere potest in sani cerebri homines, ut ob mendacium mortem ultro oppetant, malintque dirissimo quovis perire supplicio, quam mendacium ingenue confiteri ? Nec est quod objicias, præter exspectationem hoc ipsis evenisse : Habebant enim exemplum in magistro suo cruci affixo : ad crucem erant à Domino suo vocati : quin & graves ipsi sustinebant persecutiones, easque quotidie ingravescere percipiebant, omnesque suos auditores ac discipulos ad tolerantiam crucis hortabantur. Quæ omnia arguunt animum non tantum de veritate eorum quæ annuntiat plenissime persuasum, sed & sincerum, & ab omni fraude ac fuco alienum.

Æque valida pro lege adferri non possunt.

Consideremus nunc, an Judæi æqualibus argumentis apud Ethnicos & incredulos Mosis divinam missionem adstruere possint. Quid si Ethnicus totam Mosis historiam in dubium

in dubium revocet, negetque ullum unquam exstitisse Mosen; quibus argumentis convinci poterit? Quid si concedat, Mosen quidem exstitisse, sed miracula ejus in dubium vocet, dicatque hominem fuisse sagacem & versipellem, uti Ethnici calumniari solent, qui astu Israëlitas circumduxit, sibi dominatum in populum quæsivit, & pro miraculis venditavit, quæ vere miracula non erant, sed illusiones & fallaciæ ingenii sagacitate excogitatæ; uti inter alios Tacitus: quibus argumentis eum convincent? An ulla habent, quæ cum argumentis, quibus historiæ Novi Testamenti veritatem adstruxi, comparari possunt? Nulli sunt scriptores coævi, qui de Mose testimonium perhibent: plures autem, non Christiani tantum, sed & Ethnici illo circiter tempore viventes, ac religioni Christianæ insensissimi, qui Christum exstitisse ac in Judæa docuisse consentientibus testimoniis agnoscunt, & confirmant. Consideret nunc Vir Doct., an ullum possit excogitare argumentum, quo suæ Legis divinitatem adstruat, quod non multo illustrius Euangelii divinitatem evincat.

Veritas traditionis Judaicæ in sua origine probari debet.

Unicum est, in quo se Vir Doct. triumphare putat, desumtum *à continua patrum in filios in hanc usque ætatem propagatione, quos credibile non est quod filios suos decipere voluerint: traditiones autem gentis unius in aliam non esse certas: talibus autem niti Christianos.* Verum quam imbelle hoc sit argumentum plenius paulo ostendere lubet. Primo ait, *traditio hæc falsa esse non potest, supposito quod in sua origine & radice adeo vera fuit, ut non possit in dubium vocari.* Verum hoc non supponendum, sed probandum est. Ego id quidem in responsione mea ad Viri Doct. quæstiones affirmavi; quoniam ut Christianus divinam librorum Veteris Testamenti autoritatem agnosco: Sed quando ego quæro, quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant Prophetam & Legislatorem divinum, ejusmodi requiro argumenta, quæ apud hominem, nondum divinam Mosis autoritatem agnoscentem, adhiberi possunt. Hic supponi non debet, quod Christianus ultro concedit. Quæro ergo, quibus argumentis Judæus moveatur, ut credat, traditionem illam in sua origine esse veram & indubitatam? Vertat se Vir Doct. in omnes formas, nulla poterit proferre argumenta, quin à Christiano multo facilius ac fælicius ad Euangelii divinitatem comprobandum adhiberi possint.

Propagatio traditionis à patribus in filios non certo probat illius veritatem in sua origine.

Quia traditio hæc à patribus propagata est ad filios continua & non interrupta successione, sufficiens illius veritatem adstruendi probatio non est. Verum quidem est, efficax in liberis præjudicium, quod vix evelli potest, exoritur ex traditione parentum, quod liberi jam ab infantia in religione patrum sunt enutriti, & assidua consuetudine amorem ejus imbiberunt: quod præjudicium exinde valide confirmatur, quia credibile non est, patres ulla fraude filios suos, quorum salutem amant, circumducere velle: quo argumento etiam Vir Doct. pugnat. Verum scire debet, nihil adeo esse fabulosum, quin à filiis hoc præjudicio fascinatis avide ex parentum traditione arripiatur & altissime imbibatur. Non opus est alio argumento, quam experientia. Omnes nationes cultibus & consuetudinibus à parentibus acceptis pertinacissime adhærent, & absurdissima dogmata, quia à parentibus hausta, ut veritates indubitatas acriter propugnant. Verum quidem est, credibile non esse, parentes filios suos per fraudem, quam judicant ipsis exitiosam, circumducere velle: Sed si quis objiciat, parentes Judæorum, duce Mose, in fraudem conspirasse, aut à Mose esse deceptos; perinde uti Romani sub

Numa

Numa Pompilio, non ut filiis exitium crearent, sed bonum filiorum publicum procurarent: quod nempe considerantes sine legum observatione nullam posse consistere rempublicam, ut legibus communi consensu constitutis reverentiam conciliarent, eas ut à Deo acceptas filiis tradiderint, atque ita æternitati consecrare voluerint? Quibus argumentis ejusmodi hominem convincet? His accedit, quod parentes Judæorum liberis suis sæpe falsam tradiderint religionem. Quotiescunque in libro Judicum leguntur lapsi & relapsi ad idolorum cultum? quem parentes idololatras porro filiis suis inculcasse, quis negare sustinebit? Præsertim in magna illa decem tribuum sub Jerobeamo defectione, quæ per aliquot duravit sæcula, parentes liberis suis falsam tradidere religionem, quæ ex parentum traditione hausta à liberis pertinacissime fuit conservata. Num propterea liberi in eâ, tanquam vera & à Deo profecta, secure acquiescere potuerunt? Non magis quam Romani in cultibus à Numa institutis, quos à patribus acceptos pertinacissime per multa sæcula conservarent; donec Euangelii luce cultus illi falsi conciderunt. Tandem Judæi à patribus suis legem oralem acceperunt; quam tamen nec à Deo Mosi, nec à Mose Israëli traditam, ac proinde non à primis illis patribus ad posteros propagatam, sed posterioris ævi esse commentum, validissimis argumentis comprobari potest. Illam tamen Legi Mosis scriptæ si non præferunt, æquant saltem Judæi. Ita videmus, nihil proclivius esse, quam filios à parentibus in errores induci.

Certius probatur, propagata à gente in gentem.

Quando vero religio ex unâ gente in aliam propagatur, non æquale deceptionis est periculum. Cavent sibi homines ab extraneo & ignoto, præsertim novæ & antea inauditæ & à majoribus receptæ religioni repugnantis doctrinæ annuntiatore: tum & singulis gentibus diversa non tantum sunt studia & mores, sed & directe adversantia commoda & negotia: quare caute admodum solent explorare extraneorum doctrinas; præsertim si præcepta contineant carni ingrata, commodis hujus mundi non alliciant, sed potius omni malorum genere homines deterreant. Talis religio si propagetur à gente in gentem, multo se credibiliorem ostendit, quam quæ à parentibus solummodo in filios propagatur. Fieri enim nequit, ut illa se commendet, nisi doctrinæ sanctitate, & miraculorum, quæ ad ejus confirmationem facta sunt, gloria.

Mirabilis doctrinæ Christianæ progressus miraculorum veritatem confirmat.

Et sane mirabilis doctrinæ Christianæ progressus veritatem miraculorum, quibus confirmata narratur, sole meridiano clarius demonstrat. Pauci quippe homines, viles & abjecti, nulla eruditione aut arte dicendi instructi, nulla potentia humana armati, doctrinâ, carni humanæ ingrata, dura, ac difficilia præscribente, paucos intra annos totum terrarum orbem repleverunt, omnisque generis homines ad fidem illius perduxerunt, non rudes tantum & plebeios, sed & eruditissimos, prudentissimos, & maxime potentes; adeo ut, relictis patriis religionibus in quibus nati & educati erant (erga quas quam valida sint præjudicia ipse Vir Doct. hoc suo argumento luculente testatur, quia in animum suum inducere nolunt homines quicquam falsi sibi à parentibus traditum) certatim hanc doctrinam sint amplexi; non tantum nulla commodi terreni spe allecti, sed ne gravissimorum quidem suppliciorum metu deterriti; illamque fidem ac confessionem morte dirissima obsignârint. Hoc qui absque miraculis factum esse dicit, is miracula tollendo multo majus ponit miraculum. Paucos enim & rudes homines tali doctrina quosvis potuisse imbuere absque miraculis, multo majus esset

 miracu-

miraculum, quam miracula quæ ab ipsis facta narrantur.

Falsa doctrina potentia mundana propagantur.

Quid simile invenies in Ethnicis, quorum sacra adeo sunt diversa, ut unaquæque gens cultu gaudeat peculiari, & religionibus contrariis: sola vi armata ac potentia mundana fulciuntur, quibusque tanquam fulcris suis destituta statim collapsa sunt & evanuerunt? Quid hisce conferri merentur Monachorum ficta miracula, quæ lucem non ferunt, sed pleraque in occulto fieri dicuntur, nec diligentis inquisitoris examen ferre possunt, sed mox fraudis ac mendacii arguuntur? imo quæ fraudis convicta ipsis impune cedunt, fraudis autem convincere nulli tutum est, uti ipse Vir Doct. agnoscit. Ut alia nunc prætermittam.

Libri N. Test. incorrupti ad nos pervenerunt.

Nec in doctrinæ Christianæ ad nos usque propagatione minor est certitudo. Libros enim sacros, quibus rei gestæ historia ab ipsis Apostolis consignata est, sinceros & incorruptos ad nos pervenisse, certiore multo documento nobis constare potest, quam Judæis de Veteris Testamenti libris. Fuere enim libri Novi Testamenti mox per omnes terras ac populos dispersi, in varias conversi linguas, & tamen mirus omnibus in exemplaribus est consensus. Anne credibile est, etiamsi exemplaria librorum Novi Testamenti Apostolorum sectatores mutare voluissent, tot homines, in regionibus adeo remotis, ita potuisse conspirare, ut omnia exemplaria, nullo excepto, depravarent? & tam consentiente impostura, ut nulla alicujus momenti in tot exemplaribus reperiatur diversitas? Fieri hoc potest, quando in una tantum gente sacri codices asservantur: ut autem tot gentes unanimiter in eandem mutationem conspirent, impossibile est. Præterquam quod diversa gentium studia, & commoda unius alteri adversa, conspirationem in eandem fraudem non permittant. Quibus adde, inhumanum admodum esse ac durum, tot hominibus, per totum terrarum orbem dispersis, quique mortem etiam atrocissimam præferunt abnegationi professionis suæ, tantam adscribere impietatem, ut libros, quibus salutarem doctrinam contineri credunt, fraudulenter vitiare velint. Absit tale nefas.

Æque valide id de libris Vet. Test. ostendi nequit.

Potestne Vir Doct. simili argumento convincere, libros Mosis incorruptos, prout ab ipso Mose scripti sunt, ad nos pervenisse? Quid si aliquis contendat, libros Mosis in captivitate Babylonica interiisse; à piis vero quibusdam lacinias quasdam conservatas, quæ à reducibus ex captivitate sunt congestæ, & à Synedrio magno præside Esdra in unum volumen collectæ; uti notum est, plures in ea esse sententia, & varia occurrere in Scriptura quæ opinioni huic favere videntur: An posset Vir Doct. librorum Mosis γνησιότητα adstruere aliquo argumento, quod certitudine ac evidentia cum eo, quo ego Novi Testamenti libros esse genuinos & incorruptos adstruxi, ullo modo certare possit? Tale ego argumentum requiro.

2. Prædictiones futurorum. In illis J. Christus etiam superior est Mose.

Alterum Viri Doct. argumentum est, quod *Moses spiritu prophetico futura contingentia prædixerit.* Verum & in hoc argumento Dominus noster Mosen longo post se intervallo relinquit. Prædixit quippe varia, tam seipsum, quam Ecclesiam aut fideles suos concernentia. Cum adhuc summa in existimatione esset, se mortis supplicio afficiendum prædixit, & quidem, quando, à quibus, & quo mortis genere. *Matth.* XVI, 21. præterea, se à discipulo suo prodendum, *Joan.* VI, 70. *Matth.* XXVI, 21. à Petro, qui omnes zelo antecellebat, ter eâ qua caperetur nocte abnegandum, *ibid. vers.* 34. prædixit crucem & afflictionem suorum, & speciatim Petro quo mortis genere esset in-

terimendus,

terimendus, *Joan.* XXI. 18. summasque ob doctrinam suam exorituras contentiones, non aliter ac si gladium non pacem missurus in terram venisset: ac nihilominus tam arcte ac constanter sibi adhæsuros suos fideles, ut charissima pignora, parentes, uxorem, liberos, deserere malint quam fidei suæ professionem, *Matth.* X. 34. *& seq.* Quæ ita contigisse eventus docuit. Hierosolymorum excidium, quadraginta antequam exscinderetur annis, cum maxime adhuc floreret, ita exacte prædixit, cum omnibus suis circumstantiis, ut magis rei gestæ historiam, quam rei futuræ prædictionem verba ejus continere videantur; tum & varia Ecclesiæ suæ statum concernentia, adventum pseudoprophetarum, aliaque plura: quæ omnia legere licet *Matth.* XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI. Potissimum vero resurrectionem suam ex morte tertio die prædixit, *Matth.* XII. 39, 40. quæ cum ita contigerit, indubitatum divinitatis doctrinæ ipsius est argumentum. Fieri enim non potest, ut Deus impostorem, qui falso se à Deo missum jactet, & missionis suæ divinæ argumentum rogatus, ad resurrectionem suam tanquam irrefragabile argumentum provocavit, ex morte suscitet, signoque hoc omnium illustrissimo gloriosum reddat. Quid enim hoc esset, nisi mendacio autoritatem conciliare, & imposturam homini pio ac salutis studioso reddere inevitabilem? Quod cum de divina sanctitate cogitare sit nefas, ex hac Domini prædictione eamque secuta resurrectione, doctrinæ ipsius divinitas argumento omni exceptione majore comprobatur. Tandem & prædixit ultimum judicium, suumque ad judicium illud adventum, *Matth.* XXV. Quod quidem nondum impletum est, sed suo tempore implendum exspectamus.

Neque ipse tantum futura prædixit, sed & Spiritu suo cælitus in Apostolos demisso multa ipsis futura revelavit, quorum prædictiones, prout in scriptis ipsorum leguntur, eventus comprobavit: Non tantum adventum falsorum doctorum, sed & dogmatum quæ disseminaturi forent, 1. *Timoth.* IV. 1, 2, 3. præsertim defectionem illam magnam per ἄνομον illum & hominem peccati, 2. *Thess.* II. Quibus adde integrum Apocalypseos librum, nil nisi prophetias continentem; quarum aliquæ, præsertim quæ septem Asiæ Ecclesiarum statum respiciunt, jam suum habuere complementum, nobisque documento sunt, etiam reliquas nondum impletas suo tempore complementum habituras. *Etiam per Apostolos suos multa prædixit.*

Alia jam non addo, demonstrasse contentus, omnibus argumentis, quibus Vir Doct. Mosis divinam missionem adstruit, Dominum nostrum Jesum Christum Mose longe superiorem esse: Ac proinde nullam esse causam, cur Judæi, qui hisce inducti argumentis Mosen agnoscunt prophetam & legislatorem divinum, Dominum Jesum, omnibus hisce Mose superiorem, non pariter recipiant ut eximium à Deo missum prophetam, ac doctrinam ejus ut divinam amplectantur. Hic ergo pedem figamus, & fundamenta quibus Christiana religio nititur conferamus cum fundamentis Judaismi; ex iis facile liquebit, eos, qui Mosen recipiunt, nullam habere causam, cur non & simul Jesum Christum recipiant. Quo adstructo, simul evincetur, mysticum & spiritualem prophetiarum sensum, hactenus occultum & latentem, à Deo Apostolis fuisse revelatum, ac potuisse eos ipsum fidelibus aperire: Non proprie eum in finem, ut eorum evidentia infideles convincant; paucas enim eum in finem urgent prophetias, sed ordinarie ad miracula Jesu Christi, ac potissimum ejus resurrectionem, provocant: Verum ut, quibus jam per miracula doctrinæ Christianæ divinitas erat persuasa, iis porro, apertione *Conclusio.*

sensuum

sensuum Scripturæ hactenus latentium, repræsentarent summam Dei sapientiam, qui omnia, quæ nunc in Christo impleta videmus, olim variis in typis, tanquam in pictura, delineavit, atque ea ratione ostendit, omnia quæ in populo suo directione sua contigissent, propter Messiam esse facta, eumque illustrissimis personis gestisque maxime eximiis fuisse præfiguratum: de quo exacta illa inter typos & Christum antitypum convenientia omnes, qui, deposito præjudicio & affectu, animo pio ac docili prophetias & res gestas cum Christo conferunt, persuasissimos reddere potest, omnemque animis ipsorum eximere dubitationem. Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, Pater Domini nostri Jesu Christi, per immensam suam misericordiam velamen cordibus Judæorum impositum auferat, ut nobiscum Jesum Christum Dominum confiteantur, atque ita in eo omnium prophetiarum typorumque, tanquam in perfectissimo exemplari, complementum agnoscant.



TER-

TERTIUM
SCRIPTUM
JUDÆI.

Motivum istius Scripti.



A Primordiis Christianæ Ecclesiæ usque in hoc sæculum, omnes Christiani Doctores Israëlem acerrimè accusant, quod Messiam jam adventum non crediderit, neque ipsius Euangelio fidem præstiterit: Quæ infidelitatis contumacia unica fuit nostræ ruinæ causa, ob eamque in hac diuturna captivitate detinemur, quousque Messiam agnoscentes, eumque adorantes ab incredulitate resipiscamus. Cum verò ex Euangelio (quod nunquam admisimus) testimonia contra Judæos inutiliter afferantur, atque Euangelium ipsum ex Vetere Testamento suam veritatem probaverit; ex eo hanc fidem nobis ad salutem necessariam suadere contendunt, multaque ex eisdem sacris scriptis testimonia congerunt, quibus planè nos convictos existimant, nisi nostra obstiterit pertinacia. Cum autem totum Vetus Testamentum avidus exscrutarer, neque testimonium aliquod occurreret, quo talis fides in Messiam, ut unicum ad salutem medium, exprimeretur; Quærebam à Clarissimo Viro: An talis textus designari posset, in quo Deus hanc fidem Israëlem præmonuerit? An alicubi talem infidelitatem nostræ ruinæ futuram causam prædixerit? Respondit Doct. Vir, hos, quos petebam, textus in toto V. Test. non clarè extare; & acutissimè contendit, quod non erat necessarium Deum id Israëlem clarè præmonuisse; sed omninò sufficere promisisse Messiam, ut ei plenam, sicuti antea Mosi, fidem adhiberet. Huic responsioni ut pro viribus satisfacere possem, aliqua scripsi: tandem meum quæsitum in disputationem de religionis Christianæ veritate, præter intentionem, devolutum fuit; cum mihi prò responsione sufficeret, quod Doct. Vir fatetur, ex Vetere Testamento

clarè convinci non posse quod hæc fides erat unicum medium ad nostram, & totius generis humani salutem : quod nunquam Deus comminatus est Israëli de infidelitate in Messiam : quod nunquam prædixit, quod si in Messiam crediderimus, divinæ gratiæ restituemur; aliter erit semper nobis adversus.

Novam aliam responsionem subtilitate, doctrina, & sapientia plenam Doct. Vir dignatus est instituere, cui an iterum responderem, dubius hærebam, ne gravissimo viro amplius forem molestus. Certè non facerem, nisi ejus candorem & humanitatem novissem, qui & inscitiæ & audaciæ meæ, solita sua benignitate, indulgebit.

PRIMUM QUÆSITUM.

Num. I.

Quod à lapsu Adami fuit necessaria fides in Messiam.

SUpponebam ut Christianum dogma, fidem in Messiam necessariam fuisse generi humano in salutem ab Adami lapsu : Sic ex Christianis Doctoribus didiceram. Respondet Doct. Vir, non fuisse necessariam ante Messiæ adventum, neque eam Deus justè ab hominibus exigeret : saltem in sua, & suorum Doctorum opinione : (est quidem difficilis disputatio cum Christianis in tot sectas divisis, ut quod uni est orthodoxum, alteri improbabile.) Sit ita : Genus humanum ante Christi adventum nullam habuit fidem in Messiam (præter Judæos, qui obscuram, confusam, figurativam, habuisse dicuntur) tamen in lege naturæ omnes homines salvari poterant : ergo sine Messia. Huic consequentiæ occurrit Doct. Vir (ut qui non audet eam concedere) quod Deus per suam misericordiam applicabat iis mortem Messiæ : Verum ego nunquam legi, quod sine fide possint merita Messiæ alicui applicari : Ideò adhuc innocentes, pro quibus nemo Christi fidem præstitit, ad limbum æternum præcipitant Pontificii : Calvinus infidelium filios in infernum, ubi suæ innocentis infidelitatis pœnas luant : Doctissi. Viri Doctores nescio quo eos abjecerint : & hoc quare ? quia fidem in Messiam vel venturum, vel jam adventum non habuere. Sed addit Doct. Vir, quod antè Messiæ adventum Deus non justè fidem in Messiam à Judæis exigeret, cum eis satis revelatus non fuisset. Videtur quod propter eamdem rationem, qua Deus non justè exigere poterat eam fidem in Messiam, antequam veniret, etiam postquam venit à plurimis non debebat exigere : Ab priscis non ; quia non iis fuerat revelata, ut ait, atque post ejus adventum per multa sæcula usque ad nostrum, vastissimis regionibus nulla Christi notitia ad gentes pervenit : Tunc si in lege naturæ aliqui rectè viverent, an damnarentur propter infidelitatem ? Quare isti, & non qui Christi adventum præcesserunt ? An salvarentur adhuc post ejus adventum sine Christo ? An ex Dei misericordia applicabuntur iis merita Christi absque fide clara, vel obscura in eum ? Ego profectò in vestra Theologia nondum instructus, aliquid asserere non auderem. Interim liceat mihi dubitare, quare

teneutur

tenentur gentes, quantumvis barbaræ, cuilibet Christi fidem, atque miracula Apostolorum enuncianti fidem adhibere? & si primæ gentes miraculis indiguere ut crederent, quare jam non istæ? neque par ratio est de Christianis & Judæis, qui interrupta traditione, & solidis fundamentis à majoribus acceptis, nituntur. Sed quare nunc barbaræ gentes in suis ritibus semper educatæ, nostris traditionibus fidem præstabunt, eo solum quod à nobis proponantur? Ergo eadem est ratio post adventum Messiæ ac antea fuerat, respectu eorum qui nondum audiverunt, à quibus Deus talem fidem non juste exigere posset.

Num. II.

Quod fides debet adimpleri & esse juxta revelationem.

PErgit Doctissimus Vir, quod fides non nisi juxta revelationem esse debet; etenim si hæc sit clara, & aperta, talis debet esse fides de eo quod revelatur: Si autem confusa, & obscura, similem fidem ingenerat, quæ tunc erit clara & aperta, quando Prophetia suum complementum habuerit: exemplum adducit ex revelatione Abrahâmi, de terræ Kenaan possessione, qui redemptionis Israëlis circumstantias minime prænovit, neque quod Moses & Josua, miraculosis obtentis victoriis, populum in promissam terram erant introducturi. Quæ revelatio tunc clara facta fuit, quando plenè suum habuit complementum: Quod in Messiæ futuri revelatione pariter evenit, plurimis usque ad ejus adventum nec explicitis, nec intellectis.

Hæc Doctissimi Viri doctrina adeo est vera, ut à nemine possit in dubium verti. Ita debet esse fides, ut revelatio fuerit: Claræ revelationi clara fides, quamtumvis plurimæ ignorentur circumstantiæ, quæ vel obscure, vel nullatenus fuere revelatæ. Ideo neque Abraham, & ejus posteritas in Ægypto, de obtinenda terra Kenaan dubitare poterant, quia clarè, & apertè à Deo promissa fuit, & talis fuerat & Abrahami, & populi fides, & id ipsum quod clarè credebant, realiter debebat adimpleri, ne divina frustraretur promissio: Sicuti de multiplicatione seminis, & de regibus ex eo nascituris, quæ omnia ita verè adimpleta fuerunt, ut à Deo promissa, & Abrahamo, & posteris clarè credita, quibus Deus ex sua bonitate plura postea, & sublimiora largiri dignatus fuit, quæ de clara promissione nil detraxere, neque in diversos sensus mutarunt. Sic quidem est divina revelatio, ut legitur de Samuele; quod nil defecerit eorum quæ dixerat: Aliter nunquam posset Prophetiæ veritas hominibus ita innotescere, ut ejus divinitatem certò, & indubitanter assererent. Quod si ea quæ clarissimè promittuntur, quorum etiam clara fides, ita suum complementum habuerint, ut nullatenus illi fidei respondeant, neque homines aliquid realiter, & visibiliter experiantur, eorum quæ certò, & clarè crediderant, & expectabant; potius suæ expectationi prorsus contraria; quamtumvis omnia in sublimiora mutata dicantur: censereturne adimpleta esse futurorum revelatio? Non certè: sed id quod clarè promittitur, clarè, & sine aliqua mutatione adimpletur, quin obstet sublimioris effectus prætextus: Sicuti semen Abrahami realiter numerosissimè multiplicatum fuit: quod si gentes plurimæ tunc ut Abraham in Deum crederent, ejus semine penitus non multiplicato, aut fortè exstincto; semen Abrahami spirituale essent, & in ipsis revelatio de multiplicatione seminis sublimiori sensu adimpleretur, sicuti de vobis nunc creditis: Verum illa Prophetia nunquam suam dignitatem probare posset, quia non sensibile hominibus complementum appareret; cum tamen Prophetiæ ad intellectum humanum dumtaxat dirigantur, qui ex sensatis cum iis collatis, quæ fuerant promissa, hæc jam esse adimpleta dijudicat. Ejus igitur, quod de Messia clarè & apertè à Prophetis revelatum fuit,

Deut. cap. 8. vers. 18. Cap. 9. v. 5. Cap. 10. vers. 15.

fuit, claram, & minimè confusam fidem omnes Israëlitæ semper habuere. Neque clarior fuit promissio terræ Kenaan quam futuri Messiæ : & sicuti illa, ut revelata fuit, suum habuit complementum; quamvis sublimiora tunc etiam Deus largitus fuit, quæ non revelaverat, & Abrahamus, atque ejus filii ante redemptionem ignoraverant : Ita nos veram, sensibilem expectamus redemptionem, & regnum Messiæ terrenum, ut clarè fuit per Prophetas revelatum, quamvis ejus redemptionis, & regni terreni circumstantias penitus ignoremus, & quibus mediis Rex ille se manifestaturus, quomodo omnes reges, & nationes Deo & sibi subjecturus est : quæ portenta Dominus effecturus, ut totus Israël sit pro fama, & honore in terris captivitatis suæ. Hæc omnia sunt nobis ignota, quia non à Prophetis fuere prædicta. Verum hæc ignorare nil intererit, dummodo clarè revelata verè, & sensibiliter adimpleantur : & ut de iis plura dicamus Sap. V. scripta nobis amplius occasionem præbebunt : ad alia progrediamur. Dixeram quod ea quæ erant de necessitate salutis, Deus non obscurè, sed clarissime revelavit. Respondet Doctissimus Vir quod ita est, ideo fidem in Messiam, ut mediatorem, Deus ab Israële non exegerat, antè ejus adventum. Iterum ego urgeo, quod id quod erat Israëli futurum de necessitate salutis in, & post Messiæ adventum, Deus, qui ejus saluti semper consulit, ex sua infinita misericordia debebat præmonere, ut qui sciret ob futuram cæcitatem omnia promissa in suo dilecto populo frustranda fore : Neque sufficit, quod Patres ex Prophetis in Regem terrenum, qui populum ab hostibus erat liberaturus, fidem habuissent, quia hæc fides nil prorsus habet cum vero Messia mediatore, & à peccato liberatore ; hæc enim differunt, ut caro ab spiritu : Præterquam totum genus humanum præter Judæos, ea obscura fide carebat, quod licet in lege naturæ rectè viveret, absolutè damnandum erat, vel sine Christo salvari, ut supra diximus.

Num. III.

Quod Doctissimus Vir non bene me intellexerit.

PRosequitur Doct. Vir, & queritur me verba sua non benè intellexisse, ut qui non dixerit, ita per Prophetas clarè, & apertè fuisse Messiæ officia revelata, ut postea Judæi non possent ambigere, quando venit, an ille verus esset Messias antea promissus : quia si hoc dixerit sibi contrarius esset, qui semper sustinuit à Prophetis non nisi obscurè fuisse revelatum. Injusta profectò querela, quia id ego nunquam excogitavi, nec possem, cum Doctissimi Viri sententia satis clara extet in suis scriptis. Illius verò quam adducit probationis, talem ideam concepi. Non necessarium præceptum de credendo futuro Messia : quod hoc probat exemplo : Deus ita clarè se manifestavit Israëli, ut ejus existentiam non posset in dubium vocare, ideo nec necesse fuit præceptum addere de credendo Deo : subdit. Pariter de Messia. Quod ego sic intellexi : Sed Messias adeò clarè revelatus fuit Israëli quando venit, ut eum esse non posset in dubium vocare : Ergo non erat necesse fidem in eum esse præceptam ; quæ consequentia præmissis concessis, satis benè concludit, & sic debebat fieri argumentum : Ideo neque ego respondi, quod revelationes propheticæ de Messia ex sententia Doctissi. Viri fuerant ita claræ, ut Dei Israëlis in deserto : Quare hoc dicerem ? Et quæ comparatio inter Prophetiam de futuro Messia cum revelatione ipsius Dei toti Israëli præsentis : quapropter respondi, quod si sic se gessisset Deus cum Messia quando venit, aut Messias cum Israële, ut se gessit cum eo in exitu Ægypti, nunquam posset eum Messiam in dubium vocare, neque esset necessarium præceptum de credendo Messia. Ex quibus colliget Doct. Vir, quod neque ego ei imposui quod non dixerat. Neque mea verba satis comprehendit. An fides in Deum sic præ-

præceptum, vel non? Utrumque probabile ab Doctoribus censetur; id verò certum est, quod qui non crediderit in Deum peccat, & si peccat, contra aliquod Dei præceptum peccare putatur.

Num. IV.

Quod officia Messiæ satis clare fuerunt in Veteri Testamento revelata.

ADdit Clarissimus Dominus: Quod ego dixerim officia Messiæ clarissimè, & planè per divinos Prophetas fuisse enunciata: quæ ipse explicat, videlicet Regnum Israëlis restituturum, in throno Davidis sessurum, &c.

Addit quod non revelata fuit istius Regni ratio, & quomodo futurum erat, ita clarè, & perspicuè, ut in dubium verti non posset quando veniret.

Sed hoc videtur dubitationem affectare in re alias clarissima. Promittitur futurus Rex in throno Davidis; an hoc est obscurum? An David habuit thronum in cœlo? Poterant etiam Prophetæ prædicere Messiam obtenturum Romani Cæsaris regnum: An postea posset dici id intelligendum de regno Cæsaris in cælo? Quippe non magis fuit in cœlo regnum Davidis, quam Cæsaris: Estne intellectu difficile, aut obscure dictum ut dubitationi locus supersit, prædicere, quod Messias erit Princeps, Judex in medio populi sui, eumque cum veritate, & justitia recturum, & hoc in terra Israëlis, in terra quam Deus dederat patribus suis, ubi patres sui habitaverunt, an hoc est cœlum? Certè de iis adeò claris non poterat esse dubia fides, postea in diversum, toto cœlo distantem sensum adimplendis. Ideo, ut Doctissimus Vir fatetur, Israël non aliam expectationem de Messia ex sacra Scriptura habere poterat, nisi carnalem: quia verba prophetica in suo naturali sensu non aliud significabant. Et si spectatio, & eventus talis futurus esset, ut nos credimus, non clarioribus verbis Deus per Prophetas eum significare potuisset: Sed quod hæc verba præter naturalem sensum, alterius sublimioris erant figurativa, naturali sensu minimè adimplendo, ex Euangelio satis clarè deducitur; Sed id credi nequit, nisi primo fides Euangelio adhibeatur; quæ an ex Vetere Testamento probari queat, erat nostrum quæsitum: at de ejus fidei veritate, vel falsitate, dubium haudquaquam fuerat institutum.

Conatur Doctissimus Vir ex aliquibus verbis Sacræ Scripturæ probare, quod regnum Messiæ non futurum erat terrenum, ob incompatibilitatem aliquorum, quæ etiam de Messia prænunciabantur, ut violenta mors LIII. *Isaiæ Cap.* descripta, quæ cum terreno, glorioso Messiæ Regno compati non poterat.

Verum si illud caput de Messia clare intelligeretur, quamvis ibi mors, & sepulchrum reperiantur; tamen juxta totam Prophetiarum seriem, in qua clarissimè terrenum Regnum prædicitur, hoc explicari oporteret; cum tales voces in sacra pagina non semel labores, & flagella significent, quibus antè perfectam regni revelationem Messias, utpotè bonus Judæus, in defensionem divinæ legis, & populi fortasse exponendus erit; Constat apertè *Ezechiel Cap.* XXXVII. *vers.* 12. Idcircò Propheta indicens eis, sic ait Deus; *Ecce ego aperiens sepulcra vestra deducam vos ex sepulcris vestris, popule mi: Reducamque vos in terram Israëlis; ut cognoscatis me esse Dominum aperiente me sepulcra vestra, & deducente vos ex sepulcris vestris: & collocabo vos in terra vestra.* Ecce Doctissime Vir, *sepulcrum* pro captivitate sumptum. Quod etiam dicitur in eodem Capite: *& cum divitibus in mortibus suis*, nihil aliud significat, quam vel Messiæ, vel alicujus afflicti extremos labores; patet ex *epistola secunda Pauli ad Corinthios cap.* XI. *vers.* 23. *Sunt ministri Christi (ut parum sapiens loquor)*

quod excellentior illis sum ego : in laboribus copiosior quam illi , in vulneribus copiosior , quam illi , in mortibus sæpius : Igitur Doctissime Vir labores , eo nomine , nempe *mortibus* à Paulo significantur , quo eodem usus fuerat Isaias in hoc Capite plurali numero , quod naturalem mortem significare nequit ; cum statutum sit hominibus semel dumtaxat mori. Quod etiam amplius patet , ex ultimis ejusdem Capitis versibus ; *Videbit semen , & prolongabit dies* , quæ de jam mortuo in nullo sensu verificari possunt. Pro populo in hac captivitate constituto omnia ibi prædicta satis clarè , & propriè intelliguntur , cum Israël sæpissimè ab Isaia sub nomine Servi Dei fuerit appellatus : & pro eodem , eisdem ferè verbis *Psalmus* XLIV. fuerit conscriptus. Atque notatu dignum est , quod si adeò clarè de Messia agitur in hoc Capite mortem passuro , quod vix in Novo Testamento in sui comprobationem illius mentio facta fuerit , cum nullum posset ex Vetere Testamento adducere ita clarum , & rei significativum , ut caput hoc , cum totum negotium , ut in Euangelio describitur , in eo graphice depingatur.

Id quod ait de Messia Ben-Ephraim à nostris antiquis invento ; nil probat : quia id neque est de fide Judaica , neque contra fidem negare : Certè alicujus Doctoris Talmudici opinio fuit , ut versum Sachariæ Prophetæ explicaret : *Et respicient ad me pro eo quod transfixere , & plorabunt pro eo planctum , sicuti primogeniti , &c.* & cum ibi ingens nationum contra Hierosolymam bellum enarretur ; videtur quod propter alicujus insignis viri mortem , talis Judæorum planctus futurus est ; inde capta occasione fuit opinatum , quod Judæorum in ea expeditione Imperator erit ab inimicis occidendus , quem Messiæ nomine insignire placuit , ut plurimos ad dignitatem evectos sic nominatos legimus , præter Regem filium Davidis à nobis expectatum , quem Messiæ nomine in toto sacro volumine (nescio qua providentia) significatum non invenimus , saltem non memini. At Sachariæ verba à Luthero , & Johanne Calvino commodius , & verius de populi pœnitentia explicantur pro iis quibus à lege divina defecerant ; cum Judæi Christum nec percusserint , nec malum aliquod infixerint , sed Romani. Quid ergo : ob has , & similes conjecturas , clara , & aperta Prophetarum verba , derelinquenda sunt , & nova gentium dogmata amplectenda ?

Num. V.

Quod quamvis Messias revelaretur , ut nunc creditur , sua munera postea posset efficere. Quod neque aliquando fuerunt homines sub Dei maledictione.

Addit Doctissimus Vir , quod si Prophetæ , ut ego exigebam , clarè , & non sub figuris Messiæ munus revelassent ; nil restaret quod Messias in suo adventu faceret , cujus proprium officium erat , divinam gratiam , & cæleste Regnum hominibus enunciare , eosque Deo reconciliare : Quod si Prophetæ prædixerint , non amplius necessarius foret Messiæ adventus.

Nihil solidum in hac ratione invenio , quia non est idem prædicere , quod officium Messias facturus est , ac idipsum officium facere : Non est idem , futuram gratiam ac reconciliationem cum Deo promittere , ac eam gratiam , ac reconciliationem consequi , & efficere : An quia Propheta prædixit Deum Israëlem Babylonis visitaturum , & in patriam reducturum , jam hoc amplius non restabat agendum ? Deus promittit quod tempore redemptionis Israëlis corda circumcidet ; ergo eo tempore hoc non restat efficiendum ? Non ergo benè sequitur ; quod si Prophetæ prædixissent Messiam regnum Dei cæleste revelaturum ,

rum, jam non ipsum faceret quando veniret: Imo neque aliquid inauditum prædiceret; cum antea David, postquam omnes Prophetæ frequenter regnum Dei futurum prænunciaverint, divinis elegiis ejus temporis, & Regni fælicitatem celebrandi: quid ni? hoc jam novum non erit, quando opere exequatur? Neque ideò quia prædictum, non restat amplius agendum. Posset quidem promitti filius Davidis, qui Israëlem, & totum genus humanum erat restituturus, & Deo iis irato divina consecuuta gratia conciliaturus.

Ait Doctissimus Vir in hoc paragrapho, quod nulla injuria fuit Israëli illata, quod Messias, quamvis ab hostibus non liberasset, miraculis, & portentis suam divinitatem afferens, cum ab ira Dei, & peccato liberaverit.

Profectò ut Messias ab Israële admitteretur, & à Deo missus crederetur, non necesse erat ea quæ referuntur miracula fecisse; sed alia à Prophetis clarissimè prænunciata, ut Prophetia sensibiliter adimpleretur: videlicet, cum recepta à Deo potentia populum congregare ex omnibus mundi partibus, Davidis thronum jam per tot sæcula dirutum, in pristinam, & majorem maiestatem restituere, omnes reges, & gentes ad Dei omnipotentis cultum, atque Israëlis sanctum amorem perducere: Hæc verè insignia fuissent miracula omnibus nota, quæ à nemine in dubium vocarentur, & juxta naturalem Prophetarum sensum effecta: tunc enim si sublimiora cælestia præstare posset, etiam faceret, quæ ex præactis quæ revelata fuerant, & exequuta, meritò etiam crederentur: Sed prædicta à Prophetis nullatenus efficere; & invisibilia promittere, quæ ab hominibus nulla experientia probari possunt, Israëli fuit omnino extraneum, & à fide quam Prophetis præstiterant satis alienum. Quod attinet ad miracula, infra latius disceptabitur.

Quod Messiam esse, quamvis Israëlem ab inimicis suis non liberaverit, neque in patriam restituerit, credere tenebantur Judæi, quia excellentius fuit eos à peccato, & ab ira Dei, atque æterna maledictione liberare, quam ea omnino terrena efficere.

Respondemus, quod non constat ex toto sacro textu illa ira Dei contra genus humanum, neque illa æterna maledictio: neque memini in quatuor Euangeliis me legisse hoc secretum à Christo fuisse detectum: quare putamus id postea inventum ut aliis dogmatibus fundamentum substerneretur. Id verò clarè ex divinis scriptis liquet, quod Henoch & Elias vivi ad Deum fuerunt assumpti: quod Patriarchæ, Moses, & David, cæterique divini Prophetæ, & ex popularibus pii, erant Deo benedicti, dilecti, & in hominum oculis sanctificati; quod Dominus jubet Aaroni, & semini ejus, populo benedicere; *Et ponam benedictionem meam super eis, & erunt benedicti: Eritis sancti, coram me in die expiationis:* Et, *Sancti estote quia sanctus est Dominus Deus vester:* Dixitque Bilhamo: *Ne maledicas populo, quia benedictus est ille.* Quæ omnia æternæ maledictioni adeò contrariantur, ut neque Deus ipse posset ea componere: quia maledictio Dei, & benedictio Dei eodem tempore circa idem subjectum, suapte natura sunt incompatibiles, sicuti Deum hominem amare, eumque simul odio habere. Jam video Theologos Christianos hic plurima congerere de crimine læsæ maiestatis infinitæ, ideoque ad mensuram peccati infinita malitia, justitia divina æquam satisfactionem exigente, quam homo ob sui limitationem, & corruptionem præstare nequit, & cætera quæ ex iis consequuntur: Sed hæc & similia pro Christianis necessaria sunt, aliter non essent Christiani: Israël verò has theologias, sine fundamento in divina lege non admittere tenetur; sed constantissimè eam servare, Deo ipso admonitus ne ab hominibus scientiam aliam discere audeat. Hæc est vestra sapientia, hic est vester intellectus.

Nam

Num. VI.

Quod quamvis prædiceretur Messias ut Rex cœlestis, Israël nec animo deficeret, neque à Lege recederet: potius oppositum faceret.

PRosequitur Doctissimus Vir, quod omnia quæ Deus Israëli in lege promiserat non erant inutilia: ut ego pro inconveniente objeceram. Quia promittens Messiam, qui eum à captivitate, & inde sequutis miseriis erat liberaturus, cæleste regnum oportebat non clare enunciare, scilicet cum Messia crucifixo, ex cœlo post resurrectionem regnaturo, suis fidelibus non terrenam aliquam felicitatem; sed persecutiones, crucem, ut tandem his cœlum consequeretur. Quem Messiam terreni carnalesque homines nullatenus optarent, & in obsequio, & legis divinæ observantia non continerentur, ut essent unus populus separatus, ut Deus pro eo statu intendebat; neque illis spiritualibus futuris allicerentur: fuit igitur Israëli maximè utilè in iis umbraticis ritibus, & temporalibus promissionibus terrenique regni spe tunc detineri, quousque tempore jam maturo, adveniens Messias secretum id revelaret, & quod in involucris fuerat tectum, manifestum faceret, & Israël jam maturus facilè resipisceret.

An talis Dei summe veracis cautela, utilis fuerit Israëli pro suo Deo Messia agnoscendo, ut vitam æternam consequeretur, ei fidem præstanti? Eventus ipse satis patefecit, qui non aliunde infaustè provenit, quam ex observantia, & amore regulæ quam tot encomiis Deus extulerat, & in Lege, & Prophetis commendaverat: & si Dominus Israëlis salutem expetebat, actus prudentis judicii foret ea media eligere pro fine obtinendo, quæ ejus consecutioni contraria non forent; maxime si intendens certò præsciverit quod ea media futura erant in causa, ut non propositus, sed contrarius finis insequeretur.

Concludit Doct. Vir, quod ut Israël in afflictionibus in divina lege contineretur, bona terrena in ea contenta volebat divina sapientia ut constanter expectaret, usque ad Messiæ adventum, quo illis minime concessis, tamen sublimioribus spiritualibus frueretur.

Poterat quidem facillimò negotio utrumque Israëli præstare, & terrena bona, & sublimiora cœlestia, ne Israël promissionibus falleretur: præsertim cum spiritualia non nisi per fidem liceat experiri; quæ certa crederentur, si ex visibilium promissorum complemento suaderentur. Neque Israël in suis afflictionibus animo deficeret, si ei Messias promitteretur qui cœleste regnum, mediumque ipsum consequendi revelaturus erat; cum etiam nunc Israëlis præcipua spes consistat in illa à Deo sæpè promissa cordis circumcisione, & sanctitate pro vita æterna consequenda, quod si prædiceretur à Messia ut Dei instrumento efficiendum; nec populus contristaretur, neque divinam legem despiceret. Quomodo propter Christianismi crucem, si prædiceretur, à lege deficeret, qui per tot sæcula propter ejus observantiam mavult captivitatis extremæ labores pati, quam Christianam satis commodam libertatem admittere, & hoc non Messiæ aut terreni Regni spe allectus, sed divinæ gloriæ, quam per legem se consecuturum credit, & semper antea credidit? Quis Judaïsmum profitetur tot cum laboribus, ut corporaliter, fortasse post multa sæcula redimatur, aut Regnum terrenum Messiæ videat? Certè nullus, adhuc insensatus: Sed quia credit se per legis prævaricationem in perpetuam abiturum damnationem, à quo æterno exitio credit per legis observantiam liberari. Quod si Prophetæ prædixissent quod Messias securiorem, & faciliorem modum, pro salute æterna obtinenda erat adducturus, id maximè desiderarent, & amplecterentur, sicuti nunc futuram cordis à Deo circumcisionem, neque

neque ideo à lege deficerent, sicuti per tot sæcula non defecere; nulla habita consideratione de felicitatibus Messiam secuturis.

Hanc veritatem ex antiquis, & pluribus nostri sæculi Christiani Doctores agnoscentes Christum in mundum rediturum credunt, regnumque Israelis terrenum restituendum, & omnia quæ Prophetæ prædixere, realiter, & ad litteram adimpleturum, & satis diserte probant, nullam ex prophetiis quæ ad Judæorum futuram fælicitatem spectant in Christo suum complementum habuisse: isti sunt Chiliastæ seu quintæ monarchiæ propugnatores, neque pauci, neque indocti, neque Christo infideles; Apocalypsis prophetiis validè innixi.

Quod addit, Israëlem per varias afflictiones maturum evasisse, & per legem præparatiorem ad Messiam recipiendum: Certè non intelligo; siquidem in omnibus afflictionibus à Prophetis admonebatur quod legem divinam servaret, quod erat unicum medium, quo in Dei gratiam restitueretur; nunquam verò dixere, quod in futurum Messiam spem haberet, sed in Deum, ut ab inimicis liberaretur, & in sui gratiam restitueretur. Quod si aliquando de futuro rege loquuntur, non ut contineretur in divina lege propter Messiam, sed de eo ut circumstantia aliqua redemptionis futuræ, post multa commissa peccata, & eorum longissimam punitionem: Sicuti de summo Sacerdote, templo, & sacrificiis. Præterea non bene intelligitur quomodo per exactam legis observantiam præparabatur, ut Messiam qualis à vobis creditur admitteret: Etenim divina sapientia sæpissimè admonuit, ut *præcepta, leges, & ceremonias*, in eo libro tunc temporis scriptas, *toto corde, & anima observarent semper, de generatione in generationem, cultu sempiterno, religione perpetua, tu & semen tuum, & semen seminis tui, donec vivus fueris super terram*, & hoc adhuc redemptionis tempore: Malachias Capite ultimo, & per totam scripturarum seriem. Talis fuit Israëlis præparatio ut facillimè Messiam agnosceret, qui totam legem, præcepta, & ceremonias, (præter ea quæ à natura sunt) relaxaret, & ut non ampliùs utilia, nec Deo grata rejiceret: Eventus id ipsum docuit, cum totus Israël (præter paucos, quorum indolem non novimus) eum Messiam ut in præsens rejecerit, adeò, ut ait Doct. Vir, ut abjecto Israële Euangelium ad gentes ut crederetur recurrerit: Meritò quidem novo dogmati non credidere Judæi, utpote à Deo satis instructi, & præparati variisque captivitatibus afflicti propter divinæ legis prævaricationem, adeò ut postea ei obsequentes in eadem lege perseverare maluerint, quam nova, & contraria dogmata admittere, sive Messias citò veniat, sive per multa annorum millia non venerit, aut si possibile esset, quamvis nunquam venturus esset, neque ea terrena redemptio corporalis.

Num. VII.

Quod per Euangelium verbum Dei non clarius evasit, potius majora dubia enata, nec Christus, quod sub cortice literæ latebat, patefecit, sed contrarium.

POst verò ait Doct. Vir sine typis & figuris, quæ sub legis cortice latuerunt, Euangelium patefecit. Nunquam usque ad Euangelium verbum divinum tot difficultates, tot dubia, tot varias intelligentias perpessum fuit: Unde enim tot sectarum differentiæ exortæ, nisi ex Veteris, & Novi Testamenti diverso intellectu? Cum antea sacra scripta sincere ab Israële fuerint intellecta; nulla nova secta in populum invecta (præter aliqua ad Dei cognitionem, neque ad Legis essentiam pertinentia, quæ depravato jam sæculo emersere, & paulò post per divinam misericordiam penitus evanuere) conservaturque populus per totum orbem

 dispersus

dispersus adeò in religione unitus, ut jam nulla secta, nulla hæresis, sine rege, sine judice, sine punitione pro transgressoribus; Sed unica ubique facies ecclesiæ, unus intellectus, una fides.

Sed à nascente ecclesia Christiana, quod fuerunt sibi contraria Euangelia, ex quibus plurima jam diu fuere rejecta! Nec defecere dissidia inter Apostolos, neque hæreses sequentibus, usque ad nostrum sæculis: Non quidem in rebus parvi momenti, sed quæ ad Religionis essentiam pertinebant: Circa trinitatem, Christi divinitatem, æqualitatem, & consubstantialitatem cum Patre, personalitatem, humanitatem, corporalem, aut sacramentalem præsentiam in eucharistia, in sacramentorum numero, & essentia, in baptismate, an de necessitate salutis, an non ita? Inde Ebionitæ, Arriani, Anabaptistæ, Manichei, Sociniani, & alii plurimi sectarii, quorum hoc tempore non modica propago: sed quid de idololatria papistica, quam ab Apostolis traditam totus Christianismus plusquam per mille & tercentos annos defendit, & nunc in potiore Christianismi parte perseverat, cæteros de hæresi convictos asseverans. Unde igitur tot discrimina, tot sectæ, nisi ex Veteris & Novi Testamenti adeò diversa intelligentia, ut hos amaros fructus pepererit? Hæc fuit perspicuitas, hæc sine typis clara revelatio, ita clara ut hucusque à Christianismo non fuerit intellecta: adeò ut si Israël per tot sæcula ecclesiam Christianam ingredi voluisset, idololatriam papisticam amplecti cogeretur, quippe nullus alius restabat aditus, nisi fortè ad Manicheorum, vel Arrianorum hæresim confugeret; quæ difficultas adhuc viget, donec Christianismum non unam, sed sibi contrarias ecclesias à principio, & nunc Israëlitæ viderint: Ergo Christi revelatio non umbras fugavit, non obscura patefecit, sed majoribus confusionibus occasionem præbuit, ut singulæ sectæ absque malitia verbum purum Dei se habere glorientur. Hoc solummodo clarè, planè, & apertè, in quo omnes conveniunt sectæ, revelatum fuit, nempè quod lex Dei per Mosem promulgata, erat typica, umbratica, non amplius observanda, utpotè figurativa, & jam post Messiam adventum nullius valoris, nec Deo grata, neque observatu digna.

Hæc Christum edocuisse omnes conveniunt: verum in quatuor Euangeliis id haudquaquam legimus, quia si hæc clarè docuisset, ut postea Paulus, & condiscipuli, statim lapidaretur, ut Stephanus, nec tertium prædicationis annum adimpleret: sed profectò non fecit. Neque legem divinam typicam esse dixit, paulò post derelinquendam; oppositum potius populo significavit. Sed omnia hæc (aiunt) fuerunt reservata novæ alteri revelationi, quam post aliquot annos Spiritus Sanctus Paulo & sociis præstitisse fertur, quibus Judæos fidem adhibere nec tutum, nec facile fuit. Paulò post secuti Papistæ, sancti Episcopi, & Archiepiscopi, Pontifices, Concilia, qui à nobis circa plurima novam fidem exigebant, cum eo prætextu quod ab Christo, & Apostolis receperant, quibus si credidissemus, essemus necessario idololatræ; si negaverimus, perfidi Judæi: non ergo Euangelium claram & apertam ad æternam salutem viam revelavit. Præterquam Christus talem intelligentiam à Judæis nunquam exegit, ut propter suum adventum, & doctrinam antiquas à Deo præstitas leges desereret, aut ut inutiles despiceret, oppositum potius, ut in Euangelio fertur, populum admonuit, dicens quod nec iotam linquerent, quin omnia ex lege fierent: quod legem nolebat solvere, sed adimplere, id est opere exequi, ut usque ad mortem fecisse scribitur: & quod majus est, populum pro suæ vitæ regula ad legis Doctores audiendos mittit: cum ait, quod *Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosis sederunt, facerent Israëlitæ omnia quæ eis dicerent.* Ex hac cathedra probi essent, vel improbi, legem Mosis, præcepta, atque ceremonias in æternum servari decreverunt, ut antea à Deo fuerat præscriptum, nec nova dogmata populus admitteret sub eius adventus, aut altero prætextu: quod si post unum aut alterum annum ceremonialia erant ut inutilia cessatura, expediret, ea quæ sub legis cortice latebant, viva voce detegere, suo exemplo non amplius observanda ostendere; tandem neque populum ad Rabbinorum doctrinam provocare, aut suadere, quam Euangelio contrariam esse non ignorabat: non ergo quæ occulta sub legis cortice latebant, patefecit, de quibus neque de figurativis verbum loquutus, præter auctoritatem sibi à Patre concessam, quæ cum lega-

lium

lium ablatione, vel typicis explicationibus nullam prorsus habebant analogiam, nisi ipse id exprimeret, quod non egit.

Num. VIII.

Quod Deus nequit iis phrasibus loqui, quas in contrario sensu intelligere teneamur: præsertim in iis quæ sunt de necessitate salutis.

ADdit Doct. Vir: ideoque nemo potest criminari Deum, quando phrasibus hyperbolicis utitur, quæ ab ipso Israële agnosci debent secundum litteræ rigorem accipi non posse.

Fatemur quidem neminem posse Deum criminari, quod ut ipse velit loquatur: tamen absolutè Deum criminari videtur, qui sustinet eum tali phrasi loquutum, ut homines contrarium debeant intelligere: hoc certè non est hyperbolicè loqui, neque figurativè: quia inter figuram, & figuratum aliqua debet esse proportio: sed quæ proportio inter Deum, & hominem, inter regnum terrenum, & cœleste imperium, inter Judicem, & Judicatum? Hyperbolica noscimus in sacra scriptura, & commodo sensu, & sine errore intelligimus: An quæ Deo repugnant credemus quamtumvis affirmentur? An intelligimus Deum posse pœnitere, posse irasci, gaudere, aut alicui mutationi obnoxium, gladium suum acuere, brachium extendere? An Hierosolymam ex gemmis, smaragdis, & adamantibus compactam expectamus? Plurima ex iis, & similia, hyperbolica sunt, quæ ad litteram intelligere nefas esset, & à rationis lumine alienum: sed ea quæ Deus clare, & apertè prænunciat, quæ in suo naturali sensu intellecta majestate divinâ digna sunt, atque ad totius sacræ scripturæ seriem consequentia; ad sensum alium ita diversum detorquere, ut verba Dei clara nil aliud quam obscura, & tenebrosa umbra reputetur; profectò id certius est Deum criminari. In summa ea quæ fuerunt, vel futura erant de necessitate salutis, Deus neque hyperbolice, figurative, aut obscure hominibus enunciavit: Satius fuisset nil prædixisse, & postea facere quod ipsi placuerit, siquidem ea figurative prædicta in causa fuerint, ut postea veris, & figuratis fides ab Israële non præstaretur; & gentes textibus scripturæ, quam non noverant, nequaquam indigebant ut crederent.

Num. IX.

Quod Christus literæ spiritualem sensum non explicuit, neque quod Lex erat Mystica, potius oppositum: Atque in plurimis etiam Apostoli ad literam legem servantes.

PRosequitur Doct. Vir respondens ad id quod dixeram, Deum nobis litteram mortiferam dedisse; gentibus verò spiritum, qui vivificat; & ait: Deum primo dedisse Israëli spiritum vivificantem, sed cum revelatæ gratiæ repugnaverit, conversum fuit Euangelium ad gen-

tes. Ergo per spiritum intelligebam verum, & spiritualem litteræ sensum, ut non fuit Christo, dum viveret, revelatus, ut supra dixi; sed oppositum docebat. Neque etiam discipuli hanc doctrinam claram, & apertam, conceperant; ex eis solus Petrus dixit quod erat Messias: & respondit, *quod caro, nec sanguis hoc ipsi revelavit, sed Pater:* non ergo hoc clare docuerat. Præterea discipuli adhuc terrenum regnum expectabant (utpote Judæi) & quæsivere an duodecim tribus Israëlis esset collecturus? Quibus ibi secretum quod sub cortice legis latebat non aperuit, neque de Israële spirituali verbum loquutus: quamvis aliquando dixerit, quod regnum ejus non erat de hoc mundo: hæc servabantur ab Spiritu Sancto discipulis postea revelanda, sed nec tunc adimpleta, quia postquam Spiritus Sanctus super eos descendit, in eadem perseverabant ignorantia, legalia jam inutilia minimè credentes: ideò Petrus respondit Angelo, quod nolebat se immundare in reptilibus: Et de gentibus ad Ecclesiam recipiendis, dubitavit, ut qui credebat in solis Judæis Ecclesiam posse consistere: adeò illis erat ignotum Mosis legem esse ut inutilem relegandam, ut plurimi ex discipulis eas ad ipsius observantiam cogere velint: & inito in Hierosolymis consilio oppositum Petrus præcipuè decrevit. Verè profectò, & secundum divinum decretum, quod soli Israëli Legem commendaverat. Sed non consistit ratio Petri in legis divinæ ut nunc asseritur per adventum Messiæ ablatione; Sed quod jugum quod Patres nostri portare non potuerunt non erat sine necessitate gentibus imponendum, quod nil habet similitudinis cum post sequuta doctrina: Ergo neque Spiritus Sancti influxus spiritualem intelligentiam præstitit, ut Judæis participaretur. Sed quo jure talem spiritum admitterent Judæi, cum & Christum ipsum, & post ejus obitum discipulos legem secundum litteram observantes, viderint. Circumcidit Paulus Timotheum propter Judæos qui erant in illis locis... Venit Hierosolymam, & ne contra circumcisionem, & patrias leges, prædicare convinceretur contrarium affectans, Nazareatum simulans sacrificium legale, & cæteras ceremonias in templo publicè exercuit. Non ergo litteræ spiritum Israëlem docebat, sed gentes, quæ credere erant aptiores: Quibusque etiam aliqua in eo Concilio fuere decreta, ut abstinentia à sanguine, immolatis idolis, & suffocatis, sed pro fratribus Judæis nil prorsus decretum fuit, contentis Apostolis quod Moses singulis Sabbathis in Synagogis oppidatim legebatur. Credebant igitur hoc ipsis sufficere, dummodo Christum crederent, absque alterius spiritus notitia.

Num. X.

Quod frustra, & præter rationem ab Apostolis, præcipuè Paulo, Judæis ritualia servare permittebatur: & quod verbis implicabantur.

PRosequitur Doct. Vir ut probet Deum Israëlem carnalibus, & umbraticis non fefellisse, & ait quod *neque Apostoli, neque Paulus magnus libertatis Christianæ patronus Mosis ritualia post Christi adventum prohibuere Judæis.*

Sic & ego supra probavi, unde inferebam doctrinam de mystica, spirituali intelligentia Judæis non fuisse enunciatam neque præceptam, cum tamen hæc omnino essent incompatibilia advento jam corpore quod significabant; & donec in ipsis perseverabant spiritum qui vivificat minimè habebant: Et ego quæro, quo prætextu, vel in quem finem ea observari permittebantur, an ut divina à Deo præscripta? Si ita: ergo ad vitam æternam consequendam: quippe non est obedire Deo, nisi in hunc finem: neque talia licebat agere ut indifferentia, cum semper fuissent habita divina: Quod si tunc scirent non esse necessaria, ut quid religiose servavent? hoc nihil aliud esset quam iis quæ sacratissima fuere indigne

digne ludere: quam difficilis, quam confusa fuit hæc ultima revelatio? Idcircò cæteri Doctores Christiani aliter respondent: Quod servabantur legalia ut sepeliretur Synagoga cum honore. Sed quid hoc est nisi rhetoricus, & speciosus prætextus? At Paulus, cum omnia omnibus fieret ut aliquem Christo lucraretur, antiquos ritus Judæis permisit, plurima gentibus, quæ tractu temporis novis statutis, & consiliis partim evanuere, vel pro maiori parte in toto Christianismo, præsertim papistico, perseverant. Opinatur ergo D. Doct. Vir, quod si ego nunc in Christum crederem ut verum Messiam, & simul omnia Mosis legalia servarem ut à Deo in lege præscripta, & ut ei obedirem, & meæ conscientiæ satisfacerem, essem nullius criminis reus, & optimus atque orthodoxus Christianus, siquidem illa neque à Christo, neque ab Apostolis, neque à Paulo fuerunt Judæis prohibita. Vidi doctissimum, & satis pium virum Dominicani ordinis Monachum, qui toto corde hanc opinionem conceperat, & ab Inquisitoribus captus, post sex carceris annos, in sua sententia constanter perseverans Christum usque ad ultimum spiritum implorans, vivus fuit concrematus. Putarem quidem quod totus hodiernus Christianismus pro illius hominis condemnatione suffragium daret. Sed ad rem: permittebatur Judæis ab Apostolis ritualium usus à Deo præscriptus, dummodo Jesum Messiam crederent quem expectaverant: Verum antiquis, & hodiernis Judæis videbantur Apostoli in verbis implicari; cum præcipua Christi dogmata Legi Mosis contraria sint, & eo ipso quod Christum crederent Legem tenerentur deserere, ut vanam, & inutilem ad salutem, ut jam non Deo gratam: Cum tamen ex eadem credere teneantur, ipso Deo sæpe attestante, quod non sunt vana quæ nobis præscripsit, quod non sunt inutilia, quod ei gratissima tota lex est, præcepta, judicia, atque ceremoniæ, quod in ejus observantia sanctificabimur coram Deo, quod illa est nostra vita, & medium unicum pro nostra sanctificatione; quæ si feceritis & observaveritis sancti eritis coram me: Certè inter sanctum & justum nullum assignari potest discrimen: Ergo contra legem facerent, qui ejus præceptiones, ut vanas & non amplius ad salutem utiles observarent: Inanis quidem foret superstitio, & hypocrisis cum divina lege, & Christianismi severitate incompatibilis.

Sed tunc temporis erant Christiani in infantili ætate, balbutiebat Sanctus Spiritus cum ipsis, ut puerulis, sublimiori doctrinæ non idoneis (Ecclesiæ infantiam appellant Doctores Theologi) ideo totus scopus consistebat in fide Christi propaganda & optimis moribus consulendis (ut etiam faciebant Stoici) omni honestate, & vitæ innocentiâ præscripta. Unde nil mirum eo tempore legalia Apostolos & exercuisse, & permisisse Judæis, dummodo Christo nomen darent. Erat tamen perniciosa permissio, quia qui transgrederetur crederet se peccare, & qui observaret crederet Deo placere, & utrique absolutè fallebantur, cum ea, utpotè indifferentia, neque Deo offensiva, neque grata fuissent. Videat deprecor Doct. Vir miserum populum, jam orto sole, tenebrisque fugatis, veritate, quæ sub legis cortice latebat, clarè detecta, in ejusdem legis laqueis inutiliter implicitum, ut novi Prophetæ eam inutilem, vanam, tamen adhuc observabilem à Judæisque non necessario rejiciendam prædicarent. Hoc sufficiebat, ut eos Prophetas populus non audiret, quia utpotè missi à Deo, populum in lege divina confirmare debuissent; non verò avertere, vel ut inutilem, indifferenter servare, aut rejicere; *Hieremia*, *cap.* XXIII. *vers.* 22.

Num. XI.

Quod si Lex esset typica, & hoc Deus non voluisset quod scirent Judæi ante adventum Messiæ, eos fallebat: quia volebat, quod rem aliter ut erat intelligerent.

Dicebam Deum decepisse Israëlem legibus umbraticis, si talis futurus esset Messias ut nunc creditur. Respondet Doct. Vir, quod non est decipere Judæos, non ipsis regni Messiæ conditionem, ut futura erat, exactè, & apertè prædicere. Et ego iterum urgeo: hoc non esse decipere, fateor, quia non omnia debebat Deus prænunciare, quæ ad Messiam spectant: Sed omnino contraria prædicere iis quæ futura erant, adeò ut propter hanc prædictionem populus postea eventui non crederet, hoc esset verè decipere: quod an sic fuerit experimentum ipsum ostendit.

Addit, quod foret decipere si propter observantiam legum umbraticarum transgressam Deus populum punivisset: sed cum potius observantes dilexerit, & prævaricationes gravissimis punitionibus affecerit, frustra contendo quod Deus populum fefellisset. Eodem si liceat utar argumento: cum talium legum observatores Dominus dilexerit, & prævaricationes acerrimè puniverit, si adveniente Messia, in ipsis legibus, ut antea hærentes, & constantissimè persistentes, propter Dei amorem, & veram fidem, à Deo extrema ruina, & desertione punirentur, an non eos decepisse crederetur, quia Deum consilium mutasse suaderi non possent? Quod ait Doct. Vir de infantili Israëlis ætate, de elementis, de rudimentis puerilibus legis Mosaicæ, nihil probat contra Judæos, quibus, si infantuli essent, & majoribus ferendis adhuc inepti, non legem Deus ipsis imponeret, quam patres nostri sustinere non potuerint, neque adeo grave jugum, quod postea Spiritus Sanctus nollet imponere collis gentium: certè non facilè compatitur, quod Lex Mosis observatu difficillima sit, dura, atque ponderosa, & quod eam Dominus infantili populo exactissimè observandam imponeret: Præsertim cum, ut alibi dixi, decem præcepta decalogi majorem perfectionem admittere nequeant; ita ut & in ipsis, & cæteris moralibus in lege dispersis, quo ad Deum, & proximum, tot sint divinæ præceptiones, ut non pluribus indigeat humanum genus ad summam perfectionem, atque salutem. Nisi id intelligendum veniat de aliquibus Christianismi mysteriis, quæ sicut nunc, à quovis populo, quamtumvis rudi, creduntur, anteaquè à Græcis, & Romanis, etiam ab Israële in sua infantia crederentur. Ego quidem ut verum fatear, maximè desideravi quod talis excellentia, & major doctrinæ Christianæ perfectio, mihi ostenderetur, siquidem ex auctoribus nil solidum potui percipere.

Num.

Num. XII

Quod Israël non ex odio, neque malitia Christum abjecit: quod si male fecit, fuit ex invincibili ignorantia, ut & Paulus fatetur, & Christus dixit.

PRomisit Deus (ait Doct. Vir) Regem, eumque suo tempore misit, eis donis instructum, quibus posset Israël eum facilè cognoscere, ***si seposito præjudicio, & malitia, sedata mente eum considerasset.***

Si Israël tunc temporis per totum orbem in Synagogis dispersus, & omnes qui Judæam habitabant, Christum, & ea quæ referuntur dona vidissent, posset dubitari quare non crediderint: Sed siquidem neque præsentes credidere, minus possent credere absentes, qui nil viderunt, neque aliquid novum in Israële ex iis quæ expectaverant, neque in toto mundo experti fuere. Erat quidem non facile, aut rationale post ejus mortem, Judæos divinam legem inter gentes laboribus, opprobrio, & despectione observantes, hominibus eam historiam enarrantibus, fidem præstare, & quam divinam religionem à Deo, & ascendentibus receperant, abjicere. Hoc erat præjudicium à Doct. Viro damnatum, quo Judæi semper divina lege præventi nova dogmata admittere renuerunt, & in hoc præjudicio perseverare à Deo ipso semper fuerunt admoniti.

De malitia, quam disertis verbis Doct. Vir, & illius temporis Judæis, & præsentibus imponit; nescio quid respondeam: Sufficeret negare, cum id probari non posset, sed à Deo qui hominum corda exscrutatur, an malitia sit, vel fidelis constantia judicabitur. Fere excogitari nequit, quod in hominem, qui mortuos excitat, cæcis visum concedit, ægrotos omnes sanat, & infinita edit miracula, totus populus malitiam, & odium exerceat; possent quidem aliqui qui idem officium affectarent; potuerunt falsi Prophetæ maligna invidia contra Hieremiam agere, quia de vera, vel falsa prophetia contendebant, vel etiam idololatria infecti contra aliquos Prophetas: aliter nescio quæ insania tot homines potuit corripere, qui alias levissimis quibuscumque insolitis permoventur: Præsertim in viro justo, & innocente, quamtumvis populi peccata, & hypocrisim magnatibus urgeret, quod tunc Rabbini, & nunc etiam nostri singulis Sabbatis concionantur, & acriter reprehendunt; neque ideò populus aut seniores eos odio prosequuntur, sed annualia largiuntur stipendia, ut suis concionibus homines coerceant, & ab peccatis avertant.

Tandem Paulus Doctissimo Viro contradicit, & pro Judæis respondet, asserens, quod ex ignorantia Christum crucifixere, & quod ipse ex zelo legis Christi sequaces totis lacertis persequebatur: tamen erat vir doctus, Rabbinus, qui studuerat ad pedes Gamalielis. Quare igitur cæteri Judæi, pio eodem zelo non afficerentur, cum Paulus credere non potuisset, quousque vidisset cœlos apertos, & audivisset arcana Dei, quę non licet homini loqui? Si toti populo talia contingerent abs dubiò crederet, sicuti credidit in deserto. Ideo dixit Deus Mosi, *Ego veniam super tabernaculum, & videbit totus populus, & credet*; debebat ergo videre totus populus: quare si non credidit eandem habuit malitiam, quam Paulus dum non credebat. Sufficiat ergo pro malitię excusatione, quod scribitur in Euangelio Christum dixisse; ***Pater ignosce eis non enim sciunt quod faciunt***; & quare facerent si scirent?

Num.

Num. VI.

Quod quamvis prædiceretur Messias ut Rex cœlestis, Israël nec animo deficeret, neque à Lege recederet: potius oppositum faceret.

PRosequitur Doctissimus Vir, quod omnia quæ Deus Israëli in lege promiserat non erant inutilia: ut ego pro inconveniente objeceram. Quia promittens Messiam, qui cum à captivitate, & inde sequutis miseriis erat liberaturus, cæleste regnum oportebat non clare enunciare, scilicet cum Messia crucifixo, ex cœlo post resurrectionem regnaturo, suis fidelibus non terrenam aliquam felicitatem; sed persecutiones, crucem, ut tandem his cœlum consequeretur. Quem Messiam terreni carnalesque homines nullatenus optarent, & in obsequio, & legis divinæ observantia non continerentur, ut essent unus populus separatus, ut Deus pro eo statu intendebat; neque illis spiritualibus futuris allicerentur: fuit igitur Israëli maximè utilè in iis umbraticis ritibus, & temporalibus promissionibus terrenique regni spe tunc detineri, quousque tempore jam maturo, adveniens Messias secretum id revelaret, & quod in involucris fuerat tectum, manifestum faceret, & Israël jam maturus facilè resipisceret.

An talis Dei summe veracis cautela, utilis fuerit Israëli pro suo Deo Messia agnoscendo, ut vitam æternam consequeretur, ei fidem præstanti? Eventus ipse satis patefecit, qui non aliunde infaustè provenit, quam ex observantia, & amore regulæ quam tot encomiis Deus extulerat, & in Lege, & Prophetis commendaverat: & si Dominus Israëlis salutem expetebat, actus prudentis judicii foret ea media eligere pro fine obtinendo, quæ ejus consecutioni contraria non forent; maxime si intendens certò præsciverit quod ea media futura erant in causa, ut non propositus, sed contrarius finis insequeretur.

Concludit Doct. Vir, quod ut Israël in afflictionibus in divina lege contineretur, bona terrena in ea contenta volebat divina sapientia ut constanter expectaret, usque ad Messiæ adventum, quo illis minime concessis, tamen sublimioribus spiritualibus frueretur.

Poterat quidem facillimò negotio utrumque Israëli præstare, & terrena bona, & sublimiora cœlestia, ne Israel promissionibus falleretur: præsertim cum spiritualia non nisi per fidem liceat experiri; quæ certa crederentur, si ex visibilium promissorum complemento suaderentur. Neque Israël in suis afflictionibus animo deficeret, si ei Messias promitteretur qui cœleste regnum, mediumque ipsum consequendi revelaturus erat; cum etiam nunc Israëlis præcipua spes consistat in illa à Deo sæpè promissa cordis circumcisione, & sanctitate pro vita æterna consequenda, quod si prædiceretur à Messia ut Dei instrumento efficiendum, nec populus contristaretur, neque divinam legem despiceret. Quomodo propter Christianismi crucem, si prædiceretur, à lege deficeret, qui per tot sæcula propter ejus observantiam mavult captivitatis extremæ labores pati, quam Christianam satis commodam libertatem admittere, & hoc non Messiæ aut terreni Regni spe allectus, sed divinæ gloriæ, quam per legem se consecuturum credit, & semper antea credidit? Quis Judaismum profitetur tot cum laboribus, ut corporaliter, fortasse post multa sæcula redimatur, aut Regnum terrenum Messiæ videat? Certè nullus, adhuc insensatus: Sed quia credit se per legis prævaricationem in perpetuam abiturum damnationem, à quo æterno exitio credit per legis observantiam liberari. Quod si Prophetæ prædixissent quod Messias securiorem, & faciliorem modum, pro salute æterna obtinenda erat adducturus, id maximè desiderarent, & amplecterentur, sicuti nunc futuram cordis à Deo circumcisionem, neque

neque ideò à lege deficerent, ficuti per tot fæcula non defecere; nulla habita consideratione de felicitatibus Messiam secuturis.

Hanc veritatem ex antiquis, & pluribus nostri fæculi Christiani Doctores agnoscentes Christum in mundum rediturum credunt, regnumque Israelis terrenum restituendum, & omnia quæ Prophetæ prædixere, realiter, & ad litteram adimpleturum, & satis disertè probant, nullam ex prophetiis quæ ad Judæorum futuram fælicitatem spectant in Christo suum complementum habuisse: isti sunt Chiliastæ seu quintæ monarchiæ propugnatores, neque pauci, neque indocti, neque Christo infideles, Apocalypsis prophetiæ validè innixi.

Quod addit, Israëlem per varias afflictiones maturum evasisse, & per legem præparatiorem ad Messiam recipiendum: Certè non intelligo; siquidem in omnibus afflictionibus à Prophetis admonebatur quod legem divinam servaret, quod erat unicum medium, quo in Dei gratiam restitueretur; nunquam verò dixere, quod in futurum Messiam spem haberet, sed in Deum; ut ab inimicis liberaretur, & in sui gratiam restitueretur. Quod si aliquando de futuro rege loquuntur, non ut contineretur in divina lege propter Messiam, sed de eo ut circumstantia aliqua redemptionis futuræ, post multa commissa peccata, & eorum longissimam punitionem: Sicuti de summo Sacerdote, templo, & sacrificiis. Præterea non bene intelligitur quomodo per exactam legis observantiam præparabatur, ut Messiam qualis à vobis creditur admitteret: Etenim divina sapientia sæpissimè admonuit, ut *præcepta, leges, & ceremonias*, in eo libro tunc temporis scriptas, *toto corde, & anima observarent semper, de generatione in generationem, cultu sempiterno, religione perpetua, tu & semen tuum, & semen seminis tui, donec vivus fueris super terram*, & hoc adhuc redemptionis tempore: Malachias Capite ultimo, & per totam scripturarum seriem. Talis fuit Israëlis præparatio ut facillimè Messiam agnosceret, qui totam legem, præcepta, & ceremonias; (præter ea quæ à natura sunt) relaxaret, & ut non amplius utilia, nec Deo grata rejiceret: Eventus id ipsum docuit, cum totus Israël (præter paucos, quorum indolem non novimus) eum Messiam ut in præsens rejecerit, adeò, ut ait Doct. Vir, ut abjecto Israële Euangelium ad gentes ut crederetur recurrerit: Meritò quidem novo dogmati non credidere Judæi, utpote à Deo satis instructi; & præparati variisque captivitatibus afflicti propter divinæ legis prævaricationem, adeò ut postea ei obsequentes in eadem lege perseverare maluerint, quam nova, & contraria dogmata admittere, sive Messias citò veniat, sive per multa annorum millia non venerit, aut si possibile esset, quamvis nunquam venturus esset, neque ea terrena redemptio corporalis.

Num. VII.

Quod per Euangelium verbum Dei non clarius evasit, potius majora dubia enata, nec Christus, quod sub cortice literæ latebat, patefecit, sed contrarium.

POst verò ait Doct. Vir sine typis & figuris, quæ sub legis cortice latuerunt, Euangelium patefecit. Nunquam usque ad Euangelium verbum divinum tot difficultates, tot dubia, tot varias intelligentias perpessum fuit: Unde enim tot sectarum differentiæ exortæ, nisi ex Veteris, & Novi Testamenti diverso intellectu? Cum antea sacra scripta sincere ab Israële fuerint intellecta; nulla nova secta in populum invecta (præter aliqua ad Dei cognitionem, neque ad Legis essentiam pertinentia, quæ depravato jam fæculo emersere, & paulò post per divinam misericordiam penitus evanuere) conservaturque populus per totum orbem

dispersus

dispersus adeò in religione unitus, ut jam nulla secta, nulla hæresis, sine rege, sine judice, sine punitione pro transgressoribus; Sed unica ubique facies ecclesiæ, unus intellectus, una fides.

Sed à nascente ecclesia Christiana, quod fuerunt sibi contraria Euangelia, ex quibus plurima jam diu fuere rejecta! Nec defecere dissidia inter Apostolos, neque hæreses sequentibus, usque ad nostrum sæculis: Non quidem in rebus parvi momenti, sed quæ ad Religionis essentiam pertinebant: Circa trinitatem, Christi divinitatem, æqualitatem, & consubstantialitatem cum Patre, personalitatem, humanitatem, corporalem, aut sacramentalem præsentiam in eucharistia, in sacramentorum numero, & essentia, in baptismate, an de necessitate salutis, an non ita? Inde Ebionitæ, Arriani, Anabaptistæ, Manichei, Sociniani, & alii plurimi sectarii, quorum hoc tempore non modica propago: sed quid de idololatria papistica, quam ab Apostolis traditam totus Christianismus plusquam per mille & tercentos annos defendit, & nunc in potiore Christianismi parte perseverat, cæteros de hæresi convictos asseverans. Unde igitur tot discrimina, tot sectæ, nisi ex Veteris & Novi Testamenti adeò diversa intelligentia, ut hos amaros fructus pepererit? Hæc fuit perspicuitas, hæc sine typis clara revelatio, ita clara ut hucusque à Christianismo non fuerit intellecta: adeò ut si Israël per tot sæcula ecclesiam Christianam ingredi voluisset, idololatriam papisticam amplecti cogeretur, quippe nullus alius restabat aditus, nisi fortè ad Manicheorum, vel Arrianorum hæresim confugeret; quæ difficultas adhuc viget, donec Christianismum non unam, sed sibi contrarias ecclesias à principio, & nunc Israëlitæ viderint: Ergo Christi revelatio non umbras fugavit, non obscura patefecit, sed majoribus confusionibus occasionem præbuit, ut singulæ sectæ absque malitia verbum purum Dei se habere glorientur. Hoc solummodo clarè, planè, & apertè, in quo omnes conveniunt sectæ, revelatum fuit, nempè quod lex Dei per Mosem promulgata, erat typica, umbratica, non amplius observanda, utpotè figurativa, & jam post Messiam adventum nullius valoris, nec Deo grata, neque observatu digna.

Hæc Christum edocuisse omnes conveniunt: verum in quatuor Euangeliis id haudquaquam legimus, quia si hæc clarè docuisset, ut postea Paulus, & condiscipuli, statim lapidaretur, ut Stephanus, nec tertium prædicationis annum adimpleret: sed profectò non fecit. Neque legem divinam typicam esse dixit, pauló post derelinquendam; oppositum potius populo significavit. Sed omnia hæc (aiunt) fuerunt reservata novæ alteri revelationi, quam post aliquot annos Spiritus Sanctus Paulo & sociis præstitisse fertur, quibus Judæos fidem adhibere nec tutum, nec facile fuit. Pauló post secuti Papistæ, sancti Episcopi, & Archiepiscopi, Pontifices, Concilia, qui à nobis circa plurima novam fidem exigebant, cum eo prætextu quod ab Christo, & Apostolis receperant, quibus si credidissemus, essemus necessario idololatræ; si negaverimus, perfidi Judæi: non ergo Euangelium claram & apertam ad æternam salutem viam revelavit. Præterquam Christus talem intelligentiam à Judæis nunquam exegit, ut propter suum adventum, & doctrinam antiquas à Deo præstitas leges desereret, aut ut inutiles despiceret, oppositum potius, ut in Euangelio fertur, populum admonuit, dicens quod nec iotam linquerent, quin omnia ex lege fierent: quod legem nolebat solvere, sed adimplere, id est opere exequi, ut usque ad mortem fecisse scribitur: & quod majus est, populum pro suæ vitæ regula ad legis Doctores audiendos mittit: cum ait, quod *Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosis sederunt, facerent Israëlitæ omnia quæ eis dicerent.* Ex hac cathedra probi essent, vel improbi, legem Mosis, præcepta, atque ceremonias in æternum servari decreverunt, ut antea à Deo fuerat præscriptum, nec nova dogmata populus admitteret sub eius adventus, aut altero prætextu: quod si post unum aut alterum annum ceremonialia erant ut inutilia cessatura, expediret, ea quæ sub legis cortice latebant, viva voce detegere, suo exemplo non amplius observanda ostendere; tandem neque populum ad Rabbinorum doctrinam provocare, aut suadere, quam Euangelio contrariam esse non ignorabat: non ergo quæ occulta sub legis cortice latebant, patefecit, de quibus neque de figurativis verbum loquutus, præter auctoritatem sibi à Patre concessam, quæ cum legalium

sium ablatione, vel typicis explicationibus nullam prorsus habebant analogiam, nisi ipse id exprimeret, quod non egit.

Num. VIII.

Quod Deus nequit iis phrasibus loqui, quas in contrario sensu intelligere teneamur: præsertim in iis quæ sunt de necessitate salutis.

ADdit Doct. Vir: ideoque nemo potest criminari Deum, quando phrasibus hyperbolicis utitur, quæ ab ipso Israële agnosci debent secundum litteræ rigorem accipi non posse.

Fatemur quidem neminem posse Deum criminari, quod ut ipse velit loquatur: tamen absolutè Deum criminari videtur, qui sustinet eum tali phrasi loquutum, ut homines contrarium debeant intelligere: hoc certè non est hyperbolicè loqui, neque figurativè: quia inter figuram, & figuratum aliqua debet esse proportio: sed quæ proportio inter Deum, & hominem, inter regnum terrenum, & cœleste imperium, inter Judicem, & Judicatum? Hyperbolica noscimus in sacra scriptura, & commodo sensu, & sine errore intelligimus: An quæ Deo repugnant credemus quamtumvis affirmentur? An intelligimus Deum posse pœnitere, posse irasci, gaudere, aut alicui mutationi obnoxium, gladium suum acuere, brachium extendere? An Hierosolymam ex gemmis, smaragdis, & adamantibus compactam expectamus? Plurima ex iis, & similia, hyperbolica sunt, quæ ad litteram intelligere nefas esset, & à rationis lumine alienum: sed ea quæ Deus clare, & apertè prænunciat, quæ in suo naturali sensu intellecta majestate divinâ digna sunt, atque ad totius sacræ scripturæ seriem consequentia; ad sensum alium ita diversum detorquere, ut verba Dei clara nil aliud quam obscura, & tenebrosa umbra reputetur; profectò id certius est Deum criminari. In summa ea quæ fuerunt, vel futura erant de necessitate salutis, Deus neque hyperbolice, figurative, aut obscure hominibus enunciavit: Satius fuisset nil prædixisse, & postea facere quod ipsi placuerit, siquidem ea figurative prædicta in causa fuerint, ut postea veris, & figuratis fides ab Israële non præstaretur: & gentes textibus scripturæ, quam non noverant, nequaquam indigebant ut crederent.

Num. IX.

Quod Christus literæ spiritualem sensum non explicuit, neque quod Lex erat Mystica, potius oppositum: Atque in plurimis etiam Apostoli ad literam legem servantes.

PRosequitur Doct. Vir respondens ad id quod dixeram, Deum nobis litteram mortiferam dedisse; gentibus verò spiritum, qui vivificat; & ait: Deum primo dedisse Israëli spiritum vivificantem, sed cum revelatæ gratiæ repugnaverit, conversum fuit Euangelium ad gen-

tem. Ego per spiritum intelligebam verum, & spiritualem litteræ sensum, non fuit Christo, dum viveret, revelatus, ut supra dixi; sed oppositum docebat. Neque etiam discipuli hanc doctrinam claram, & apertam, conceperant; ex eis solus Petrus dixit quod erat Messias: & respondit, *quod caro, nec sanguis hoc ipsi revelavit, sed Pater*: non ergo hoc clare docuerat. Præterea discipuli adhuc terrenum regnum expectabant (utpotè Judæi) & quæsivere an duodecim tribus Israëlis esset collecturus? Quibus ibi secretum quod sub cortice legis latebat non aperuit, neque de Israële spirituali, verbum loquutus: quamvis aliquando dixerit, quod regnum ejus non erat de hoc mundo: hæc servabantur ab Spiritu Sancto discipulis postea revelanda, sed nec tunc adimpleta, quia postquam Spiritus Sanctus super eos descendit, in eadem perseverabant ignorantia, legalia jam inutilia minimè credentes: ideò Petrus respondit Angelo, quod nolebat se immundare in reptilibus: Et de gentibus ad Ecclesiam recipiendis, dubitavit, ut qui credebat in solis Judæis Ecclesiam posse consistere: adeò illis erat ignotum Mosis legem esse ut inutilem relegandam, ut plurimi ex discipulis eas ad ipsius observantiam cogere velint: & inito in Hierosolymis consilio oppositum Petrus præcipuè decrevit. Verè profectò, & secundum divinum decretum, quod soli Israëli Legem commendaverat. Sed non consistit ratio Petri in legis divinæ ut nunc asseritur per adventum Messiæ ablatione; Sed quod jugum quod Patres nostri portare non potuerunt non erat sine necessitate gentibus imponendum, quod nil habet similitudinis cum post sequuta doctrina: Ergo neque Spiritus Sancti influxus spiritualem intelligentiam præstitit, ut Judæis participaretur. Sed quo jure talem spiritum admitterent Judæi, cum & Christum ipsum, & post eius obitum discipulos legem secundum litteram observantes, viderint. Circumcidit Paulus Timotheum pravesse ut scirent Judæi: Venit Hierosolymam, & ne contra circumcisionem, & patrias leges, prædicare convinceretur contrarium affectans; Nazareatum simulans sacrificium legale, & cæteras ceremonias in templo publicè exercuit. Non ergo litteræ spiritum Israëlem docebat, sed gentes, quæ credere erant aptiores: Quibusque etiam aliqua in eo Concilio fuere decreta, ut abstinentia à sanguine, immolatis idolis, & suffocatis, sed pro fratribus Judæis nil prorsus decretum fuit; contentis Apostolis quod Moses singulis Sabbathis in Synagogis oppidatim legebatur. Credebant igitur hoc ipsis sufficere, dummodo Christum crederent, absque alterius spiritus notitia.

Num. X.

Quod frustra, & præter rationem ab Apostolis, præcipuè Paulo, Judæis ritualia servare permittebatur: & quod verbis implicabantur.

PRosequitur Doct. Vir ut probet Deum Israëlem carnalibus, & umbraticis non fefellisse, & ait quod *neque Apostoli, neque Paulus magnus libertatis Christianæ patronus Mosis ritualia post Christi adventum prohibuere Judæis.*

Sic & ego supra probavi, unde inferebam doctrinam de mystica, spirituali intelligentia Judæis non fuisse enunciatam neque præceptam, cum tamen hæc omnino essent incompatibilia advento jam corpore quod significabant; & donec in ipsis perseverabant spiritum qui vivificat minimè habebant: Et ego quæro, quo prætextu, vel in quem finem ea observari permittebantur, an ut divina à Deo præscripta? Si ita: ergo ad vitam æternam consequendam: quippe non est obedire Deo, nisi in hunc finem: neque talia licebat agere ut indifferentia, cum semper fuissent habita divina: Quod si tunc scirent non esse necessaria, ut quid religiose servarent? hoc nihil aliud esset quam iis quæ sacratissima fuere indigne

digne ludere: quam difficilis, quam confusa fuit hæc ultima revelatio? Idcirco cæteri Doctores Christiani aliter respondent: Quod servabantur legalia ut sepeliretur Synagoga cum honore. Sed quid hoc est nisi rhetoricus, & speciosus prætextus? At Paulus, cum omnia omnibus fieret ut aliquem Christo lucraretur, antiquos ritus Judæis permisit, plurima gentibus, quæ tractu temporis novis statutis, & consiliis partim evanuere, vel pro maiori parte in toto Christianismo, præsertim papistico, perseverant. Opinatur ergo Doct. Vir, quod si ego nunc in Christum crederem ut verum Messiam, & simul omnia Mosis legalia servarem ut à Deo in lege præscripta, & ut ei obedirem, & meæ conscientiæ satisfacerem, essem nullius criminis reus, & optimus atque orthodoxus Christianus, siquidem illa neque à Christo, neque ab Apostolis, neque à Paulo fuerunt Judæis prohibita. Vidi doctissimum, & satis pium virum Dominicani ordinis Monachum, qui toto corde hanc opinionem conceperat, & ab Inquisitoribus captus, post sex carceris annos, in sua sententia constanter perseverans Christum usque ad ultimum spiritum implorans, vivus fuit concrematus. Putarem quidem quod totus hodiernus Christianismus pro illius hominis condemnatione suffragium daret. Sed ad rem: permittebatur Judæis ab Apostolis ritualium usus à Deo præscriptus, dummodo Jesum Messiam crederent quem expectaverant: Verum antiquis, & hodiernis Judæis videbantur Apostoli in verbis implicari, cum præcipua Christi dogmata Legi Mosis contraria sint, & eo ipso quod Christum crederent Legem tenerentur deserere, ut vanam, & inutilem ad salutem, ut jam non Deo gratam: Cum tamen ex eadem credere teneantur, ipso Deo sæpe attestante, quod non sunt vana quæ nobis præscripsit, quod non sunt inutilia, quod ei gratissima tota lex est, præcepta, judicia, atque ceremoniæ, quod in ejus observantia sanctificabimur coram Deo, quod illa est nostra vita, & medium unicum pro nostra sanctificatione; quæ si feceritis & observaveritis sancti eritis coram me: Certè inter sanctum & justum nullum assignari potest discrimen: Ergo contra legem facerent, qui ejus præceptiones, ut vanas & non amplius ad salutem utiles observarent: Inanis quidem foret superstitio, & hypocrisis cum divina lege, & Christianismi severitate incompatibilis.

Sed tunc temporis erant Christiani in infantili ætate, balbutiebat Sanctus Spiritus cum ipsis, ut puerulis, sublimiori doctrinæ non idoneis (Ecclesiæ infantiam appellant Doctores Theologi) ideo totus scopus consistebat in fide Christi propaganda & optimis moribus consulendis (ut etiam faciebant Stoici) omni honestate, & vitæ innocentiâ præscripta. Unde nil mirum eo tempore legalia Apostolos & exercuisse, & permisisse Judæis, dummodo Christo nomen darent. Erat tamen perniciosa permissio, quia qui transgrederetur crederet se peccare, & qui observaret crederet Deo placere, & utrique absolutè fallebantur, cum ea, utpotè indifferentia, neque Deo offensiva, neque grata fuissent. Videat deprecor Doct. Vir miserum populum, jam orto sole, tenebrisque fugatis, veritate, quæ sub legis cortice latebat, clarè detecta, in ejusdem legis laqueis inutiliter implicitum, ut novi Prophetæ eam inutilem, vanam, tamen adhuc observabilem à Judæisque non necessario rejiciendam prædicarent. Hoc sufficiebat, ut eos Prophetas populus non audiret, quia utpotè missi à Deo, populum in lege divina confirmare debuissent; non verò avertere, vel ut inutilem, indifferenter servare, aut rejicere; *Hieremia*, *cap.* XXIII. *vers.* 22.

Num. X I I

Quod Israël non ex odio, neque malitia Christum abjecit: quod si male fecit, fuit ex invincibili ignorantia, ut & Paulus fatetur, & Christus dixit.

PRomisit Deus (ait Doct. Vir) Regem, eumque suo tempore misit, eis donis instructum, quibus posset Israël eum facilè cognoscere, *si seposito prajudicio, & malitia, sedata mente eum considerasset.*

Si Israël tunc temporis per totum orbem in Synagogis dispersus, & omnes qui Judæam habitabant, Christum, & ea quæ referuntur dona vidissent, posset dubitari quare non crediderint: Sed siquidem neque præsentes credidere, minus possent credere absentes, qui nil viderunt, neque aliquid novum in Israële ex iis quæ expectaverant, neque in toto mundo experti fuere. Erat quidem non facile, aut rationale post ejus mortem, Judæos divinam legem inter gentes laboribus, opprobrio, & despectione observantes, hominibus eam historiam enarrantibus, fidem præstare, & quam divinam religionem à Deo, & ascendentibus receperant, abjicere. Hoc erat præjudicium àDoct. Viro damnatum, quo Judæi semper divina lege præventi nova dogmata admittere renuerunt, & in hoc præjudicio perseverare à Deo ipso semper fuerunt admoniti.

De malitia, quam disertis verbis Doct. Vir, & illius temporis Judæis, & præsentibus imponit; nescio quid respondeam: Sufficeret negare, cum id probari non posset, sed à Deo qui hominum corda exscrutatur, an malitia sit, vel fidelis constantia judicabitur. Fere excogitari nequit, quod in hominem, qui mortuos excitat, cæcis visum concedit, ægrotos omnes sanat, & infinita edit miracula, totus populus malitiam, & odium exerceat; possent quidem aliqui qui idem officium affectarent; potuerunt falsi Prophetæ maligna invidia contra Hieremiam agere, quia de vera, vel falsa propheria contendebant, vel etiam idololatria infecti contra aliquos Prophetas: aliter nescio quæ insania tot homines potuit corripere, qui alias levissimis quibuscumque insolitis permoventur: Præsertim in viro justo, & innocente, quamtumvis populi peccata, & hypocrisim magnatibus urgeret, quod tunc Rabbini, & nunc etiam nostri singulis Sabbatis concionantur, & acriter reprehendunt; neque ideò populus aut seniores eos odio prosequuntur, sed annualia largiuntur stipendia, ut suis concionibus homines coerceant, & ab peccatis avertant.

Tandem Paulus Doctissimo Viro contradicit, & pro Judæis respondet, asserens, quod ex ignorantia Christum crucifixere, & quod ipse ex zelo legis Christi sequaces totis lacertis persequebatur: tamen erat vir doctus, Rabbinus, qui studuerat ad pedes Gamalielis. Quare igitur cæteri Judæi, pio eodem zelo non afficerentur, cum Paulus credere non potuisset, quousque vidisset cœlos apertos, & audivisset arcana Dei, quę non licet homini loqui? Si toti populo talia contingerent abs dubiò crederet, sicuti credidit in deserto. Ideo dixit Deus Mosi, *Ego veniam super tabernaculum, & videbit totus populus, & credet*; debebat ergo videre totus populus: quare si non credidit eandem habuit malitiam, quam Paulus dum non credebat. Sufficiat ergo pro malitię excusatione, quod scribitur in Euangelio Christum dixisse; *Pater ignosce eis non enim sciunt quod faciunt*; & quare facerent si scirent?

Hierosolymam in nomine Adonay : quod *omnes venturæ erant de Sabbatho in Sabbathum, de novilunio in novilunium Deum Jahacob adoratum, & singulis annis ut festum tabernaculorum cum populo Dei celebrarent, idololatria penitus exstincta* : Si hæc omnia à Deo concedenda expectamus, non sine Messiæ interventione in terra, quid inconveniebat prædixisse Messiam jam in cœlo collocatum, ut Dei instrumentum, hæc, & sublimiora effecturum? Sicuti Angelus ille qui Israëlem per desertum ducebat. Certè quod hac, vel altera creatura, vel ex cœlo, vel in terra, utatur divina voluntas, nil indignitatis, aut inconvenientis habere videtur, neque quod sic clarè, & apertè, Israëli fuisset enunciatum; ne in letalem errorem miserè dilaberetur: hoc modo Deus populi ante, & post Messiam viventis, eandem habuisset providentiam, & id medium, quod (ut creditur) decreverat pro generis humani salute absque Israëlis internecione, optimè exsequeretur. Sed cum id Deus nullatenus per Prophetas prædixerit; potius littera oppositum significaverit, ideo non credidere Judæi, & se hac arte à divina lege recedere, eamque contemnere putabant, si crederent.

Cæterum quod de fide, & docilitate, quam Deus ab hominibus exigit, adducit Doct. Vir; generalissimum est omnibus sectis: ita loquuntur Pontificii contra omnes Reformatos, ita Reformati contra Papistas, Socinianos, & alia dogmata insequentes. Ita etiam Mahometani contra Christianos, seque ipsos appellant credentes ab Alcorano edocti; Sic Judæi se populum Dei sapientem, & à Deo instructum putant: Cæteros omnes populos vanis sectis implicitos existimantes, ut à Deo censebantur ante Christi adventum. Et cum viderint quod ab initio legis divinæ ante, & post Christi adventum, ab omnibus gentibus, ut pertinaces. & superstitiosi contemnebantur, & continuis conviciis, & opprobiis propter divinam legem afficiebantur, ut patet ex Plinio, Tacito, Petronio, Justino, & similibus: Post vero sequutus Christianismus ex eisdem gentibus coalescens idem odium, eamdem persecutionem, eadem convitia, cum semper exercuerit, eademque Mahometani pariter nobis objiciant, nullo dissimili prætextu; nil mirum quod Israël credat omnes has gentes propriis erroribus, ut antiquitus compulsas, suæ in divina lege constantiæ illudere, & ad suas fides ut dociles, indesinenter trahere contendant. Ita est, Deus vult homines ad suum imperium, atque mandata dociles, non refractarios, non contumaces; sed non ita blandos, dociles, ut ab constantia in ea quam receperunt verâ fide aliorum hominum suasione, vel etiam Angelorum (si possibile foret) contraria doctrina amoveantur: Sic etiam de Euangelio legi novos Christianos Paulum admonuisse ad Corinthios.

Dicit ampliusDoctissimus Vir, quod non reperitur in suis scriptis, Deum præcipua Messiæ officia non revelasse; sed quod non clarè, & planè revelavit: hoc est, obscurè, & verbis figuratis; Respondeo, quod confusè, per umbras, & figurativè revelare haud probari potest; nisi prius Euangelio fides adhibeatur: neque potest Euangelio fides præstari, nisi credantur ea sub figuris, & umbris in Vetere Testamento contineri. Cum verò Israël tales figuras, & umbraticas insinuationes nunquam cognovisset; frustra ex Vetere Testamento Euangelium suam veritatem probare contendit; quippè quo magis Israël scripturas excrutatur, magis abest, quo minus testimonia pro Euangelio confirmando adinveniat. Neque tales insinuationes sufficiebant, ad Legem Dei deserendam, novamque amplecti priori planè contrariam, præsertim cum clarissime de Messiæ officiis Dominus fuisset loquutus, non tenebatur Israël claris ut inutilibus despectis, confusas, obscuras, umbraticas insinuationes disquirere. Ideoque ea quæ dicuntur obscurè insinuata (ut prætendit Doctissimus Vir) non fuerunt in causa, ut Israël eum Messiam non receperit: Sed negato supposito de iis obscuris insinuationibus, & figuris, quas nunquam novit; non credidit Israël illum Messiam propter clara, & patentia à Prophetis de Messiâ revelata, & in illo non solum non adimpleta, sed omnino contraria ratione contingentia.

Deus fidem exigit ab hominibus; sed id non obstat quod clarè revelet id quod vult quod credamus, & quibus vult quod obediamus; hoc liquet, quia non; quia clarè se ostendit Israëli, fides Israëlis erat minus sancta, & Deo grata: & si hæc fuit ex clara revelatione, quare non ita de Messia vel ante vel quando venit? Præterquam non petit Deus, aut aliquando revelavit quod populus crederet in Messiam, vel in aliquem alium Prophetam; maximè quod crederent Prophetæ,

verba Dei enuntianti: quod omnino diversum est cum homo in solum Deum credere debeat, Prophetæ vero credere: ergo qui in se ipsum fidem exposcit jam Propheta non est, sed Deus ipse. Debet enim Propheta dicere: *Sic dicis Adonay*: non, *Ego autem dico vobis*: præsertim si prædicetur Lex Dei, ut onus insupportabile. Quas hic Theologi distinctiones adducunt optimæ sunt ad dogma Christianum defendendum Scholastico modo, non verò ad Israëlem suadendum ut credat; etenim Deus Israëli in ea lege constantiam perpetuam commendavit, ut ab ea non recederet, quamtumvis portentis, & miraculis suadeatur. Certè non obedire Deo, ut ait Doctissimus Vir, non est idem ac ut Israël Deo obediat legem à Deo commendatam servare, & alteri quæ sub nunquam auditis, neque excogitatis doctrinis proponebatur, repugnare.

Num. XIV.

Quod Iudæi non propter carnalem affectum Messiam non recepere, neque talem expectant, sed omnino propter Dei gloriam, cum pro singulorum salute Messias necessarius non sit.

PErgit Doctissimus Vir & acriter in Judæos invehitur, quod nil aliud impedivit ut suum Messiam admitterent, nisi *carnalis quidam affectus, qui terræ ita sit affixus, ut animum ad cœlum & cœlestia minimè attollere velit*. Sed in quo consistat iste carnalis affectus sapientissimus Dominus nunquam satis explicuit: debet tamen consistere aut in amore patriæ, & bonorum temporalium; aut in doctrina carnali, quæ spirituali opponeretur, aut in utroque. Quod ad amorem terræ Chenaan attinet, non inficias ibo, quod Israël eam summo amore prosequitur: & sic tenebatur, nisi divinam munificentiam indigne contempserit: In ea, & propter eam Dominus tot miracula fecit: Israëli ut inæstimabile bonum promisit, & dedit: quod si legem observasset in ea feliciter victurus; quod si transgrederetur, non infernales pœnas comminatur Judæis; quippe cum republica loquebatur non cum singularibus, in quibus plurimi erant justi, tota republica ut improba, & rebelli, punitionem sustinente, quæ in exilio à terra illa sancta consistebat: neque cætera bona temporalia, quæ ad usus humanos expectant à Deo ipso promissa, debebat Israël despicere; sed cum gratiarum actione à liberalissima Dei manu recipere, & debita cum pietate, & moderatione eis uti; unusquisque secundum sui status rationem, cum in suo mundo diversas hominum hierarchias esse voluerit, quas absque bonis temporalibus subsistere foret impossibilè: Hoc verò respectu divinæ gloriæ, & salutis æternæ, atque perfecti Dei amoris, quasi nihilum ab Israële habendas, ab eo didicimus, quem toto corde, tota anima, totis viribus amare jubemur; ita ut nullum, nec minimum in corde habeamus quo Dei amorem, & obedientiam, quoquo modo diminui patiamur: Sicuti nec amor proximi, aliquid detrahit de totali amore quem Deo debemus, siquidem & proximum, & cætera temporalia in solius Dei gloriam amare teneamur, neutrumque simulata affectatione despicere: Abrahamum, Ishacum, & Jahacobum, Dominus divitiis cumulavit, pro quibus gratias Deo reddidere: Ideo Jacob Deo dignas grates rependens dixit, quod *pauper cum suo baculo Jordanem transiverat; & tunc duabus pecudum gregibus, dives, in patriam redibat*, non erant certe viri isti ita carnalibus addicti, ut cœlestia considerare nequirent, nec obstabant divitiæ frequentibus cum Angelis colloquiis, quia divitiarum amor talis erat ut de divino nil prorsus detraheret. Hæc fuit, & erit semper sacræ Legis doctrina

ctrina pro qua violentissimas mortes Judæi passi fuerunt ante Christi adventum, & postea pro Romanorum idololatria à suis terminis exterminanda, nec adhuc oculis Hierosolymæ sub Cæsarum imagine inspicienda unanimes colla carnificibus libenter obtulere. An erat affectus carnalis? terrenis affixus, quod temporalem vitam contemnebant, ut æternam consequerentur? Non id concedet Vir pientissimus. Nostro vero sæculo, & præcedentibus post Christi adventum non eadem, & difficiliora Judæi perpetiuntur? incarcerantur, bonis temporalibus penitus destituuntur, & vivi propter divinæ legis confessionem concremantur? An hic est carnalis affectus quo cœlestia aspicere non possumus? Profecto non nisi propter cœlestia gentium labores, opprobria, & mortes sustinuerunt, & sustinemus: Nec amplius pro Dei amore agere possumus; cum nemo possit amicum magis amare, quam vitam dare pro amico suo, ut in Euangelio legitur.

Sed jam video Christianam doctrinam majorem perfectionem prætendere, videlicet, quod omnia terrena temporalia penitus contemnantur, quod sola ad cœlestia animi eleventur, & ea unicè prosequantur, nullatenus in terris thesauros colligere, sed dumtaxat in cœlo, ubi omnia sunt à corruptione exempta: quod neque pro sequenti die, ut nostræ indigentiæ subveniamus, solliciti simus, à passerculis, & floribus edocti, quibus Deus, eis non cogitantibus, liberalissime providet: quod vendat quisque quæ bona habuerit, & tollat crucem suam, & Christum insequatur: sicuti jubebant, & exercebant Apostoli cum primis Christianis: & vendebant omnia quæ habebant, & imponebant pretium pedibus Apostolorum: Amare inimicos, non vindictam capere nec odium servare, una percussa gena, alteram offerre percutienti: nunquam jurare: neque adhuc justè pro meo pallio litem cum proximo agere, potius reliquum meæ vestis patienter largiri. Ex iis præcipua fuere in divina lege præcepta, aliqua non nisi cum hyperbolè proponuntur, quæ commodo sensu accipi debent: Consilia dicunt Doctores Pontificii, alii præcepta. Plurima bona essent, si factibilia forent: Sed nunquam Christianismus talem doctrinam fuit opere exsequutus: nisi fortè in iis primis ecclesiæ rudimentis, tunc enim pauci cum essent, unam quasi confraternitatem constituebant, ut ex actibus Apostolorum colligere licet: post verò crescente numero ea doctrina impossibilis evasit: nunquam Christiani bona temporalia contemsere ad cœlestia dumtaxat respicientes; quamtumvis sæpè vitam darent pro religione, ut & Judæi semper fecere. Semper thesaurarunt in terra, quamvis cœlestem patriam principaliter intuerentur: Sufficiebat quidem esse pauperes spiritu, & respectu vitæ æternæ omnia temporalia nec flocci habere. Semper regna armis tueri consuevere: Quisque suam dignitatem cum decore servare: Sua bona retinere, nec vendere omnia, & dare pauperibus, ut sic crucem suam Christum insequens unusquisque tolleret. Adeò ut qui aliter vitam suam componeret, & ea omnia ad literam servaret, ut superstitiosus à cordatis omnibus damnaretur. Neque mundus alio modo gubernari patitur. Quid si omnes ut ab Euangelio instituitur vitam agere velint; ubi inferiores, qui aliis inservirent in rebus ad vitæ conservationem necessariis, omnes cum essent pauperes, & æquales? Esset profectò totus mundus, saltem totus Christianismus, mendicorum colluvies. Debent ergo divitiæ prudenter servari, & licitè conquiri, ac in proprios usus sancta cum sobrietate dispendi: Pauperibus non totum panem; sed suam portionem largiri; Sed præ omnibus quærere regnum Dei, & ejus gloriam omnibus anteponere; & servando mandata quantum nostra fert fragilitas, Dei gratia semper implorata, animæ prospicere, & salutem æternam à Deo per suam misericordiam expectare, & constantissime ambire. Nisi hæc Euangelica doctrina sic intelligatur, qui fuit, & est sensus legis divinæ à Mose promulgatæ, nunquam opere exequi poterit, nunquam eam Christianismus observavit. Si tamen ego omnes Christianos Monachos Capucinos factos vidissem, tunc libenter faterer, eam habere Euangelicam perfectionem in totius mundi, & terrestrium contemptu stabilitam: Interim neque in vitæ compositione, neque in cordis affectibus, neque in cœlestibus unicè disquirendis Christianos cæteris gentibus maiori video spiritualitate gaudere, quamtumvis de ea maximè glorientur. Potius nulla religio, quæ tot vitiis, sectis, præcipuè idololatria pro majore eius parte scateat, & conspurcata sit, ac semper fuerit. Fateor tamen hæc esse contra religionis

Christianæ genium, qui hæc omnia validè condemnat; Sed id assererem, quod iste genius ista perfectio secundum id quod divinæ Legi Mosis addere intendit, hominibus impossibilis est, & nunquam exequuta, nec exequendam nisi intra eos limites, quos Dominus ipse in divina Lege præscripsit. Et cum spiritualia, & cœlestia Christiani per Euangelium non magis ambiant quam Israël per Legem; non rectè dicitur, quod ob terrenum, & carnalem affectum Judæi cœlestia respicere non potentes, Messiam suum non cognovere: Imò à carnalibus Israëlis animus adeò erat aversus, ut Deum summum spiritum, carni minimè similem, ejus jussu ab initio credens, jam incarnatum esse in animum non posset inducere.

Num. XV.

Quod ea quæ sufficiunt pro suadendis gentibus ad Euangelium non suffecere Iudæis aliter à Deo instructis. In quo Doctissimus Vir non me benè intellexit.

DIxeram, quod illa revelatio de officiis Messiæ in Veteri Testamento sub figuris significatis sufficiens erat pro gentibus suadendis; non vero pro Judæis aliter à Deo instructis. Regerit Doctissimus Vir, quod *si pro gentibus erat sufficiens, etiam debebat sufficere Judæis, siquidem agebatur de gentibus ab idololatria avertendis, & ad Dei Israëlis fidem adducendis:* Quare ergo non sufficeret pro Judæis?

Respondeo, quod ea quæ sufficerent pro gentibus ad Euangelium suadendis, nullatenus sufficiebant pro Judæis, propter rationem quam ibi adduxeram: Quippè Judæi erant à Deo contraria doctrina instructi, quæ debebat esse unica suæ fidei regula, quam gentiles penitus ignorabant. Verum argumenta, quibus Apostoli probarent unius Dei existentiam, non minus sufficiebant pro Judæis, quam pro gentibus; siquidem essent ex naturali ratione petita (quamvis ea in Euangelio non inveniantur) sed his argumentis non indigebant Judæi, qui soli in toto orbe, verum Deum ab incunabulis noverant, & adoraverant. At argumenta quibus Euangelium, seu novam revelationem gentibus suadebant his possent sufficere, utpotè talium rerum ignaris, & divinas scripturas minimè cognoscentibus, quibus antequam jam essent Christiani haudquaquam fidem adhibuere: quibus ergo argumentis eum Messiam Deum, & hominem esse probare possent? Id naturali ratione suaderi nequit: ex Vetere Testamento dumtaxat argumenta capere tenebantur; sed gentiles analogiam cum Euangelio quomodo discernerent, ut sic ad fidem suaderi possent? Cum igitur Veteris Testamenti essent ignari, Euangelio facilè credidere, & cultum pietate plenum admisere: cum antea summa cum barbarie plurimos homines mortuos ut Deos adorandos amplecterentur, multis fabulis contextis lumini rationis planè repugnantibus: quid mirum, quod melius instructi Deum Israëlis admitterent, quem fortasse non credidissent nisi suo modo ipsis proponeretur humanatus, ex muliere natus, pulcherrimus, innocentissimus, mortuus, resurrectus, & in cœlis ad dexteram Patris sedens inter divos collocatus: Erant similibus populi terræ satis assueti. Pauló post vel statim à Christianismi exordio, paucis labentibus annis eadem gentium idololatria perstitit, divorum nominibus, atque dearum, dumtaxat mutatis, quibus eadem antiqua templa fuere dicata, & in quibus non minus idololatricus cultus celebrabatur, & adhuc pro majori parte in Christianismo consistit.

Cum igitur ego dixi ea argumenta sufficisse gentibus; non sic debet Doctissimus Vir intelli-

intelligere, quasi dicere velim, ea argumenta pro statuendo Euangelio, utpotè valida, & vera, sufficisse pro gentibus: sed quod eæ ignaræ ob sui inscitiam potuerunt iis facilè convinci, & fidem præstare: nec enim habebant principia, quibus novis repugnarent, & sua antiqua sustinere possent, ideò Occidentales, & Orientales Indi facillimè non solum religionem, sed Papistica idola admisere, & alia quæcumque admitterent, si proponerentur, non ita Chinenses, utpotè suis ritibus, quamtumvis falsis, rationabilius instructi. Ideo dixi quod ea non sufficiebant pro Judæis à Deo aliter abundè instructis, quibus in lege dixerat: *Vos estis gens sapiens, vos estis gens inclita.*

Dixeram Deum per Prophetas Messiam diversis coloribus depinxisse, ac postea vester apparuit. Respondet Doctissimus Vir, Deum non posse sibi esse contrarium: & siquidem gentes credidere, hoc sufficere debebat Israëli, ut cognosceret, se Prophetas in vero sensu non intellexisse. Bene quidem, quasi Israël à gentibus discere teneretur, vel earum exemplum imitari, cujus oppositum Dominus semper commendaverat, & ab eis per religionem separatum voluit, nunquam in ea cum gentibus conventurum, ut dixit Moses: *Et erimus separati, ego, & populus tuus ab omnibus populis terræ*; cui Deus respondit: *Hoc etiam faciam, quia invenisti gratiam in oculis meis.* Jam quidem per plura sæcula expertus fuit Israël gentium doctrinam semper ei fuisse funestam, & earum imitationem omnium malorum causam: Ideo eam fugere Dominus sæpillimè admonuit: Ergo quamtumvis gentes crederent, nil debebat in Israëlitarum animos influere illa fides. Est enim verum, ut dixi, quod Deus contrariis coloribus Messiam depinxerat: quippè terrenum descripsit, qui alias futurus erat cœlestis: & sicuti hæc nostra spes in Messiam terrenum est vestræ fidei contraria; ita & illa promissio terrenis coloribus depicta, ut jacet, futuro cœlesti Regi. Sed quod sub his contrariis coloribus, aliud satis diversum latebat; id nunquam novimus, neque noscere possumus, donec Euangelio fidem non præstiterimus.

Num. XVI.

Quod Israël Regem cœlestem non vidit, neque visibilis est, sed fide credendus, neque pro hoc miracula sufficiebant.

Refert Doctissimus Vir, Regem Israëli promissum fuisse, sed quod responderim: Regem non vidimus. Et urget, verum esse quod Regem terrenum non vidimus; habuimus tamen cœlestem, quem noluimus recipere. Christianè satis loquitur, ut decet, sed contra Israëlem nil convincit, qui regem cœlestem Hierosolymæ non vidit: Neque visibilis est Rex cœlestis; sed per fidem credibilis: quia non potest esse Rex cœlestis, nisi fuerit Deus ipse (quidquid Sociniani contrarium somniaverint) etenim nulla pura creatura potest ubique assistere, & providere. Sed quomodo cognosceret Israël hominem aliquem esse Deum, ideoque regem cœlestem? an ex miraculis? Profectò vera miracula opera Dei sunt, sed quando à Deo immediatè non efficiuntur, sed per homines, isti ut Dei instrumentum recensentur, & ut ejus ministri venerantur, honore, & gloria soli Dei omnipotenti concessis: Non igitur ex miraculis homo aliquis sui divinitatem, seu deitatem asserere potest; sed id dumtaxat, quod ministerium ejus est à Deo, non à propria voluntate, aut superbia confictum. Neque Mosis miracula ipsum regem cœlestem probabant, sed regis cœlestis fidum ministrum. Cum verò Deo placuit immediatè suam existentiam Israëli demonstrare, præter Mosis stupenda miracula, ipse absque hominis interventione totum populum alloquutus fuit, ita ut ejus existentiam non amplius posset in dubium vertere. Præterquam ut Doctores Christiani asserunt, Christus quando in cœlum ascendit Regis sceptrum obtinuit, non antea, cum servi formam gerebat in mundo. Quomodo igitur Israël posset tunc

 cognos-

cognoscere eum hominem esse Deum, & Regem cœlestem, cum nec miracula suffecissent, neque quòd de se ipso id affirmaverit, aut aliquod observaverit regnandi signum? Et quamvis cognosceretur ut Propheta, non ideo ut rex cœlestis cognosceretur, cum nondum regnum obtinuerit. Post vero tempore Apostolorum non sufficeret quodlibet miraculum, ut quem Prophetam crediderant jam Deum esse crederent: Profecto nimia credulitas à Judæis exigebatur. Sed cum Doctissimus Vir non explicuerit quomodo Israël Regem cœlestem viderit; Sufficit absolutè negare donec probetur. De quibus inferius plura.

Num. XVII.

Quomodo futura Redemptio ab Israële desideretur, quamvis non omnibus populi individuis profutura sit, præsertim qui antea emoriuntur.

PRobat Doctissimus Vir: quod satis liquebat Israëli, futurum quod expectabat regnum non forè terrenum, neque corporalem redemptionem, quæ toti Israëli, & totius populi in salutem promittitur, quæ si terrena futura esset solis tunc viventibus prodesse quiret; non tamen per tot ante sæcula jam mortuis: Ergo spiritualis redemptio erat promissa, quæ toti Israëli posset esse in salutem.

Pro cujus argumenti solutione quod aliquam probabilitatem prima facie habere videtur, supponat Doctissimus Vir: quod Israël duplici sensu considerari debet: vel copulativè, pro collectione populi, & ut respublica quædam à Deo instituta: vel distributivè pro singularibus illius reipublicæ. In hoc secundo sensu nullo Messia, nulla redemptione indiget, nec aliquando opus habuit ad salutem æternam consequendam: sufficit quidem lex divina quam ut unicum medium ad salutem Dominus Israëli præcepit: *Hæc est vestra vita: arborem vitæ* appellavit Salomon: quod de temporali minimum verificaretur: cum & juvenes quamtumvis pii immatura ætate moriantur; sed de æterna necesse est intelligi. Propter ejus observantiam Deus se nobis concessurum promittit: quod *erimus ei grati*, quod *erit nobis in Deum*; quod *nos amabit*; & cum præter Deum ipsum nulla alia gloria rectè cogitari posset, sic nobis æternam gloriam promittit. Est quidem verum, quod cum homines ob sui limitationem gloriam neque concipere, neque verbis exprimere possent, varias gloriæ ideas sibi finxere, quas cæteris hominibus persuaserunt, ut ad vitæ rectitudinem, earum spe allicerent. Gentes campos Elisios; Mahometani voluptatibus plenum Paradisum: Christiani civitatem in quadro positam super omnes cœlos, quasi Deus sibi domicilium aliquod paraverit: quod Jesuita doctissimus magno volumine graphicè depinxit, ad ea verba Euangelii: *Multæ sunt mansiones in domo Patris mei*: ubi magna lucidissimaque palacia somniavit, ne post resurrectionem Sanctorum rediviva corpora, quasi oves errarent per totum cœlum dispersa: Et cum sensus tunc non otiaturos, verisimilè sit, mirabiles colores, odores, suavissimaque mella, atque sapores lepidè descripsit: De tactu nil protulit, ne omnino Mahometicum Paradisum depingere putaretur. Ita humana imbecillitas delirat, in rebus incomprehensibilibus; at Israëlis individua nullam aliam gloriam sibi proposuere præter Deum ipsum, cui si Israël legem observans, placuerit, credit & sperat infallibiliter eo in æternum fruiturum: Sed ubi, & quomodo, nec scit, nec scire usquam affectavit, neque pro hoc divino, & summo bono consequendo, Messiæ aut alterius redemptionis, interventionem admittunt Judæi aut necessariam esse crediderunt, sola divina misericordia, & lege contenti.

Verum

Verum in alio sensu, ut unus populus, ut respublica, ut ecclesia Dei collectivè sumpta, dispar est ratio: & ut talis à Deo punita fuit, suo splendore penitus destituta, ex sancta patria extorris, quasi à Deo despecta, & derelicta: quem statum, sub visione prophetica cadaverum ad vitam redeuntium descripsit Ezechiel, dicens: *Hæc est domus Israëlis, sepulta in gentibus*, cujus sepulchra se aperturum ibi promittit, & in patriam reducturum, super eamque divinum suum spiritum influxurum. Hæ sunt punitiones, & redemptiones populi, reipublicæ, seu Ecclesiæ; non singularium: quia in devastata republica sancti, & pii eamdem, fortassè propter Dei judicia deteriorem, fortunam subeunt. Ideo de pœnis, & præmio æternis Prophetæ ferè non loquuntur, cum hæc ad singularia; non ad rempublicam pertineant; ne igitur Israëlitica crederet se jam à Deo in æternum derelictam, neque amplius Deum Abrahami semen diligere atque in gentium numero à Deo haberi, suamque ecclesiam in alias mutasse, legemque quam dederat ut inutilem revocasse, populum, & in lege, & per Prophetas omnes, admonuit, quod fœdus cum patribus initum, nunquam defecturum, quamvis foret inter hostes suos dispersus; quod omnes nationes ad quas relegatus fuerit, disperdet; non verò populum suum quem ad justitiam castigabit; quod quamvis gentes credant, & ei objiciant, quod suum vulnus est immedicabile, ipse sanabit, ut non amplius ægrotet; quod restituetur; & in sui gratiam, & in patriam, ut ibi ab hostibus liber divinum cultum exerceat, & antiquis favoribus fruatur. Hæc adeò frequenter repetuntur in Sacris Scriptis, ut vix sit Prophetarum pagina absque similibus consolationibus, ita claris verbis, ut aliter, nisi ad libitum, interpretari non admittant, aut in alios sensus converti. Quamvis plures gentes per multa sæcula nobis objiciant; aliquæ, quæ majorem mundi partem occupant, quod sunt vera Abrahami posteritas: aliæ quod sint verus Israël, sicque spiritualis, in quo omnes Prophetiæ adimplentur, de quo maximè gloriantur diversæ gentes variis cultibus implicitæ; & nos ex Israële naturaliter oriundos, ut à Deo odio habitos, & profanos abominantur, seque novis revelationibus, populos Dei esse contendunt. Sed hæc amantissimus pater in nostri correctionem permittit: Non quod alios populos præ nobis diligat; sed ut zelotypia affecti confusionem patiamur, & ejus misericordiam semper imploremus: Quod ne aliquando ignoraremus claris verbis admonuit. Igitur tota ecclesia Israëlitica promissam à Deo restitutionem desiderare, & continuis præcibus flagitare tenetur; nisi ingrata fuerit, & infidelis. Sicuti & ecclesia Christiana suam conservationem, & propagationem avidè exoptat, & Deum continuò deprecatur, quod Christus regnet in omnibus hominibus, & quod omnia adimpleat quæ de eo prædicta fuere, ita ut in genere humano sit pastor unus, & unum ovile. An singuli Christiani pro suarum animarum salute talium adimpletione indigent? non certe, sed sic credere, & desiderare, ac petere tenentur in Dei gloriam, & ecclesiæ prosperitatem. Ecce, Doctissime Vir, (quod fortasse nunquam de Judæis audiveras) qualis sit Israëlis spes, qualem redemptionem constanter expectet; non pro divitiis conquirendis, quia Judæus, etiamsi ditissimus, redemptionem populi à Deo deprecatur; non pro humanis commoditatibus, plures quidem haberent inter gentes si divinam Legem desererent, & Israëlis futuræ redemptionis spem exuerent: Non ergo propter humanas commoditates expectant, præsertim cum (ut ait Doctissimus Vir) non multo pejus vitam degant in plurimis locis, quam vel degère, vel degere possent in terra Canaan: Hoc etiam liquet, siquidem habita permissione à rege Dario redeundi, præter quadraginta tria millia hominum, in patriam populus redire noluit. Et adhuc jam Hierosolyma ædificata, templo constructo, & temporis tractu ea respublica non modicum splendorem adepta, populus terram Chenaan habitare renuit: & per totum mundum, ut nunc jacet, in Synagogis, dispersus vivere maluit: quippè illa redemptio, licet à Deo concessa, erat omninò terrena, & sublimiorem ex Prophetis expectaverat, quæ etiam spiritualem adduceret quam Judæi adhuc spectant, cum utramque Dominus promisisset, videlicet reductionem in patriam jam ab hostibus liberam, & cordium mirabilem circumcisionem, tanta cum gratiæ affluentia, ut amemus semper Deum toto corde & tota anima ut vivamus.

Hieremias.

Deut. Cantic. Mosis.

Hoc

Hoc beneficium non nobis solis Judæis expectamus, sed omnibus simul gentibus, cum Davide desiderantes quod laudent Deum omnes populi, & purè adorent Deum omnes nationes. Sed hæc omnia, & temporalia, & spiritualia non præcipuè in nostram, & totius generis humani utilitatem expetimus; sed ob principalem scopum propter Dei Israëlis gloriam, & honorem, qui solus regnet in suo mundo, cui cunctæ gentes cum amore, & humilitate obsequantur. Hoc est regnum Dei, quod desideramus, & quod unicè in nostra liturgia petimus, & continuò deprecamur: quod ita temporali Israëlis, ex gentibus redemptioni, colligatur, ut nunquam unum absque altero prædixerint divini vates.

Neque erit inefficax remedium, ut omnes gentes ad verum Deum convertantur, falsis festis depositis, si viderint populum à Deo per tot sæcula abjectum, & dispersum, ejus omnipotenti manu, contra omnium hominum opinionem, collectum, sublimatum, exaltatum, quem neque inspicere dignabantur. Præterquam terræ Chenaan possessio signum erat evidentissimum, quod Israël in Dei sui gratia perseverabat; & ex ea relegatio iram Dei contra suam ecclesiam & populum significabat, ut ex plurimis Sacræ Scripturæ locis, evidenter agnoscitur: Erit igitur talis possessio maximè expetenda, ut in divinam gratiam populus iste se jam reductum credat.

Nec obstat quod nunc & antea viventes hanc fælicitatem gustare nequeant; quippè quandocunque evenerit idem erit populus, eadem respublica, & ecclesia; & tunc totus Israël salvabitur: Sicuti totus egressus fuit ex Ægypto, quamvis in ea captivitate, & patres, & aliquæ generationes jam non exstarent, morte præventæ. Totus Israël terram promissam obtinuit, quamvis omnes parentes in deserto mortui fuerunt: Sic totus Israël tunc salvabitur, quamvis plurimi interim moriantur. Ideò diximus talem redemptionem pro singularium salute non esse necessariam; sed propter solam gloriam Dei: & reipublicæ spiritualia, & temporalia bona, ab omnibus piis Judæis desiderantur, & ut Deus concedat ecclesia continuò deprecatur. Nec sunt Judæi adeò stulti ut credant suo hoc tempore Deum eam redemptionem facturum (non quod repugnet) sed quod multa sæcula cum transierint quin Deus fecerit, possunt adhuc plura percurrere quin faciat: ob id sua divina Lege, & æternæ gloriæ spe contenti vivunt, quamtumvis Deus hanc felicitatem per multa sæcula differri velit: Non ergo est exile bonum, quod Israël expectat, sed summum bonum, nempè gloriam Dei, regnum Dei omnibus innotescens, sacrificia, quibus ei uniatur sua ecclesia, ut antiquis temporibus fuisse constat: Prophetiam, ut Deus hominibus ut antea communicetur: & hæc omnia non præcisè in nostram, aut futurorum utilitatem; sed in gloriam, & honorem Dei omnipotentis Israëlis; cujus cum misereatur, cui cum benedixerit, cum illuminaverit vultum suum super eum, cognoscetur via ejus, id est Lex divina, in terra: & scient omnes gentes salutem suam: laudabunt te populi Deus, laudabunt te populi omnes, lætabuntur, & cantabunt nationes, quia judicabis populos cum æquitate. Israëlis terrenam mirabilem redemptionem hæc omnia consequentur: hoc est regnum Dei, quod depinxere omnes Prophetæ: hoc quod nondum vidimus, nec vastissimæ totius orbis regiones viderunt: hoc Judæi expectant, & quousque non viderint constanter expectabunt; quod cum ad Dei gloriam pertineat, quando libuerit operabitur.

Num.

Num. XVIII.

Quod Prophetæ neque locum, neque tempus nativitatis Messiæ, neque parentes prædixerint; sed quod erit ex tribu Iudæ, & domo, vel semine Davidis: Quod neque ejus parentes certò constant ex Euangelistis.

ADdit Doctissimus Vir: Quod si Messias regnum dumtaxat terrenum adducturus est; frustra fuit per Prophetas adeò magnificè, & frequenter de eo sermonem instituere; tempus, & locum suæ nativitatis atque ejus parentes prædicere, ut noscerentur: majora igitur munera, & diviniora officia erat effecturus.

Fatemur multa & magnifica de Messia rege divinitus prædicta; non tamen quæ ejus humanam naturam excesserint, sed quod perfectissimus erit præ cæteris filiis hominum. Talem debebat perfectionem habere, qui tunc temporis, regnum Davidis desolatum restitueret, & omnes gentes terræ ad veri Dei cultum perduceret, ejusque nomini inimicos, potentissimè subjiceret, & de medio tolleret; qui suo exemplo, & sapientia omnes sectas destrueret, & Israëlem, & gentes suavissimo, sed invincibili jugo ad amorem Dei, & ejus puram adorationem cogeret. (Quomodo hæc cum libero arbitrio compatiantur infra discutiemus.)

Aliqui credidere Messiam futurum esse eumdem regem Davidem redivivum (*quem suscitabo eis: Hierem:*) Qui si idem foret immortalis futurus esset, & in regno perpetuus: Sed cum hæc opinio probabilis non sit, sed quod ex semine Davidis Messias erit oriundus, certum est quod primò hac mortali vita privato non minus sancta regum posteritas insequetur, quæ successivè sedeat in trono Davidis, ut fatetur Hieremias; *Quod sicut est impossibile temporum ordinem perverti; ita est impossibile* (loquitur de redemptione) *quod deficiat ex semine Levi, qui sacrificet in templo: & ex semine Davidis qui in ejus trono sedeat:* Cum verò non iidem Levitæ futuri semper sint, sed per suas generationes, ita neque idem rex semper erit, sed continuata seminis Davidis successione. De his cuivis licet ad libitum opinari, cum Prophetæ nil revelaverint, quo dubium dirimatur. Sed Lex divina nullam ad Messiam habet relationem, neque propter eum est, neque ab eo aliquo modo dependet, ideò nulla mentio de Messia facta in Lege: Et Prophetæ non nisi redemptionem Israëlis ex longa captivitate prædicentes, tunc Messiam Regem futuri populi, magnum Sacerdotem, templum, Sanctam civitatem, Sacerdotes, & Sacrificia, Deum concessurum prænunciant.

Tempus Messiæ, sicuti redemptionis, nunquam signatum fuit: Nec locus suæ nativitatis; maximè quod oriundus erit ex Bethlehem Ephrata: ubi non dicitur quod nasciturus; sed egressurus: & omnis æquivocatio ut vitaretur, addit: *& egressiones ejus ab antiquitate:* non egressus, quasi nativitatem significaret. Parentes nullatenus prædicuntur, sed quod erit ex semine Davidis, ut quod ei Deus promiserat adimpleretur: Ultra nulla parentum notitia, quam neque Euangelistæ certam dedere, sed maxima cum differentia; unus per Salomonem, alter per Nathanem filios Davidis, lineam generationis deducens: Quam impossibilitatem ut Doctores componerent, duas lineas naturalem & legalem adinvenere, tot cum difficultatibus, ut vix intellectus humanus capere possit. Sicuti ab Josepho ad Zerubabelem diversos avos, & proavos, diversorum nominum excusatione, vel nescio quibus legalibus matrimoniis excogitatis evadunt. Prætorea parentes Christi Euangelistæ minimè retulere, qui cum ex sola matre carnem assumpserit, cum parentibus Josephi nil

habebat, ab ipso non genitus. Quare frustra videntur nominari patris putativi generationes ad eum haud pertinentes: Nec ignoro quas solutiones commentatores satis ingeniosè fuerunt meditati; ex quibus & magna earum diversitate, colligo, quod non solum in Prophetis, sed neque in Novo Testamento Christi parentes fuerunt ita designati, ut hominibus certè constaret, qui fuerint, & quod ex semine Davidis fuisset oriundus. Quod plurimi Christiani Doctores fatentur, asserentes, quod cum Jesu cognatio fuisset omnibus satis nota Euangelistæ de illius declaratione non multum curarunt: Quod etiam planè concedit Johannes Calvinus, dicens; *quod cum Josephus, & Maria in adeò abjecto statu, paupertate & despectione essent, nihilo regij in ipsis apparenti, scandalum in hac genealogia Euangelistæ vitare conabantur: Siquidem ex ipsa non liquido probari potest ex Davide originem habuisse Mariam.* Et miror quod cum ferè cum omnibus fateatur Calvinus quod Christus non procedit naturaliter ex Salomone, quod paulò post dicat: *Quod si præscindamus Salomonem ex Mariæ genealogia Christus non erit amplius Christus;* Et quid magis præscindere quam ex suo semine non esse progenitum? Huic objectioni alibi respondet, quod *quamvis naturaliter non fuisset ex Salomone natus; hoc non obstanti per ordinem quemdam legalem ejus filius putatur; quia descendit ex regibus Judæ.* Hæc certè non intelligo, cum linea Nathanis ante Christum nunquam regnaverit: neque jus regnandi poterat venire lineæ Nathanis ex Salomoue, sed ex ascendente suo Nathane ut filio Davidis, quem ille posterus repræsentaret, non Salomonem. Hæc prolixe scripsi, ut aliquo modo probarem patris Christi nullatenus in Vetere, neque certò in Novo Testamento fuisse designatos, ut prætendebat Doctissimus Vir; quod si, ut intendit, factum fuisset, nihil utile inferre posset, ut majora quam speramus Messias facturus esset.

Quod addit Doctissimus Vir: Christo jam adveniente Israëlem fuisse satis clarè, & evidenter absque figuris instructum de eo Rege cœlesti, & de eo Regno: ideoque peccat qui suum Regem primo ei nunciatum rejicit, & non cognoscit. Hæc est conclusio Doctissimi Viri ut pii Christiani: Multa supponit, quæ supra non ita esse probavimus, & multa quæ nisi jam credentibus probari nequeunt. In eo majorem vim facere videtur, quod Deus plura, & excellentiora dederat quam promiserat. His supra respondi, quod si dedisset quæ clarè promiserat, sublimiora etiam clare facilè crederentur: Sed fine illis cætera nec probari possunt, nisi ex Veteri Testamento constiterint, sed cum ex eo non clare, sed vix per umbras, vel figuras constare fateatur Clarissimus Vir, non est, unde credat Israel, nisi primò Christianus factus eas umbras, seu figuras admiserit.

Num. XIX.

Quod nil de Messia prædictum adimpletum est. Quod ejus regni cœlestis nullum signum huc usque visum, neque in gentibus, neque in Israële, neque in Ecclesia Christiana.

PErgit Doctissimus Vir: Quod licet aliqua quæ de Messia prædicuntur ad literam adimplenda, nondum adimpleta sint, nil facit contra veritatem: Quippè in posterum suum complementum habebunt, præsertim quando introiverit plenitudo gentium, & Israël suam finiat infidelitatem, neque fidei aditum præcludat.

Respondeo, quod ubi Doctissimus Vir dicit (*aliqua*) Israël intelligit non aliqua sed omnia: Siquidem nil hucusque vidit de eis quæ de Messia fuere prædicta: Neque erga Deum, neque erga Israëlem, neque erga gentes, neque adhuc erga Christianismum. Deus à majoribus mundi partibus ignoratur, gentibus in idololatriæ luto hærentibus: Israël in eadem,

in eadem, & majore dispersione, quam ante ejus adventum per quingentos annos patiebatur: Christianismus totus in varias sectas divisus, & ferè totus à principio idololatricus: Vitia in toto genere humano non minus regnant, quam ante Christi adventum, nisi sit in aliquibus regeneratis, quos nemo novit: Diabolus etiam regnat ut antea, & ferè totum mundum cum Judæis in infernum præcipitat. Quos ergo effectus Israël istius novi regni periclitatur, ut suum Messiam credat jam ex cœlo regnum exercere in terris? Profecto neque in Israële, neque in toto Christianismo aliquam peculiarem providentiam experimur, sive spiritualem, sive corporalem respicias: Si Papistas excipias, qui Christum sæpe Monachos, & Moniales alloqui, ut de fide credere jubent: qui matrem huc & illuc mittunt, ut suis devotis auxilietur, qui prophetiam, & stupenda miracula singulis annis, & mensibus, ab eo ab ea, & ab eorum Divis patrari constantissimè asserunt: quia si hæc non confinxerint, nullatenus Christi regnum se experiri crederent. Sed his facile respondebitur; quod ut Rex Messias regnat in sua ecclesia in qua consistit Regnum Dei. Sed ubi Israël vidit hanc ecclesiam plusquam per mille & trecentos annos, ut ibi cognosceret Regem cœlestem? Nondum venerant Reformatores, & quando venerunt, non meliorem locum obtinuere in Christi ecclesia quam Judæi; qui nec possunt tales Christianismi dissensiones discernere, & securiorem partem eligere: ergo nunquam, clarè, & planè, ut asseritur, viderunt Regem cœlestem. Suum Regem satis clarè viderunt in Sinaï, & postea quod in Israële regnat, speciali quam promiserat providentia clarissimè experiuntur; Et quamvis sit inter inimicos dispersus; *Servabo fœdus, quod pepigi cum patribus, & tecum in egressu ex Ægypto: Omnes gentes disperdam, in quas te relegavi, te autem nunquam disperdam, sed castigabo ad judicium: Eris semper unus populus eorum me.* Quam specialem providentiam Israël per multa sæcula experiebatur cum in temporalibus, tum in spiritualibus, quod nemo credo inficias ibit; hoc est sensibiliter regnare Deum in sua ecclesia, cum, & punitionem, & protectionem (doctissimis ex Christianis mirabilem) ut ad literam promittuntur adimpleri videamus; Regem eum cœlestem clarè, & indubitanter agnoscimus, & quod in nobis, ut prædictum fuit, etiam nunc regnat: Ideoque non peccamus alteri regi non obsequentes, cujus nullibi specialem providentiam usquam viderimus: *Deum tuum amabis, & ei soli adhærebis.*

Hoc bene sciebat Paulus, & quod sine Israëlis sensibili redemptione non locum aliquem habebat Messias: cui objectioni, quam antea fecerant Apostoli, satisfecit: Quod suo tempore redimetur Israël (& quis posset oppositum probare?) quia sine Israële nulla usquam promissa redemptio. Ideo Doctissimus Coccejus ad *Caput* XXXVII. *Ezechielis* fatetur, quod Israël carnalis iterum possidebit terram Chenaan (addito *in Christo*) cum sensus mystici inter Christianos Doctores acerrimus propugnator fuerit: Certe veritas ipsa eum hoc fateri coëgit; ob id Paulus, & Petrus, & alii Apostoli, prædicabant, Christum citò rediturum, suo adhuc tempore: & plurimis ex credentibus jam nimis tardare videbatur, quos Paulus bona spe corroborat, & citò venturum enunciat, & si quis ex fratribus moriebatur, cum cæteri contristarentur quod ille jam non visurus erat Christi adventum, eum resurrecturum docebat, ut obvius esset ei quando venisset; addens, *atque nos qui permanemus ascendemus ad eum in nubibus:* Quale omnes credebant tale Christi regnum citò visuros: fortasse non crederent si aliter proponeretur: quod tempore Tertulliani infallibiliter expectabatur, nec me latent commentarii, quos ut hunc nodum solverent authores cogitarunt.

SECUNDUM QUÆSITUM.

Num. I.

Quod Messias non fuit promissus, ut aliquid Israëli noviter revelaret: neque ut legislator, sed ut Rex. Atque nil novum revelavit, quod Deus antea non dixisset, & Israël optime à principio scivisset.

QUærebatur Secundo, ut assignaretur locus in quo Deus dixerit, quod unicum medium ad salutem Israëlis, & restitutionis in divinam gratiam, sit fides in Messiam quatenus jam venit. Respondit Doctissimus Vir: non esse necessarium, ut Deus olim præsignificaverit; Sufficere postquam Messias in mundum venit, Deum id ipsum per Messiam declarare. At ego urgebam id non sufficere, cum omnia quæ erant Israëli de necessitate salutis Deus clarè, & apertè præscripserit: ne aliquo tempore à divina voluntate recederet, seu proprio errore, seu ab gentibus seductus: Et cum fides in Messiam futurum esset unicum medium ad salutem, oportebat id præmonuisse: ideo neque antiqui, neque hodierni Judæi credunt Messiam quem expectant, futurum esse medium ad salutem; quia Deus nunquam id dixit nec insinuavit: quod si aliquo modo insinuasset, neque hoc sufficeret, quia populus assuetus audire clarè, & apertè, *ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, & cætera de Deo & ejus cultu pariter clara; non debebat per obscuras insinuationes ex uno, vel altero verbo decerptas, antecedentibus, & consequentibus minime pensitatis, nova dogmata credere, quamvis à toto mundo suaderetur. Neque à Messia quando veniret novas jussit Deus revelationes expectare, nec nunc expectat ita ut Regnum Dei noviter Israëli revelatum dicatur, quia per tot ante sæcula Israël constantissimè credebat Deum esse Regem cœli, & terræ, atque speciali providentia in Israële regnare. Noverat quod Deus est finis ultimus hominis, atque ejus summum bonum: Ideo pro ejus gloria sæpè moriebatur, & gentium opprobria patienter tulit: quod animæ salus, atque vita æterna præ omnibus bonis expetenda. An hoc Judæi ex Euangelio didicere, vel ignorabant ante Christi adventum? An Christus hoc quasi novum edocuit, vel ejus Discipuli? Potius ut stabilitam doctrinam supposuit, & ut eam prosequerentur admonuit: quippè præter hæreticos Sadducæos, nemo non credebat animæ immortalitarem, æternam gloriam, pœnamque. Quapropter cum juvenis ille quæreret, quid faciam ut salvus fiam? Respondit: *Serva mandata:* verum addidit, quod si perfectionem, & severiorem vitam volet: *Vende omnia quæ habes*, non ut præceptum, sed ut consilium. Ecce quod unicum medium pro vita æterna consequenda in servandis mandatis dumtaxat consistit: Ergo jam ille juvenis, ut bonus Judæus, quod requiritur ad vitam æternam exactè sciebat: Cognoscebant ergo Judæi clarè, & apertè regnum Dei, & Regem cœlestem, cujus eamdem habebant ideam, ac nunc habemus: Et quem non alio modo possent Judæi ignorare, quam si sub corporis humani involucro eis sese objiceret.

Nunquam Messias promissus fuit ut legislator Israëli, nec ut crederetur ut Deus Israëlis, aut qui Legem perficeret, aut quovis modo mutaret; ideo ei fides talis adhibita non fuit: Sed ut regnaret sic ut David cum veritate, & justitia, improbos coerceret; & divinam Legem servaret, & servare faceret. Regnum tamen cœleste cum speciali providentia in Israële

Israële sibi ipsi Deus reservavit : *Ego ero vobis in Deum : Servus meus David princeps in medio vestri :* non ut nova revelaret, quod nunquam Deus dixit : quod si revelaturus esset ea, quæ ad vitam æternam erant necessaria, quare Deus id non prædixisset, ut suo tempore ei fides præstaretur ? Saltem in specie, quod Messias venturus alia sublimiora cœlestia, ad vitam æternam necessaria, revelaturus erat. Certè tale secretum (Israëli post mortiferum) nescio quare infinita illa bonitas servare voluit, cum ita facilè extremam dilecti populi ruinam præcavere potuisset. An, ne populus animo ante deficeret in suis captivitatibus? Ingeniosa ratio, sed pro tanto negotio debile fundamentum, quod supra (ni fallor) satis impugnavimus.

Num. II.

Quod Israël non debebat divinam Legem cum alia comparare, ut quæ sibi perfectior videretur eligeret. Et quod nulla ita perfecta ut divina esse potest.

ADdit Doctissimus Vir : Dominum non voluisse ante Christi adventum quod Israël sciret, & crederet, quod Lex ritualis erat typus perfectioris doctrinæ : Sed quod postea à Christo edoctus hanc veritatem caperet : collata nova doctrina cum antiqua, quo facilè posset cognoscere illius perfectionem maximè superare.

Si Deus ita dedit Legem, ut Judæi nullatenus intelligerent esse alterius futuræ typum, quousque ab Euangelio docerentur : ergo nunquam potuerunt id scire, aut credere, donec Euangelio fidem non præstiterint : ergo non suppetit efficax medium ex Vetere Testamento, quo id credere possint, & Euangelio fidem adhibere. Quod erat nostrum quæsitum. Neque licet hominibus Legem Dei, atque ejus divinam, quam supponunt esse, doctrinam cum aliis novis, aliquo modo contrariis conferre, quamtumvis divinæ etiam prædicentur; post verò quæ sibi perfectior videtur eligere. Et quid est homo qui posset talem comparationem facere, & perfectionem inter divinos inaccessibiles infinitæ voluntatis actus, major, minorve sit discernere? Sed Israël à multis sæculis divina Lege instructus quando alias considerat, suæ quam à Deo recepit majorem perfectionem evidenter agnoscit. Sive Deitatem ipsam respiciat, puram simplicissimam, in omni linea unam adorandam : cujus oppositum summam imperfectionem, & intellectus imbecillitatem dijudicat. Sive ejus immutabilitatem, ac imparibilitatem aspiciat, in quam antiqui Græci, & Romani aggrediebantur, summa cum imperfectione, quippè nullo prætextu, nulla metaphysica disquisitione, sacrum id dogma patitur everti. Deo nullam figuram concedit, nullam corporeitatem, eique implicare credit : Et doctrina quæ hoc docet est summè perfecta, & à Deo tradita : opposita quomodocumque quis philosophetur prorsus indigna, & imperfecta. Quod ad moralia, perfectissima est, sicuti & Euangelica, imo eadem est doctrina, quæ ex eodem sacro fonte promanavit, aliquibus hyperbolicis ei superadditis. Quo ad judicialia, perfectiora intrinsecè sunt, quæ Deus pro sua republica gubernanda decrevit, quam duodecim tabularum leges, & cætera Juris civilis decreta, quibus totus Christianismus dirigitur. Ritualia, utpotè ab ipso Deo præscripta, & efficacissimè commendata, necesse est hominem perficere, & ad spiritualem perfectionem perducere, si ut Deus vult in eius obedientiam, cultum, & amorem exequantur. Verum in majore parte Christianismi hodie, antea in toto, non nisi ingenrissimas imperfectiones Israël observavit, quæ etiam sub religionis Christianæ perfectione venditæ fuerunt, & adhuc venduntur. Neque hoc de Chri-

 sti, &

sti, & Apostolorum doctrina me dicere Doctissimus Vir intelligat, quia, ut nuper dixi, sanctissimæ sunt admonitiones, Dei præcepta complectentes, quibus cum si homo vitam suam instituere velit, profecto angelicè vivet: Sed has novas esse diffiteor, utpotè jam à Deo in Lege, & Prophetis clarè & abundè præscriptas. Ideo tunc temporis Judæi atque etiam hodierni non ob hanc doctrinam Christum non recepere quam jam à multis sæculis sciverant; sed ob nova dogmata suæ fidei opposita, & ob præcepta legalia, seu ritualia, quorum observantiam à Deo præceptam destruere, vel ut inutilem discernere, horrendum visum fuit, & Israëli abominabile. Sic igitur perfectionem Euangelicæ doctrinæ cum Mosis Legis perfectione contulere Judæi, & nullatenus illam majorem putaverunt.

Num. III.

Quod textus ex XXX. Cap. Deut. *proprie, & absolutè de præsenti captivitate intelligendus est, juxta etiam Christianismi antiquos Doctores.*

UT probarem nullum aliud medium fuisse Israëli ad salutem à Deo concessum, nisi Legis divinæ observantiam, per quam ex hac captivitate in ejus gratiam esset reducendus, adduxi textum ex *Cap.* XXX. *Deuter.* ubi ait Dominus, quod quandò Israël *servaverit Legem, præcepta, judicia, ac ceremonias; quamvis ad cardines cœli fuerit dissipatus, exinde te retrahet Dominus Deus tuus:* &c. Hæc verba in præcedentibus scriptis Babylonicæ captivitati Doctissimus Vir applicuit, quod rectè factum probat ex libro Nehemiæ, in quo eadem verba adduxit pro ea captivitate. Cui respondi, quod satis aptè iste Propheta ei captivitati Deuteron. textum accommodavit; quia propter Legis prævaricationem tunc Israël Dei iram sustinebat, ut antea prædictum: Sed quod non ita propriè sicuti præsenti, in quo omnia concurrunt à Deo prænunciata in prædicto *Deuter. Cap.* Sed hoc non obstat, quo minus omnibus afflictionibus, quæ populo acciderint, ea divina comminatio rectè conveniat, secundum diversos istius populi status, sed præsenti totaliter, & adæquatè, quod ad Israëlis justam punitionem spectat.

Huic meæ resolutioni noviter opponit Doctissimus Vir primò, quod plurimos Christianos Doctores legit, qui hæc verba de Babylonica captivitate intellexere, & Nehemiæ verba in suæ sententiæ confirmationem adducunt. Secundò, quod aliis afflictionibus Judicum tempore, talia Deuteronomii verba non fuerunt applicita.

Antiqui Doctores de captivitate præsente hæc verba intellexere cum Nicolao de Lira, aliisque plurimis, quos non dubito Doctissimum Virum legisse: Sed tot cum difficultatibus inde emergentibus, ut vix ab ipsis se extricare possint; ita ut Lira de quovis singulari Judæo, qui Christo nomen dederit, totam illam populi reductionem, & feminis circumcisionem intelligere velit: Alii, quod totum negotium erat spirituale, & in adventu Christi, & Euangelio plenè completum. Tremellius & Junius in notis marginalibus nil præter promissiones Euangelicas intellexere, quidquid textus litera reclamet: Nehemiam citant, sed de Babylonica captivitate nec verbum ullum. Postea non solum Chiliastæ, sed etiam ex Reformatis, huic captivitati verba ea applicuerunt: Et Pauli Prophetiam insequentes carnalem, quem dicunt, Israëlem, suam corporalem redemptionem experturum, agnoscunt: Sed Christiani cum sint, in Christo futuram esse prædicant; non vero absque illius fide: Sicque, & non alio modo, Apocalypsis prædictiones explicari posse contendunt.

Talis

Talis est veritatis vis, & fortitudo, ut cum nulla via possit convelli, plurimis, quamvis irritis, conatibus invaditur.

Quod autem ab Nehemia pro ea captivitate eadem verba adducta fuerint: sufficienter respondi, quod ei captivitati rectè divinæ comminationes adaptabantur, cum non nisi propter Legis prævaricationem, Israël eam periclitabatur: & si populus tunc vere resipisceret, Deus suum verbum adimplere erat paratus, ut in textu continetur. Quod vero præcedentibus afflictionibus talia verba nunquam fuissent applicata, nil probat; si enim eo corrupto tempore aliquis Propheta captivum populum admonuit, fortasse eadem verba allegaverit, & satis aptè, ut probaret non nisi per pœnitentiam, libertatem obtenturum: sed nunc non memini talem exhortationem legisse. Verum dato quod sic est, ut Doctissimus Vir contendit, nulla, ut ait, est proportio illarum captivitatum, cum Babylonica, ob rationes, quas ibi adducit.

Intentum Nehemiæ erat populum ad exactam pœnitentiam suadere, & Dei comminationes, quarum effectum experiebatur, & absolutam misericordiam, si resipisceret, ob oculos proponebat. An hoc obstabat, quod hæc maiori, & crudeliori captivitati non conveniret? Nec credere posset, ut dixi, Nehemias, in ea captivitate omnia, vel præcipua in legis maledictionibus contenta, fuisse executa: quia populus non adeo relegatus fuit, ut ad extrema terræ diceretur dispersus, sed solum in proximas regiones captivus ductus. Sed hic respondet Doctissimus Vir, quod hæc sunt hyperbolica: Tamen idem dixerat Deus absque hyperbole *Cap. XXIX. vers. 64. Nam disperget te Dominus in omnes populos ab extremitate terræ usque ad* (alteram) *extremitatem ejus:* & cum talem dispersionem in hac captivitate vere realiter, & sine hyperbole periclitemur, quare ea verba hyperbolica censebimus? Non talis fuit dispersio Babylonica, neque ita miserabilis, & populo extremè molesta: quippe quoad religionem libertate gaudebant, neque ad extraneos ritus, nisi rarissime fuere coacti: in suis Synagogis degebant, ut hoc tempore; & in captivitate absoluta, quam Deus nobis comminatur, oppositum prædicitur: *ibi servies Diis alienis, quos non noveras tu, aut majores tui, lignis, & lapidibus.* Nunquam Israël in Babylonica captivitate idololatriæ crimen commisisse legitur; neque de eo ab Esdra, aut Nehemia accusatur; potius ex hoc dumtaxat vitio rediit emendatus: Non ergo ibi Deos ex ligno, & lapide adoravit: Maximè postea plurimi in Christianismum ingressi pristina idololatria infecti fuêre, & adhuc inficiuntur, originis, & patriæ legis penitus obliti: Hi sunt Dii alieni quos majores non cognoverant: quippe Caldæorum, & Persarum Deos Israël, & nostri maiores haudquaquam ignoraverant; maxime novos, recentes, quos Christianismus sibi adinvenit. Neque in aliis, quas inhabitant per totum mundum, regionibus idololatriam invenient, in quam misere impingant, nisi Christianismum amplectantur, in quo Deos ex ligno, ex lapide, ex farina, & vino adorare cogantur. De hac igitur captivitate sacrum Oraculum intelligi oportet, non de illa in qua id Israëli minimè contigit.

In hac civitate fertur, quod in via vitulina prope ecclesiam de sancta Capella, aliqui Judæi hostiam consecratam obtinuere, quam in aquam ferventem indiderunt, & tanta sanguinis copia promanavit, ut per ostium egrediens ad plateam usque effluxerit: Quo viso, hostiam collocarunt & pro miraculo id templum constructum fuit: Judæi capti aliqui fuerunt combusti: Plurimi, ut periculum evaderent, Christianismum amplexi. Hæc historia legitur in breviario Amstelodamensi, ubi hujus miraculi fit commemoratio. Simile etiam in miraculo hostiæ Bracelensis. Similiter Matriti, ubi Judæi accusati quod Christi imaginem verberaverant, eamque ipsos allocutam: Si sum Deus vester quare me verberatis? Quod aliqui in tormentis confessi ad triremes damnati, alii, qui negarunt, vivi concremati, & templum ibi Christi ab injuriis titulo constructum. Huic spectaculo ego fui præsens, nec talia passi fuerant in Babylonia ut adorarent Deos ex lapide.

Præterea extremas afflictiones Deus eo tempore adventuras prædixit, quas referre non opus est, & populus Babylonis nunquam expertus: Sed ibi pacatè vivebat, domus construebat, & vineas plantabat, juxta Hieremiæ vaticinium: Legem servabat: Prophetas habebat; suis bonis fruebatur; & cum tempore Hasueri regis in periculo versarentur

Judæi

Judæi statim miraculosè servati fuere, & totum malum in inimicos detortum, & quod mirabilius, per Judæorum manus executa vindicta. Profecto non adeo extremos labores tunc patiebantur, siquidem obtenta redeundi in patriam permissione, maluerunt in iis provinciis manere, & per alias quamplurimas spargi, quam in terram Kenaham redire: Evidens signum, quod ibi non experiebantur quod Dominus dixerat: *Et in gentibus illis non requiesces, nec erit quies plantæ pedis tui: Sed dabit ibi Dominus tibi cor trepidum, & mærorem animi: Eritque vita tua suspensa tibi è regione, pavebisque die, & nocte: Mane dices, quis dabit noctem: & nocte, quis mihi dabit diem, præ cordis pavore & præ viso oculorum tuorum, quod videbis.* Si hæc periclitarentur, satis liberi, & læti in patriam redirent; sed sciebant omnia, & his deteriora aliquando populo Israëlis eventura: Ideo eam libertatis umbram fere omnes contempsere, & redire noluerunt, præter paucos: Ex quibus quod *in Ægyptum in navibus venditi* rediissent, non novimus, cum aperte futurum prædiceretur in sacro textu: *Et deducet te Dominus in Ægyptum in navibus: Exponemini venales inimicis vestris in servos, & ancillas, & non erit emptor.* Hoc quidem in Babylonica non contigit; sed post reditum tempore regum Græciæ, & Ægypti: tandem in Vespasiani, & Titi captivitate. Si igitur hæc omnia, ut à Deo prædicta, experimur in hac, quare ad aliam præcedentem captivitatem recurremus? Quam longum foret Doctissimo Viro referre, quæ iste populus in diversis regionibus, præcipue Europa, passus fuit? quam juxta divini verbi literam, quin aliquid, neque ad minimum defecerit?

Neque textus verba de captivitate Babylonica intelligi patiuntur: in quibus asserit Dominus quod *cum conversus fueris ad Dominum Deum tuum, auscultabis voci ejus, secundum omnia quæ præcipio tibi hodie, tu, & filii tui, ex toto corde tuo, ex tota anima tua: reducet te Dominus*, &c. Erat ergo conditio necessaria, quam Deus ab Israële exigebat, ut ejus misereretur, & à gentibus redimeret, quod vera pœnitentia resipisceret, & ad eum converteretur. Tunc quæro à Doctissimo Viro, an Israël in captivitate Babylonica tali pœnitentia compunctus fuerit? an omnia quæ Deus præceperat obediens fecerit, an sanctus, & ejus voci toto corde, & anima auscultans, misericordiam, & redemptionem impetraverit? Hoc asserere nequit, cum oppositum ex sacra, & humana historia evidenter probetur. Non legimus, quod in ea captivitate populus ad Deum clamaverit, ut in Ægypto, & aliis afflictionibus tempore Judicum. Verum quidem est, quod ab idololatriæ crimine abstinuit; sed alia plurima contra divinam legem tunc egisse, evidenter constat, ut mox probabimus.

Major pars populi Dei misericordiam contempsit, & inter gentes vivere maluerunt, quam in sancta patria, futuris laboribus perterriti, sacrum templum, & sacrificia minime quærentes. At qui cum Esdra venerant, non magis justi, sed diversis peccatis contaminati, adeo ut sanctus Propheta publice populi peccata lugeret; præsertim de illicitis connubiis cum alienigenis. Postea Nehemias, quamvis populum ad pœnitentiam adduceret, atque de Lege servanda fœdus innovaverit, enormia peccata, quæ tunc committebantur, detestatur, & de Legis prævaricatione populum, & principaliores, redarguit, & criminatur: qui Dei Sabbatha publicè prævaricabantur: torcularia eo die calcabant, & alia servilia opera exercebant. Non ergo sancti, neque pœnitentia digna compuncti redempti fuerunt. Sed quæ facinora contra Deum, & homines fluenti tempore populus ille non perpetravit? homicidia, incestus, latrocinia, tyrannidem, sacrilegia, odia, contentiones: Hæc vulgarissima fuerunt in populo, sacerdotibus, atque principibus: adeo ut tempore Antiochi publica ab eo idololatriæ gymnasia postularent, & plurimi præputium recludere, aut restituere conabantur ut circumcisionem velare possent. Tandem schismatica templa contra Dei præceptum erexere, quorum unum plusquam per trecentos annos duravit. Postea hæreses exortæ, quibus populus à tota Legis observantia tacite dissuadebatur, animæ immortalitate, atque vita æterna penitus negata; &, si vobis crederemus, detestabile Deum humanatum necandi crimen. Auscultaverant ergo voci Dei Babyloniæ, ut Deus suum verbum adimplens eos ex omnibus populis colligeret, & eorum, & seminis corda circumcideret ut viveret? Hoc non fatebitur Doctissimus Vir.

Quod

Quod si hoc non fuit, quia populus noluit resipiscere, ob idque nec Deus quam promiserat absolutam redemptionem effecit, corporalem neque spiritualem: ergo ea magnifica ex *Deuteronomio* promissio de illa captivitate intelligi nequit. Sed quis id cordate crederet, cum Nehemias facta jam ea redemptione misera, & laboriosa, conqueratur Deo quod erant *servi in propria patria*, quod *aquam suam & ligna sua pretio emebant*. Quot labores in civitatis, & templi fabrica, quot postea temporis decursu non sustulere Judæi? Propter peccata, quæ in dies multiplicabantur, diversis principibus semper subjecti, usque ad extremam ruinam per Titum. Quot millia emptitiorum servorum ex Judæis Ptolomeus Philadelphus ex ærario regio libertate donavit? Quomodo hæc cum iis verbis compatiuntur: quod quando Israël voci Dei auscultaverit, & totam legem servaverit, toto corde & anima pœnitens ad Deum revertatur? *Quamvis ad cardines cœli fueris dissipatus exinde te retrahet Dominus Deus tuus, & multiplicabit te plusquam patres tuos in terra quam ipsis dederam, & circumcidam cor tuum, & seminis tui, ut ames me toto corde tuo, & tota anima tua, ut vivas.* Impertinenter textum adeò repetitum integrum huc adducere videbor, sed cum ejus claritatem divinam inspicio, contineri non possum, quin sæpè repetam.

Num. IV.

Quod Israël propter Christi mortem nullis beneficiis privatus est. Quod Israël non potuit nec poterit suum Messiam occidere: aliter verbum Dei omnino frustraretur.

PRosequitur Doctissimus Vir: Quod omnes miseriæ quæ Israëli adveniunt post mortem Christi effectus sunt illius pertinaciæ, quippè suum Messiam non solum non agnovit, sed etiam crucifixit: ob quod detestabile crimen divinis promissionibus utpotè indignus minimè fruitur, potius in hanc extremam captivitatem relegatus, & à Deo abjectus. His ego anteà respondi, sed nunc obiter scire vellem, quibus beneficiis à Messia obtinendis privatur Israël ob sui infidelitatem? Quia carere regno terreno, potentia, divitiis, summaque inter homines libertate, Euangelium nec flocci facit. Omnia hæc potius contemnenda suadet; non ergo fuisset magnum supplicium Israëli, his ob sui infidelitatem privari: præterquam plurima regna, quæ Christo nomen dedere, suam potentiam penitus amisere, & Mahometanis regibus parent, sicuti & Ecclesia Christiana Græca sub Turcæ imperio ab aliquibus annis gemit, & tamen non est Christo infidelis. Quid ergo Israëli præstaret si Euangelium recipiens Palestinæ regnum adhuc obtineret? Profectò secundum Euangelii doctrinam id non foret æstimatione dignum, potius ut terrenum, & caducum maximè contemnendum, sublimioribus dumtaxat, atque cœlestibus intentis. Quod si velit Doctissimus Vir intelligere, quod Israël privatur vita æterna quia Christum non credidit, hoc sic asserere debet ut Christianus; oppositum asserunt Judæi, ut Judæi: quod nisi post hanc mortalem vitam, neutri probare possunt.

Verum tamen quod Israël non posset suum Messiam vel non recipere, vel crucifigere, jam dixi in primis scriptis, quod quidem evidenter constat, cum Dominus semper per Prophetas clarè promiserit, quod in adventu Messiæ, & redemptionis, Israël erit *sanctus*, quod eum *Deus ipse à suis sordibus, & peccatis emundabit*, quod *immittet Spiritum sanctum suum super eum, & omnes à minimo usque ad majorem Deum cognoscent, ut ei inserviant*, & lubentissime obediant: Ideo tale facinus tunc populum committere est impossibile, nisi Dei promissa frustrari posse credamus.

Contra hanc responsionem urget amplius Doctissimus Vir; Quod licet Dominus in sacris

litteris dicat se homines purificaturum, & mundaturum; hoc intelligendum quantum est ex parte Dei, qui medium sufficiens pro tali purificatione gratiosè concedet: huic tamen divinæ gratiæ potest hominis malitia repugnare ita ut effectus minimè sequatur: Siquidem homo liberum habet arbitrium, ut resistere valeat Dei admonitioni, & ut medium pro salute necessarium penitus abjiciat, ac in suo peccato, & immunditia persistat. Pro cujus probatione *Ezechi.* verba adducit, *Cap.* XXIV. *verf.* 13. *Pro immunditia tua scelus, eo quod mundavi te, sed non es mundata ab immunditia tua.* Hunc appellat textum omni exceptione majorem: Sed non video, quod inde aliquid contra meam solutionem possit Doctissimus Vir colligere. Nemo negare quit, quod Deus omnes homines sanctos esse velit, quod præsertim Israëli sanctissima dedit præcepta, ut secundum justitiam vitam suam degeret: quod non solum dedit, sed & in lege, & Prophetis, eorum observantiam commendavit, pœnam, & præmia oculis suis objiciens, quæ sufficiebant, ut si Israël parere vellet, ab omni peccato abstineret, & iniquitatibus non se contaminaret, atque jam ob humanam fragilitatem aliquando in iis immundatus, Prophetarum admonitionibus resipisceret, & ad Deum converteretur. Hoc nullus hominum negare potest, neque theologus aliquis dixit, quod gratiæ sufficienti, seu excitativæ, homo liberè nequeat resistere, & de facto non assentiri. Sic intelligenda verba Prophetæ, præter omnes commentatores Christianos unicè adducam verba ex notis marginalibus Tremellii & Junii ad hunc versum. Sic explicant: *id est, verbo præcepti te mandavi, & toties, ac tamdiu per Prophetas imperavi.* Liceat ergo mihi cum doctissimis istis Christianis Doctoribus verba hæc intelligere, nempe quod ibi Deus solum criminatur Judæos, quod cum salubria præcepta ipsis dederit, atque eorum observantiam per Prophetas inculcaverit, ii tamen eorum vocibus non auscultarunt.

Insuper idem intentum Doctissimus Vir amplius firmare contendens ejusdem Prophetæ verba adducit, quæ præallegata confirmare putat ex *Cap.* XI. *verf.* 21. ubi postquam Dominus populum *in sui gratiam reductarum* promittit, ac *lapideum cor ablaturum, carneumque inditurum, ut in viis suis ambulent, & jura divina obedienter servent, & efficiant, ut sit eis in Deum, ii verò ei in populum*; addit *verf.* 21. sequent: *at illis quorum animus abibit intima detestabilia, & abominationes istorum, viam suam in capite ipsorum reponam.* Sic explicant præfati Doctores: *qui se dabunt in penitissimam idololatriam, & adhærebunt istis*: Optimè quidem, quia in universali redemptione, ut expresse in priori scripto dixi, plurimi non solum ex gentibus, sed etiam ex Judæis, iram Dei sustinebunt, propter crimina, quæ ipsos divina illa gratia efficaci indignos reddidere: sed quid hoc cum tota ecclesia, cum universo populo, cui talis gratia promittitur, ut in viis Dei ambulet, & obedienter divinæ legi pareat, ut non amplius ab eo avertatur: hoc promittit Dominus se facturum: hoc est, *corda circumcidere, lapideum asferre cor, & carneum,* id est molle, obediens, & morigerum, *indere*: hoc est: *faciam ut in viis meis ambuletis, & mandata mea servetis, & nunquam amplius à me recedatis*: atque *legem ponere in cordibus eorum, ne amplius prævaricentur*, ut antea fecerant: & similia, quæ passim in omnibus Prophetis occurrunt; quibus non quomodocumque, sed efficaciter se Deum facturum promittit, hominis malitiam evincens, extinguens, & ad summum bonum movens, ut effectus ab eo prædictus infallibiliter exequatur.

Quod si libertatem respicias, & sic philosophari liceat, sicuti Judæi, ita omnes gentes, utpote liberæ, potuerunt de facto Euangelium non admittere: quod si fuisset, in nullis esset facta Christi redemptio, illeque frustra in mundum venisset. Suppositum est doctrina Doctissimi Viri, consequens est verum, sed impium. Libere quidem assentiebantur gentes; sed de facto non poterant omnes non assentiri, plurimis efficaci gratia concessa.

Sed his addit Doctissimus Vir: me prævenisse solutionem argumenti, quod statim contra hanc doctrinam pullulabat, ideoque subjunxi: *Non quod Deus libero hominis arbitrio vim sit illaturus; sed quod ex affluentia gratiæ homo fere semper inclinabitur in bonum ut sic finis imponatur peccato.* Sed contra hanc meam propositionem acerrimè insurgit Vir Doctissimus, & idem quod fecerat argumentum contra liberi arbitrii læsionem nunc facit contra gratiam, quam dixi nulla vi illata libero arbitrio homines ad bonum infallibiliter perducere:

cere: Sic disputans quia vel hac gratia posita potest homo ei resistens oppositum operari, vel non? Sed necessario acquiescere? Si primum dixero, habet intentum: si secundum, jam amplius liberè operari nequit; sed necessario id ad quod per divinam gratiam cogitur.

Hoc argumento Doctissimus Vir non solum me, sed totum Christianismum oppugnat (ignoscat mihi deprecor, si licentiori hoc loquendi modo utar) gratiam efficacem ad quam infallibiliter sequitur effectus, servato libero arbitrio, nec admittit, sed clarè destruere conatur. Eam Christiani Doctores *pignus, quod suo pretioso sanguine generis humani electis Christus emit*, unanimes appellarunt: Nostri verò, *omnipotentiæ divinæ, atque ejus infinitæ misericordiæ, & amoris præcipuum effectum*: & meritò, quia si, quamvis Deus efficaciter hominem aliquid efficere vellet, hominis voluntas ei resistere de factò posset, utpotè libera; divina frustraretur, & magis dependeret Dei voluntas ab humana, quam hæc à Deo: cum tamen optimè dixerit magnus *Augustinus de correptione & gratia Cap.* XIV. *Magis habet Deus in manu sua voluntates hominum, quam ipsi suas*: & sacra pagina: *Cor regis in manu Dei.* Habet Deus summum imperium in omnes creaturas; quod absolutè verum non foret si hominis voluntas ab hoc imperio substraheretur, quia voluntas Dei efficax, ad hominis libitum frustrari contingeret. Posset quidem Israël, si Doctissimi Viri sententia esset vera; sua libertate utens nolle Ægyptum relinquere, & redemptioni resistere: posset Cyrus populum non dimittere, sua libertate utens contra Isaiæ oraculum: possent Paulus, & Lucas peccare, siquidem erant liberi; & si peccare poterant, etiam possent homines fallere Spiritui sancto liberè resistentes. Profectò omnium horum, & similum eadem est ratio; si supponatur Deum hominis voluntatem ita efficaciter movere non posse, ut effectus infallibilis sit, libero arbitrio omnino indemni. Sed non poterant Apostoli peccare, quia (ut dicunt doctores) erant jam in gratia confirmati, hoc est, efficaci gratia ad perseverandum præventi: quidquid subtiliter latrent Sociniani contra Dei infinitam præscientiam.

Probatur gratia efficax, cum effectus infallibilitate salva voluntatis libertate, ex Christiana & Judaica orthodoxa doctrina.

Quando enim Deus promittit se *purificaturum*, se *peccata omnia mundaturum*, se *circumcisurum cor hominis*, non quamlibet excitativam gratiam promittit, sed efficacem, ad quam sequatur effectus, ut Deus vult: & tunc facit, quod homo velit eo modo, & gratiæ gradu, quo ille scit hominem liberè, sed infallibiliter, volicturum. Sic explicuit Augustinus verba ex XXX. *Deuteronomii* à nobis allegata: *Circumcidet Dominus cor tuum*: dicens: *Hæc autem est evidens pollicitatio gratiæ: promittit enim se esse facturum, quod soles jubere ut fiat.*

Divina certè doctrina: Jubet Deus quod eum diligamus, quod legem ejus servemus: & quando suæ bonitati placet, id ipsum facit in nobis, efficace gratia fortiter suaviter ad se nostrum velle attrahens. Sequebatur Pauli doctrinam, qui expressè ait: *Deus est qui format in nobis, & voluntatem, & actionem*: hinc Augustinus: *actiones sunt nostræ, ob liberum arbitrium quod eas efficit: Sunt etiam à Deo ob gratiam quæ facit, ut liberum nostrum arbitrium eas producat.* & alibi: *à Deo factum est, ut velint, quod nolle potuissent.*

Fatemur quidem quod homo suapte natura potest libere peccare, & efficaciæ gratiæ resistere; sed hoc non obstanti, quando Deus vult per suam misericordiam, facit quod agat homo, id quod ipse vult, eo modo quo vult, quin hæc infallibilitas divinæ operationis aliquomodo naturalem hominis destruat libertatem, per abditos, & inaccessibiles modos, quibus Deus hanc infallibilem sed liberam in homine mutationem operatur. Sic Augustinus, *lib.* I. *ad Simplic. Quæst.* 2. *Non deficiebat Deo modus, quo mentem Esaiæ ad credendum applicaret voluntatemque conjungeret.* Et *de correptione, & gratia*: *Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium.* Sic etiam in *enchiridio cap.* XCVIII. *Potest Deus voluntatem ereatam, quando voluerit, ubi voluerit, & quomodo voluerit, immutare.* Eamdem doctrinam edocuit lib. *de gratia Christi contra Pelagium Cap.* XXIV. dicens: *Non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili, ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* His enim potest liberum arbitrium repugnare, si velit, tamen non volet de factò; sed infallibiliter

biliter assentietur : ideo *Ester.* XIII. dicitur : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati* ; & Paulus *ad Romanos nono* , *Voluntati ejus quis resistet ?* Concludere oportet hoc negotium cum magno eodem Augustino , siquidem nostros Theologos Doctissimus Vir parvi facere tenetur. Ait igitur sapientissimus ille Doctor. *Deus mutat cor hominis dulcedine quadam cælesti , quæ omnem superat carnis delectationem , facitque quod homo ex una parte suam sentiens mortalitatem , suum nihilum ; & ex altera excellentiam , & æternitatem Dei , peccati delicias abominetur , per quas à bono incorruptibili separatur : totam complacentiam in Deo inveniens , ad quem suaviter trahitur , & in quem infallibiliter fertur , se ipso . per motum quemdam omninò liberum , omnino voluntarium , omnino amorosum ; adeò ut nulla major ipsi posset esse pœna, ac supplicium , quam à Deo separari.* Optimè quidem & sanctissimè , quia licet liber sit homo ut separetur à Deo si velit , quomodo volet si (ut addit Augustinus) *quod enim amplius nos delectat , secundum id operemur necesse est.*

Cum hac vera , & orthodoxa doctrina , quæ in sacra pagina quodammodo contrariari videntur , facile intelliguntur : *Convertimini ad me : Dominus converte nos ad te : Abjicite à vobis iniquitates vestras : Deus est qui aufert iniquitates populi sui : Agite opera digna pœnitentia : Domine tu facis in nobis opera nostra : Facite vobis cor novum , & spiritum novum : Ego dabo in vobis spiritum novum , creabo in vobis cor novum. Justificamini : ego justificator vester.* Hæc omnia conciliavit Augustinus , ut supra : actiones sunt nostræ propter liberum arbitrium , quod eas producit : sunt etiam à Deo propter gratiam , quæ facit , quod liberum arbitrium eas producat : ideo dicebat Paulus , quod *merita nostra opera Dei sunt.*

Oppugnat etiam Doctissimus Vir Calvini sententiam , qui gratiæ efficaci adeo absolutam vim in hominis voluntatem concedit , ut jam non amplius resistere , neque libere operari possit : quamobrem omnia merita prorsus negavit. Oppugnat etiam maximè Lutherum, qui eandem vim asserens validè sustinet , quod hominis voluntas nullatenus cooperatur cum gratia , non magis quam si esset res inanimata. Videtur Doctissimus Vir sentire cum Molinistis , qui liberum arbitrium gratiæ efficaci de facto resistere posse cum autore suo Molina defendebant ; sed illo , & illis , à Romana ecclesia jam diu damnatis. Nisi forte Socinianis nomen dederit , qui Deo futurorum contingentium , præsertim actus liberi hominis ; scientiam denegarunt ; ideo cum hæc Deus non præviderit , neque efficaciter, & infallibiliter determinabit : sed non credo piissimum virum huic impietati assentiri velle. Nostram & Christianam pietatem abs dubio admittet : quod salva scilicet hominis libertate ejus voluntatem ita efficaciter Deus moveat , ut effectus , quem Deus vult , infallibiliter sequatur. Et cum efficaciter voluerit populum suum tempore Messiæ redimere , quamvis populus liber esset ad parendum , certò , & infallibiliter redimendus erat ; neque ejus liberum arbitrium de facto voluntati divinæ posset resistere , ut in redemptione ex Ægypto non restitit , quantumvis liber ad resistendum.

Contrariatur etiam Doctissimus Vir , doctrina , & sinceritate venerando Episcopio , qui in suo theologico volumine quæstionem instituit : An Christus peccare posset ? Ibique concludit : Christum cum liberum haberet arbitrium , peccare posse si voluisset ; sed quod de facto nunquam velle poterat divina gratia efficace præventus , & ad bonum libere , sed infallibiliter , determinatus. Est igitur istius gravissimi Doctoris sententia , quod gratia efficax non tollit libertatem ad oppositum , quamvis effectus , ad quem determinat , indefectibilis sit.

Tandem quærit Doctissimus Vir , in quo consistat hæc gratia , quæ voluntatem ita determinat , ut contrarium de facto minimè usquam velle possit ? Respondeo : me ingenuè fateri istius divini secreti invincibilem ignorantiam : fortasse , & quamvis Angelus essem etiam ignorassem : Dicam ergo cum Augustino : quod *interna , atque occulta , mirabili potestate , movet Deus hominis voluntatem :* Sed talis est nostri intellectus natura , ut etiam inaccessibilia , comprehendere affectet. Scholastici Christiani Doctores , quandam spiritualem qualitatem intellectui à Deo inditam , fortiter defendunt : pariter ac de lumine gloriæ , quo intellectus creatus elevatur ad videndum Deum , philosophantur. Sed hæc subtilia sunt , & fere in solis verbis sistere putantur. Vestri Doctores nescio , quam contra

Pont.

Pontificios sententiam tulerint. Nostri vero Theologi majore cum sinceritate hoc negotium tractarunt. Supponunt gratiam in genere esse, id quod Deus homini gratis, ex sola sua bonitate largitur, ad hoc vel illud bene operandum: quod consistere potest, vel in doctrina, vel in externa persuasione, vel interna inspiratione, vel aliis, quæ ad unum vel alterum nostram voluntatem inclinare, atque movere queant. Hæc eadem gratia, quæ excitativa est, sufficienter, non efficaciter determinans, cuique voluntas resistere potest, quando Deo placet, est efficax: cujus efficacia omnino dependet à præscientia Dei, qui certo scit, quibus mediis humana voluntas indefectibiliter movebitur ad volendum. Cum autem Deus hoc præsciverit, ea per suam misericordiam media largitur, quibus liberum arbitrium infallibiliter, ad id quod Deus vult, moveatur: quippe Deus ignorare nequit quibus mediis voluntas indefectibiliter ad id determinabitur. Quod adhuc in hominibus experimur: qui prudentior fuerit media eliget ad alterius voluntatem movendam, quæ pro illo fine fuerint aptiora: minus errabit, quam imprudens; sed potest aliquando falli, quia supra captum hominis est mediorum efficaciam præscire respectu alterius hominis voluntatis: sed cum Deus omniscius sit, quomodò in hac mediorum electione errorem committet? Hæc media in variis rebus consistunt, quorum aliqua à Doctissimo Viro referuntur. Peccavit David, & præscivit Deus, Nathane Propheta, ea proposita parabola, Davidem reprehendente, & de commisso crimine accusante, quod infallibiliter futurum erat, ut David resipisceret, & toto corde diceret: peccavi Domino: illa fuit efficax Dei gratia, mittere Nathanem, ut Davidis peccatum iis verbis criminaretur; præter alia interiora, quæ nos non novimus: Essent abs dubio alia media, quibus Deus sciebat Davidem minimè auscultaturum, quæ nunquam efficacia forent. Peccavit Manasses, & viderat Deus, quod neque doctrina, neque inspirationes, neque Prophetarum admonitiones pro ejus voluntate ad pœnitentiam movenda, suffectura: Sed etiam præsciebat, quod si in captivitatem duceretur, & ferreis compedibus incarceraretur, certo ad Deum pœnitens, reversurus erat: Hæc media per suam misericordiam præstitit, & ille oravit ad Dominum Deum suum, eumque exaudivit, & regno restituit. Aliis in morbis, aliis in restituta sanitate, aliis in paupertate, aliis in divitiis, aliis per internas inspirationes, per miracula, per alicujus exemplum, gratiæ efficacia consistit; singulis, ut Deus prænovit, esse necessarium, ut infallibiliter sequatur effectus, quem intendit: Sed hæc certo cognoscere, supra captum hominis est, atque etiam angelorum.

Prolixe satis huic oppositioni respondi, quippe essentialissimum est nostræ disputationis punctum: & ex dictis liquet, quod si Deus promittit, se sanctificaturum, emundaturum Israëlem, cordis malitiam divina gratia, in bonitatem mutaturum, spiritum sanctum super eum effusurum, ut in viis suis semper ambulet, & vivat; ut non amplius ab eo recedat, & hoc propter gloriam nominis sui: *Non propter te, non propter te, Domus Israëlis; sed propter nomen meum, quod prophanatis inter gentes:* quod hæc omnia erant non obstantibus populi peccatis: quod tunc temporis filius Davidis futurus est Princeps in medio eorum, illeque semper eis in Deum: quod hoc videbunt, & plaudent omnes gentes: idque absque aliqua conditione Dominus prædixit, certò & efficaciter eventurum, oportet vere, & realiter contingere, ne divini verbi efficacia frustretur.

Neque hoc solvitur dicendo: quod quia Christum non receperunt aliter Judæis evenit, ac expectaverant: Hoc enim est quod disputatur: an suum Messiam possit Israël non recipere, potius inhumaniter crucifigere? hoc probavi esse impossibile supposito prævallegato decreto. Recurrit Doctissimus Vir ad liberum arbitrium: Sed ego urgeo quod hoc omnino indemni, & servato, Israël non poterit suum Messiam non admittere, quem libere, sed infallibiliter recipiet: & tunc gratia efficax, præter internas inspirationes, & miracula, præcipue consistet in ipso redemptionis evidenti actu ex omnibus locis, & gentibus, cum Dei nomine in toto genere humano clarè, & magnifice exaltato, cum omnium nationum ad verum divinum cultum, suavissima adductione, cum Hierosolymorum, atque sacratissimi templi erectione: non enim poterunt Judæi negare, quod evidenter videbunt: Sicuti neque patres negare poterant redemptionem ex Ægypto, neque transitum per

 siccum

ficcum mare: pro quo non est ad propositum recipere, vel non recipere Messiam; quem si omnes gentes recepturæ sunt, & eo medio ad veram, & puram Dei cognitionem, perduci, quomodo Israël non credere poterit? Erit enim ita evidens Messiæ regnum Israëli, & cæteris nationibus, ut in dubium vocare non possint, quanquam in principio improbos, & Deo inimicos potentissimè coërceat, & de medio tollat. Neque erit tunc magna virtus Messiam agnoscere, & credere, eique ut regi obedire: quippe, & gratiæ efficacia, & redemptio evidenter effecta, ad contrarium populum, & cæteras nationes, ferri non patientur. Neque Deus aliquando sub dubio posuit, quod Messias esset recipiendus, sicuti neque quod redemptio Israëlis à fide in eum aliquomodo dependeret, aut quod ejus salus à Messia dependeret, aut in eo consisteret. Ideo Israël Euangelio, quod oppositum docet, fidem nunquam præstitit. Et hoc est quod in nostris Quæsitis petebamus: an hoc clare probari posset ex Vetere Testamento ut Christiani nunc credunt?

Num. V.

Quod ritualia non erant præcisè ut Israël ab aliis populis separaretur. Neque Lex neque populus propter Messiam, sed hic propter populum; ut ei inserviret.

Dixeram, quod si Prophetiæ de hac præsenti captivitate nunquam intelligantur, ejus etiam nunquam Deus mentionem fecisset, maxime de Babylonica brevissimo tempore duratura.

Respondet Doctissimus Vir, quod omnia quæ ante Christi adventum prædicta fuere, unice ad Messiam dirigebantur, in quo suum complementum habitura erant: ideo Abrahamo in suo semine omnium gentium benedictionem promisit, per quod Messias mystice intelligitur. Quod circumcisio ideo præscripta, ut ab eo tempore populus ille ab aliis separaretur usque ad Messiam, neque cum aliis commisceretur: in quem eundem finem totam postea per Mosem Legem imperavit; ut semper per circumcisionem promissi illius Messiæ memores essent: sicuti per aliorum ritualium observantiam, aliarum nationum ritibus planè diversam, imo contrariam, & sic populus ille sic separatus consisteret, ut quando Messias nasceretur liquidò constaret, ex eodem populo, cui fuerat promissus, enatum fuisse: itaque & Lex, & populus non nisi propter Messiam, à Deo fuere stabilita, & constituta.

Hæc est Doctissimi Viri responsionis summa, quam quasi præludium ad directam solutionem apposuit, quamque etiam per suas partes, scrutari necesse est: Primo, quod illud: *in tuo semine* &c. intelligatur mystice de Messia, non disputabimus, dummodo, ut facit, nobis concedit, quod ea intelligentia est mystica, id est, Christiana: & quod secundum literam Abrahami carnalis posteritas ibi intelligitur, videlicet Israël. Concedimus etiam quod Deus per circumcisionem, postea per Legem Israëlem à cæteris nationibus separari voluit. Sed pariter negamus, quod circumcisio, & Lex divina, non ob alium finem à Deo fuerint institutæ, nisi ut Israël ab aliis populis separaretur: pro opposito stat tota sacra pagina.

Primò quia circumcisio vel fœdus est, vel signum fœderis, quod Dominus pepigit cum Abrahamo; quod in eo præcise consistebat; perpetuo se futurum esse ei, & seminis ejus in Deum: quod innumerabiliter multiplicandum erat; hoc est, nunquam Deum Abrahami semen deserturum, aut abiecturum; sed speciali paterna providentia id gubernaturum, ut per tot secula fecit, & etiam nunc miraculosè facit. Non ut à gentibus separaretur, sed ut veram, in verum Deum, fidem habere, signo illo ab ipso præscripto, protestaretur: Sicuti

Sicuti Christiani Cœnam Christi celebrant, & vescuntur, non ut ab aliis populis segregentur; sed ut suæ fidei protestationem efficiant. Verum quidem est, quod per hoc signum etiam separabatur Israël à gentibus; sed non erat præcipuus finis ipsa separatio, sed fidei in verum Deum signum ex inito pacto significativum. In quo fœdere de Messia venturo nec verbum reperitur; nisi mystica ibi disquirantur, quæ nisi quis Christianus jam fuerit admittere nequit.

Et quod Doctissimus Vir ait, ut semper in circumcisione promissi Messiæ memores essent; esset quidem probabile si antiqui Judæi, vel præsentes in actu circumcisionis aliquam de Messia mentionem fecissent, cum tamen illis talis mentio, nec in mentem venerit, circumcisionis ratione: Negatur ergo, quousque probetur circumcisionem in ordine ad Messiam fuisse à Deo institutam. Negatur etiam, quod Israëlitæ indelebile id signum gestaverint ut eo ab gentibus separarentur, sed ut fœdus cum Deo initum perpetuo servarent: *Sic erit fœdus meum in carne vestra in fœdus perpetuum:* Nec sufficeret credere in Deum Abrahami, si fœdus id visibile irritum fecissent: *abscindetur anima ejus ex populis suis.* Hoc ita claré, & aperté dicit Deus, ut in alios sensus detorqueri non patiatur. Est etiam verum, quod præter hanc externam circumcisionem, est alia interna, scilicet, cordis, quæ si defecerit, illa minime sufficit ad salutem: pariter neque cordis circumcisio dari potest, absque externa, quæ signum stabilitum fuit à Deo illius internæ circumcisionis fœdere perpetuo. Idem fatebitur Doctissimus Vir in sua religione: an erit fidelis Christianus, qui veram fidem se habere glorietur; tamen externis à Christo præscriptis repugnaverit? Qui baptizari nollet, neque Cœnam assumere? Hæc incompatibilia sunt, in Christum credere, eum amare, & suis præceptis non obedire: eodem prorsus modo de circumcisione liceat discurrere. Insuper neque Christiani Cœnam capiunt, & baptisantur, ut ab aliis separentur; sic neque Judæi per circumcisionem, quamvis utrique per hæc etiam ab aliis populis differant, & segregentur.

Quod addit Doctissimus Vir de Lege Mosis, quæ tota dirigebatur in Messiam, atque populus ea directione conservabatur, quousque ex ipso Messias nasceretur; satis Christianè dicitur, sed id nunquam probari potest ex Vetere Testamento: quia licet sæpè Deus dixerit; *hæc facite, & eritis separati ab omnibus populis*, non significat quod hic erat unicus, vel præcipuus Legis scopus: Verum est quod iis ritibus separabantur Israëlitæ, sed ut quid separabantur ne cum aliis nationibus confunderentur? Non certè propter ipsammet separationem, quæ sublimiorem finem respiciebat, scilicet *ut esset Deo in populum, & Deus ei in Deum; ut sanctus esset Domino Deo suo: Deut. cap.* VIII. *vers.* 18. *cap.* IX. *vers.* 5. *cap* X. *vers.* 15. ut fœdus cum Abrahamo initum perpetuum foret: ut illud exequerentur mandatum, *Sancti estote quia sanctus est Dominus Deus vester:* quia Lex Domini immaculata, convertens animam, illuminans oculos: non igitur dumtaxat ut separarentur à gentibus, sed ut Deum verum crederent, eum colerent, ipsique inservirent, & soli adhærerent; talem quidem ea separatio finem habebat. Profecto quod ille populus separatus viveret ab omnibus aliis frustra Dominus tot præceptis, & ritibus cum-oneraverit, pauca sufficerent, sicuti à tempore Abrahami, usque ad exitum ex Ægypto sola circumcisione separabatur. Sicuti etiam Mahometani, qui per undecim sæcula, duobus, vel tribus præceptis ab omnibus aliis nationibus segregantur, neque eis aliquando commiscentur: Sic posset Israël paucis, ab aliis populis differre, & separatus servari. Non igitur ea omnia pro tali fine necessaria putantur: & si tot non necessaria; ergo frustra adhibita, nisi sublimiorem finem habuissent, qui in Lege frequentissime repetitur absque aliqua Messiæ facta mentione.

Addit Doctissimus Vir, quod ideo populus à Deo servabatur, ut postea ex eodem Messiam enatum homines scirent. Sed ego crederem, quod Rex est propter populum, non tamen populus propter Regem; ita neque Israël fuit à Deo separatus propter futurum Messiam, sed Messias fuit promissus propter populum; nunquam de eo fuit mentio facta in tota Lege, quia Lex non erat in ordine ad Messiam: de eo postea loquuti Prophetæ, non ut de fine legis, seu populi, sed ut de circumstantia redemptionis ex captivitate quam passurus erat, propter iniquitates suas, & nunquam alibi facta ejus mentione; quia si populus Legem Dei serva-

servavisset, ut à Domino fuerat admonitus, neque captivitatem, neque ruinam pateretur, & summa cum fœlicitate in patria viveret; Quare neque Messias promitteretur, neque esset necessarius, ideo tunc dumtaxat promissus cum supposita captivitate redemptio ex ea prædicebatur, omninò contraria iis, quæ Judæis in hoc statu patiuntur. Sunt extorres ex patria, promittit Deus quod revertentur; sunt sparsi, promittit quod congregabuntur ex omnibus locis: carent sancta civitate, templo, & sacrificiis; promittit quod hæc restituentur; sunt sub extraneis dominis, & regibus: promittit quod habebunt regem proprium, eumque filium Davidis, non quidem perversum, ut fere omnes Israëlis reges fuere, sed sanctissimum, justissimum, ut fuit David. Ecce nulla alia mentio facta de Rege Messia, nisi ut circumstantia quadam, fortasse præcipua, redemptionis Israëliticæ, ideoque ut Deo, & populo in suo ministerio inserviat, non ut finis legis, vel populi, ut Doctissimus Vir juxta Christianum dogma prætendit.

His positis directè respondet Doctissimus Vir meæ propositioni, dicens, quod omnes Prophetiæ fuerunt usque ad Messiam, non ultra, quod eo advento jam Israël non erat populus Deo separatus, potius cum aliis gentibus in Christo commisceri erat divina voluntas, disrupto pariete legalium, quibus ab ipsis diu fuerat separatus: ideo de Israële post adventum Messiam, non amplius Prophetæ locuti fuerant; Israëlis, & totius humani generis regimine, Christo concredito, qui in omnibus æque regnaturus erat, ut unico populo, & si quid prædicendum erat, Novi Testamenti Prophetis à Deo commissum fuit.

Quod Prophetæ locuti fuerant de Israële etiam post redemptionem: quod in hac captivitate hæc natio est etiam Deo chara omnes Doctores Christiani fatentur, in conductis scripsit.

Hæc omnia satis Christianè dicta sunt, sed probatu impossibilia. Quod Prophetæ non ea quæ post adventum Messiam, eventura prædixerint, non admittimus: quia omnes temporales, & spirituales fœlicitates, quibus Israël perpetuo fruiturus post actam redemptionem, clare, & dilucide, omnes Prophetæ prænuntiarunt. Quod omnes populi Israël aggregabuntur, & venient de mense in mensem, de anno, in annum adoratum Deum Jacob Hierosolymam, aperte prædixere. De glorioso, & sancto Israëlis tunc temporis statu quanta legimus in omnibus Prophetis? Et quomodo credi potest, quod illud perpetuum fœdus cum Patribus initum; quod semper futurus erat suo semini in Deum, & illud Deo in populum, circumcisionis sanguine hucusque confirmatum, Dominus irritum fecerit, ut jam non amplius sit Israël populus dilectus, sed gentium fortunam sequatur; nulla pro sui conservatione, & salute speciali habita providentia, quam perpetuam tot encomiis, & toties promiserat, suis peccatis minime huic promissioni obstantibus. Sententia Doctissimi Viri in verbis implicari videtur: quia cum toto Christianismo sustinet, quod Israël dispersus subsistit per totam terram, inter omnes populos iram Dei sustinens, propter Messiæ necem, & propriam in eum infidelitatem: quod si verum supponatur, ut asseritur: inde evidenter sequitur, quod adhuc est peculiaris Dei populus, & à cæteris per Legem separatus, ut antea fuerat: Siquidem adhuc specialiter à Deo punitur, & miraculosè conservatur inter gentes, ut tandem divinæ gratiæ restituatur: quod utrumque omnes Christiani fatentur: quare igitur de hac futura punitione non loquerentur, cum tam diuturna esset, & per tot sæcula duratura?

Quod non propter infidelitatem in Christum nunc puniuntur Judæi.

Respondebitur forsan, quod propter infidelitatem in Christum, non est amplius populus Dei, & tamen propter hoc crimen hac dira captivitate punitur. Sed ego quærerem, quare cæteræ omnes nationes, quæ nunquam Christo nomen dedere; & quæ dederant, & postea ab eius fide recesserunt, Mahometismum amplectentes, ut magna pars Africæ, Asiæ, & Europæ, quæ Christianissimæ fuerunt, & ab ea fide penitus defecerunt, à Deo non captivantur, non disperguntur, non in abominationem habentur, ut populus Israëliticus? Potius sua servant imperia, suam celsitudinem, & potentiam, Christianorum provintias, integraque regna subjicientes, atque innumeros Christianos durissimo captivitatis jugo affligentes: in quibus regionibus Judæi parum minus, quam omnimoda libertate gaudent. Omnes istæ gentes in eadem perseverant infidelitate, Christiano nomini maximè infensæ, plusquam Judæi: quare isti propter id crimen perpetuò puniuntur, sunt in opprobrium, in abominationem omnibus gentibus: illis nullam, nec minimam punitionem sustinentibus? An quia omnes isti populi saniorem, & Deo magis gratiam doctrinam obser-

observant quam Judæi? Non credo Doctissimum Virum hoc responsurum; cum aliæ gentes vel in Paganismo idololatrico hæreant, vel Mahometismum fuerint amplexæ, quæ cum divina Lege comparari nec debent, nec possunt. Fortasse quia Judæi Messiam occiderunt? Hoc vulgo, sed frustra asseritur, quia nec totus Israël qui tunc vivebat, Christum crucifigendum tradidit; sed illius temporis Judices, & aliqui ex iis qui Hierosolymæ habitabant: neque idem est in eum non credere, ac ipsum crucifigere: non crediderunt, qui per diversas regiones dispersi distabant, quia quam putabant falsam doctrinam, divinæ Legi præponere non æquum existimarunt. Posteri vero usque in præsens, adeo abest, ut tali crucifixioni assentiantur, ut neque eam certo crediderint, cum nullam ejus eventus authenticam notitiam habuerint: sciunt tamen ex Josepho, & nostris Antiquis, quod eo corrupto tempore, labente jam Republica, aliqui seductores, & falsi Prophetæ qui populum commovebant, fuerunt à Romanis variis suppliciis interfecti, quorum sequaces profugi per Samariam, Idumeam & alias regiones, vagabantur: Sed nominatim de Christi morte, certam huc usque notitiam non habuere; quare justa fuerit, vel injusta illius mors penitus ignorant; ideoque in eam nec consentire possunt, nec dissentire: Atque hoc judicium ad Israëliticum populum, ut jacet, pertinere, nemo crederet.

Et ut evidenter pateat Doctissimo Viro quod non ob hoc peccatum Israël non est amplius populus Dei, nec plusquam alii infideles punitus, aliqua adducam, de quibus (ut credo) dubitare non poterit. Omnes Israëlitæ donec divinam Legem observant, & ejusdem populi partem constituunt, captivitati, & ad eam secutis ærumnis, sunt semper obnoxii: hoc per se notum est: Sed omnes Israëlitæ, qui divinam Mosis Legem deserunt, eamque ut apostatæ abjurant, quamcumque, quamvis falsam sectam amplectantur, liberi à captivitate Israëlitica evadunt, nullis postea Judæorum calamitatibus obnoxii: secundum suam fortunam divitias, authoritatem, & dignitates assequuntur: quorum posteri Judaicæ infælicitatis, & laborum non sunt amplius participes; sed ut sors dederit, sicuti cæteræ gentes, libere vitam degunt: Hoc adeo certum est, ut nulla egeat probatione. In Turcarum ditione, qui Judæi patriam religionem, pro Mahometica secta, abnegarunt eadem libertate ipsi, & posteri, ac Turcæ, fruuntur, & sui stirpis memoria adeo delitescit, ut inimici jurati Judæis sint. Idem in tota Africa, præsertim in regno Fecensi, tota Synagoga præter eos qui martyrium perferre maluerunt, Mahometismum amplexa fuit; quorum Judæorum posteritas, satis numerosa, populo non modo inimici, sed crudelissimi carnifices sunt, Levitarum, & Coanim cognomina adhuc ferentes. In Hispania qui Judaismum abnegarunt, & eorum posteritas, securissimam, non laboriosam, ut Israël, vitam degunt: Sunt quidem Principes, Duces, Comites, Marchiones, Inquisitores, Clerici, Canonici, Monachi, & Moniales, & omnes diri Judæorum persecutores. Hoc Clarissimus Dominus satis novit de Paulo Burgensi: Primo in civitate Burgi insigni Rabbino: postea clerico Episcopo Carthaginensi: post ejusdem Burgi Archiepiscopo; tandem Patriarcha de Aquileya: Rege Hispaniæ mortuo, totius regni unico Gubernatore. Ex ejus prole unus filius Episcopus Segoviensis, alter Archiepiscopus Compostellanus, alter qui patrem in Archiepiscopatu successit: major natu Princeps, qui Marchio de Sancta Maria cognominatur. Quid de Nicolao de Lyra, de Senensi, & aliis qui à religione passim deficiunt? & quamvis plurimi neque Christiani sint, sed vere Athei, ad summas dignitates evehuntur, captivitate Judaica non amplius in suam, aut posterorum mentem, revocata. Ex quibus hæc conclusio evidenter deducitur, quod Judæi nullam captivitatem patiuntur, nisi in quantum Populum Israëliticum per divinæ Legis observantiam constituunt, à qua si defecerint, nec velint inter Israëlitas amplius numerari, nullam captivitatem, nullos ejusdem Populi labores, periclitantur: sive Mahometani fiant, sive Pagani, sive idololatræ Papistæ, sive omnino fuerint Athei: Ergo ut peculiaris populus à Deo adhuc habetur, & speciali providentia ab eo affligitur, & ut affligat, & postea redimat, divinitus conservat, & separatum ab omnibus subsistere vult: quia si commisceretur, non esset amplius Israël, quem post captivitatem ad se reduceret. Neque credibile est aut Christiana pietate dignum, asserere: quod Israëlitæ, dummodo divinam Legem relinquentes, quasvis falsas sectas admittant, non erunt ita Deo exosi, ut captivitatis ærumnas pati debeant, sed quod saltem in hac

Ratio evidens qua convincitur, quod non propter infidelitatem Judæi capti vitatis ærumnas patiuntur.

vita fœliciter degent, pro alia futura tota punitione servata, ut Mahometanis, & cæteris: Sed si divinam Legem observaverint, sicque sint adhuc Israëlitæ, utpote deterioris conditionis, in hac, & in altera vita pænas luent. Quod si hoc affirmari non potest, sequitur, quod propter rationem, quam nos credimus, Israël ut peculiaris Dei populus hanc captivitatem patitur, & à Deo conservatur, ut patiatur, & secundum vestram sententiam, ut resipiscat, Christo fidem præstando: & secundum nostram, ut per rectam Legis observantiam, & condignam pœnitentiam ad Dominum Deum suum convertatur, ut & ejus misereatur, & in pristinam, & majorem perfectionem suam ecclesiam perducat, toto genere humano à falsis sectis, & cultibus, omnino averso; & ad veri unius Dei puram cognitionem, & adorationem fœliciter converso.

Hæc omnia prolixe scripsi, contra Doctissimi Viri propositionem; quod Deus Dominus noster ita nos abjecit ab adventu Messiæ, ut non amplius simus ejus populus, bonus, vel improbus, & quod tota illa specialis providentia Patribus promissa, & per tot secula executa, sicuti & Prophetarum prædictiones, non ultra Christi adventum respiciebant, præsentis & infidelitatis (ut creditis) & captivitatis (ut patimur) nulla adhibita præmonitione, neque postea saltem pro punitione erga Israëlem, ut suum peculiarem populum, particulari adhibita providentia; quam nullum ex Doctoribus Christianis negasse, legi: neque Paulus negavit, potius aperte concedit: Et Doctissimus Vir infra clare fatetur. Unde non rectè dici videtur, quod post Christi adventum, jam Israël non est populus Dei: Est quidem, licet propter commissa peccata criminalis; aut ut creditis, per infidelitatem punitus, & à Deo specialiter flagellatus: quæ punitionis providentia circa alias nationes Christo infideles à Deo non exercetur; Sed in solo Israële, ut populo præ omnibus sibi dilecto, & pro sublimiore fœlicitate miraculosè servato: Sic dixit Deus quando filios Aaronis in Sanctuario occidit: *Et in mihi proximioribus sanctificabor.*

Coelli Doctores Christiani textu Deuteron. de præsenti Captivitate non intelligendum recentissime opinantur, non alia restabat, pro fugiendo via.

Sed cum verba ea Deuteronomii, & omnium Prophetarum prædictiones, de causa istius Captivitatis, & futuræ redemptionis clare loquantur, de Babylonica aliqui, præsertim ex recentioribus, intelligenda contendunt: hac præsenti nunquam in Veteri Testamento prædicta: quod inconveniens, ut vitaretur, Israëlem non esse amplius populum Dei, asserere coguntur, neque de eo post Messiam aliqua prædicta fuisse, omnino derelicto. Sed dictu mirabile est: quod omnia, quæ Deus de futura captivitate populi prænuntiavit, cum omnibus circumstantiis, absque figuris, sine hyperbole, in præsenti per tot sæcula experiamur: quod ante Christum per totum id tempus fuerit Israël per divinam Legem ab omnibus populis separatus: quia eo medio, (ut ait Doctissimus Vir) Deo placuit uti, ut separatus consisteret usque ad Messiæ adventum; & quod post Christum per idem prorsus medium, nempe divinam Legem, Israël inter omnes gentes dispersus separatus existat: adeo ut Lege derelicta statim Judæi gentibus commisceantur: quod Deus tali medio pro ea separatione usus fuerit usque ad Messiam, quo eodem populus maneret post etiam separatus; credibile non est de infinita præscientia: cum non nisi ratione Legis, qua Deus eum separavit, Israël vestrum Messiam non receperit, & propter eandem, nec nunc eum recipiat, aut cum aliis populis commisceri audeat. Et cum Deus dixerit se Israëlem perpetuo servaturum, & hoc fieri non posset, nisi Legem observando, & cum nunc per eandem in esse populi separati conservetur: Signum evidens est, quod Deus per eam adhuc separari vult, quousque resipiscat, ut sæpe prædixit. De quo statu nunquam fuisset admonitus, si Prophetiæ ad eum nunquam pervenerunt.

Quod neque Israël, nec gentes coaluerunt in unum populum quamvis aliqua ex gentibus Christianam doctrinam amplectantur.

Addit, quod voluit Deus, ut Israël, & omnes populi in unum sub Christo coalescerent, tempore Redemptionis. Et nos idem expectamus, & futurum credimus, quod tempore Messiæ omnes populi cum Israële coalescent, Deum purè agnoscentes, & ei libere inservientes. Sed quod hoc jam vestro Messia advento contigerit, nequaquam videmus, neque videtis. Cum major pars hominum nec vobiscum, neque cum Israële, in unum populum coalescat: potius tota Africa, tota Asia, magna Europæ pars, tota America, vestram nec nostram fidem admiserint, & Christianismo sint prorsus infensæ: quare nec solus Israël cum gentibus per Euangelium, in unum populum non coaluit; sed neque cæteræ gentes, cum Christianismo præter paucas, easque in mille sectas divisas, quæ eidem fidei, in plurimis, maximè

maximè contrariantur : & à multis seculis parum ultra religionis initium, quæ sit vera Christi ecclesia penitus ignoretur.

Sed hæc adhuc suo tempore complenda, expedit expectare, communiter respondetur, siquidem non omnia statim fieri debebant; sed suis temporibus singula; quamtumvis nimis tardare videantur : Mille anni ante oculos Dei, sicuti dies hesterna, quæ præteriit, ut de Christi reditu citabant Apostoli; sic nos etiam dicimus de nostra futura redemptione, quando adversarii valide urgent, & nobis illudunt, quod diu, & per tot secula frustra Messiam expectamus. Verum majori cum fundamento Prophetiarum complementi spem habemus : quippe nos credimus, quod quando Deus, quod promisit efficax remedium Israëli, & toti generi humano, largiri dignetur, statim, ut ab omniscio, & potentissimo medico, & Israël, & totum genus humanum, perfectissimam sanitatem consequentur, ut non amplius curari desiderent : hoc quidem satis rationale est, donec remedium non fuerit applicitum : Sed jam ab omnipotente, & summe sapiente medico, efficacissimo circiter à duobus mille annis remedio adhibito; in Israële, & fere omnibus hominibus, eundem morbum perseverare, & promissa nullatenus adimpleri, mundo eisdem tenebris obvoluto, integram salutem, à plurimis, & per plurima secula expectari, non ita rationi congruum apparet.

Quod adimplendorum spes, majori cum fundamento est in Israële quam in ecclesia Christiana.

Prosequitur Doctissimus Vir: Et hunc suum populum Messiæ regendum tradidit. Prædicunt ergo Prophetæ quanta populo fælicitas sit eventura per Messiam : quia omnibus facultas largitur eam consequendi : hoc sub ea conditione, quod populus velit Messiæ monitis auscultare.

Hæc est doctrina Christiana, quæ omnino dependet à fide in Euangelium; sed ex Vetere Testamento nunquam probabilis, cum ex eo contrarium evidenter constet, si absque præjudicio universim legatur, & sensus literæ ad alios, qui ibi non sunt sensus, non extorqueatur. Quale futurum esset regnum Messiæ in Israële, clarè prædictum, non semel, sed quoties de Messia oratio fuit instituta : & quod tale terrenum ab Israële debebat expectari, ut nos hodie expectamus, Doctissimus Vir fatetur : ideo quando venit quibuscumque muneribus, ut creditis, instructum, eum esse suum regem non crediderunt, cum eum aliquo modo regnare, non vidissent : & postea nullum sui regni modum adhuc videant : cum omnes Prophetæ dixerint, quod erit Princeps in medio nostri : & quod ex omnibus nostri exilii partibus, quæremus Adonai, & Regem nostrum Messiam. Sed neque Deum, neque Messiam quæsivimus, quando venit (ut semper asseritis) sed Messiam rejecimus, & simul Deum, ne amplius foret nobis in Deum, ut promiserat pacto sempiterno; non ergo illi Messiæ suum populum regendum tradidit.

Quod id nobis evenerit per nostram malitiam, & abominabilem repugnantiam, jam supra late probavi, id esse impossibile supposita Dei efficace voluntate populum post captivitatem salvandi, & ad veram resipiscentiam efficaciter movendi : quod se facturum ita frequenter promisit, ut superfluum sit sapienti Viro, & in Sacra Scriptura exercitato, varia loca referre : totam quidem Sacram paginam describere oporteret. *Id Dominus se facturum promisit, quod jubet ut faciamus*; dicebat Augustinus ad textum *Deuteronom. circumcidam cor tuum, & seminis tui & spiritum meum ponam in medio vestri : & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & habitabitis in terra, quam dedi Patribus vestris, & eritis mihi in Populum, & ego ero vobis in Deum in æternum.* Promittit ergo Deus tempore redemptionis, peccatis prolixa captivitate jam expurgatis, populum, in sua fide per tot secula contra omnium gentium impetum constantem, divino suo spiritu mundaturum, ejus peccata penitus oblitum : & hoc propter suam gloriam : *Non propter vos, non propter vos, Domus Israëlis; sed propter nomen meum, quod profanastis inter gentes.* Et non dicit, quod *Populus in præceptis suis ambulabit*; sed, *quod ipse faciet, quod ambulet*. hoc est, gratia efficace eum movere, ut judicia sua sanctissimè custodiat : ad quam sanctitatem sequetur terræ, quam dederat Patribus, perpetua possessio, quod erit infallibile signum consequutæ gratiæ : ideo *erit ei in Deum, ii vero Deo in populum*, quod perpetuum fœdus cum Patribus pepigerat. Sociniani doctores eandem Doctissimi Viri explicationem amplectuntur, auxilio efficace prorsus negato, cum Deus contingentia non [illegible] noverit. Audite interitum Israëlis

in ecclesiam, quem Paulus vaticinatur, sub conditione admittunt, quod populus velit, sed quod poterit de facto non velle utpote liber. In quorum sententia Prophetia nil est præter prudentem Dei conjecturam. Quæ doctrina impia censeri debet. In his labyrinthis implicantur, ut verbi Dei vim possint effugere.

Ex his clare liquet, quod illa conditionalis, (*si populus voluerit*) est frivola quamtumvis diuturna evasio, quippe toti Sacræ Scripturæ seriëi evidenter contrariatur. Et Doctissimus Vir nullum aliud inconveniens contra hanc doctrinam concepisse videtur, ut hoc infallibiliter fieri non debeat, aut possit, quam quod Deus libero hominis arbitrio vim esset illaturus, si talem gratiam largiretur, cui Israël non posset de facto resistere, sed infallibiliter juxta voluntatem Dei operari. Sed cum huic inconvenienti jam supra ex omnium Theologorum consensu prolixe satisfecerim; nil insuper obstat quin, quod omnia à Prophetis pro Israële salvando, tempore Messiæ, prædicta fuere, literaliter adimplenda intelligantur: ex quibus certò infertur, quod Israël non poterat suæ redemptioni resistere ab ipso Deo jam sanctificatus, & ab omnibus peccati sordibus emundatus. Et Doctissimus Vir tenetur ad communem Doctorum sententiam recurrere; quod omnia spiritualiter in spirituali Israële fuere completa: cui non minus reclamat tota Sacra litera, quæ de Israële vera & carnali Patriarcharum progenie, quæ à Deo fuerat inter gentes abjecta, adeo expresse loquitur, ut nunquam Judæi aliter intelligere possint, nec antea deberent, ut ait Doctissimus Vir. Ergo hucusque suum populum Messiæ regendum non tradidit.

Num. VI.

Quod nil intererat Euangelium primo Israëli annuntiari, sed pro eo credendo gratiam conferre.

QUod attinet ad id quod dixit: quod dedit Deus Israëli facultatem eam fælicitatem consequendi per Messiam; certe hic non fuisset charissimo populo peculiaris favor, aut gratia præ cæteris nationibus, quibus etiam largitus fuit facultatem eam fælicitatem consequendi si velint, absque tot promissionibus, & admirabilibus encomiis in Lege, & Prophetis præscriptis. Quod vero sæpe repetitur, Euangelium fuisse primo enuntiatum Judæis, non privilegium aliquod fuit, parum quidem intererat prius, vel posterius enuntiari; totum negotium consistebat in gratia ad credendum, quam efficacissimam Deus Israëli promiserat; sed non dedit, potius, ut creditis, gentibus Græcis, & Romanis, quæ, ut frequenter ait Paulus, hanc gratiam copiosissimè recepere, non autem Judæi. Deus dixerat quod tempore redemptionis facturus erat prodigia, & miracula*, quibus in Ægypto, & deserto, patrata, oblivioni traderentur; & hoc, in omnibus locis tuæ captivitatis, ut sis in ipsis pro fama, & honore. Si hæc aut similia fecissent Apostoli in omnibus regionibus, quibus Judæis Euangelium enuntiabant, fortasse suaderentur ad credendum: tamen verisimile est talia non egisse, siquidem pugnis, & verberibus eos frequenter ex Synagogis abjiciebant. Profecto Rex ille Pharao Mosem ita rigorosè tractare non ausus fuit, quamvis ab eo totum regnum desolatum atque eversum, periclitatus erat. Sed abs dubio Judæi nil viderant divinitus effectum quo ad Legem diversam accipiendam dimoverentur.

Explicantur aliqui textus, in quibus videtur Messia mors prænunciari.

Iterum Doctissimus Vir ex aliquibus Sacræ Scripturæ textibus suadere conatur, quod Judæi poterant cognoscere Messiam esse violenter moriturum. Sed cum sæpe sustineat, quod Deus ante Messiam nonnisi terrenum regnum, atque redemptionem revelaverat, & quod sic oportebat, ut populus intelligeret, & crederet; Sequitur quod etiam hos quos adducit

textus

textus, Israël aliter tunc intelligebat, ac nunc à nobis exigitur: quippe si Judæi sic intelligerent, ut nunc prætendit Doctissimus Vir, Messiæ terrenum regnum minimè expectarent, vel utrumque compatibile crederent, & magnificum Messiæ terrenum regnum, & summam à Populo despectionem, atque infandam ejusdem regis necem: quod Doctissimus Vir putat non possibile. Adducit, (ut antea) textum ex LIII. *Cap. Isaiæ*: in quo de Messiæ rejectione nec verbum ullum: quod si de eo loquatur: significabitur abjectus ejus status, quando primo apparuerit: & quando intraverit Hierosolyma pauper, humilis, asina incedens: tunc enim hominibus in despectum veniet: deinde per summam patientiam, de Israële, à quo non statim cognoscebatur, & de gentibus, à quibus magnis persecutionibus afflictus fuerat, obtenta victoria, non armis, non ob propriam virtutem, sed ob brachium Adonai ei revelatum: antea plura diximus, hæc nunc sufficiant.

Adducitur textus Danielis de LXX. *hebdomadis*, in quo Doctores Christiani victoriam de Judæis semper cantarunt. Verum caput hoc ita difficile intellectu est, ut Hieronymus id explicare non ausit, aliorum sententias recenset, sed suum sensum omnino declinat expromere, suamque etiam de aliorum sententiis censutam. Augustinus *Epistol.* LXXX. *ad Hesychium*, nullatenus sibi persuaderi ab aliquibus, passus est, ut hoc Danielis caput explicaret, rei difficultate deterritus: quod si ut vulgo intelligendum esset, satis clare ibi, & mors, & passionis Christi tempus, depicta jacent. Reinoldus, Scaliger, Junius, & plurimi non credunt has hebdomadas in Christi morte finiri, sed in destructione templi per Titum. Eusebius, de Christo in his hebdomadis tractari haudquaquam concedit, oppositum mordicus sustinet, & in ultimo ex Machabeis Pontifice penultimam hebdomadam claudi constanter asseverat, ultimam ad captam Hierosolymam per Pompeium extendit: annis centum ante Christi adventum. Videat ergo Doctissimus Vir, quomodo Judæi possent ex hoc capite Messiæ mortem prænoscere, cum à Christianis Doctoribus plurimis, nec nunc ibi contineri credatur.

Daniel non ibi agit de Messia filio Davidis, sed clare, & aperte de primo summo sacerdote, qui cum, & post Nehemiam regnavit, utrumque jus, & ecclesiasticum, & quasi regium, in populum exercens: Ideo *Dux* seu Princeps, & *unctus*. appellatur: hoc fuit in fine septem hebdomadarum, quo Sacerdotum mixto regimine Populus per LXII. septimanas, variis cum fortunis, perseveravit: tandem in medio septuagesimæ ultimo Sacerdote occiso Ananeo: *& non ei*: id est, & non amplius successor aliquis fuit: *Josephus.* qui jam ab Angelo non appellatur Princeps unctus: sed simpliciter *unctus*: quippe regiam potestatem ab aliquibus annis Herodiana domus usurpaverat. Hæc quidem explicatio est omnino literalis, & juxta divinam historiam, atque etiam humanam: quia eo prorsus modo res contigere Populo, ut retulimus, & nil aliud ab Angelo prædicitur, nisi quod totum id tempus Israëli concedebatur, ut resipisceret, ut peccato finem imponeret, ut prævaricatio finiretur, & sic scriptura Prophetica de universali populi redemptione adimpleretur: prædixit etiam quod cum Populus aliter facturus esset, ac Deus exigebat, aliter etiam ei debebat contingere: quod per capitis seriem, usque ad extremam ruinam depinxit.

Num. VII.

Quod Israëli præfixa à Deo pœnitentia ut ad Deum resipisceret, non eam habuit conditionem, ut Messiam crederet, sed quod Legem Mosis integre servaret.

Subjungit Doctissimus Vir: Quod si quis prætenderet verba ex *Cap.* xxx. *Deuteronom.* ad hanc captivitatem extendere; nil posset inferre contra debitam fidem in Messiam: siquidem, ut Israël redimeretur, & patriæ restitueretur, pœnitentiam agere tenebatur, quæ absque fide, & receptione Messiæ, quem ipsi Deus concessit, & obedientia suis legibus, nil prorsus valebat, neque vera usquam esset pœnitentia, aut Deo grata.

Respondeo, quod quamvis Deus sæpe dixerit non nisi per pœnitentiam posse Populum ad Deum reverti; nunquam ei pœnitentiæ talem circumstantiam addidit de fide in Messiam; potius ea quæ cum fide in vestrum Messiam erant incompatibilia: Videlicet, quod quando servaret omnia Præcepta, Judicia, & Ceremonias scriptas in Lege Deus erit ejus misertus: Cum vero fides in Christum totam hanc Legem, præter moralia, inutilem, vanam, & non ad salutem observandam, prædicet, incompatibilis est cum ea pœnitentia à Deo Israëli, in Lege præscripta. Et siquidem Prophetiæ erant usque ad Messiam, sat congruum divinæ bonitati erat, ut ejus adventum Israël ut unicum ad finæ salutis medium agnosceret, ut ejus extrema ruina vitaretur. Quod videns Paulus, & quod illa absque Israëlis fælicitate redemptio, omnino à promissa per Legem, & Prophetas, differebat, nec adhuc cum ea similitudinem aliquam habebat; dixit tandem *Israëlem salvandum esse, cum gentium plenitudo intraverit:* quibus (ut hodie fit) argumentis in oppositum adductis, facile satisfaciebat: saltem gentibus, non ita in Sacris literis instructis. Tamen illa solutio cum Veteri Testamento non bene cohæret: quia nunquam Deus dixit, quod Israël salvabitur, postquam plenitudo gentium salva fuerit; sed contrarium; quod quando Israël fuerit liber, & redemptus ex gentibus, istæ etiam Dominum quærent, Israëlem imitantes & dicentes: *Eamus vobiscum, quia novimus vobiscum esse Deum. Et scient omnes populi, quod posui tabernaculum meum in medio vestri.* Nec oportet in hoc amplius immorari, quod luce clarius est in Sacra Scriptura: quod populi adhærebunt Israëli tempore redemptionis; non Israël populis terræ: ideo rectius dicere possumus: quod quousque intraverit Israël in sanctam patriam, à Deo suo redemptus, eique gratus; non intrabit in ecclesiam Dei Israëlis plenitudo gentium.

TER-

TERTIUM QUÆSITUM.

Num. I.

Quod neque Messias neque Propheta aliquid dicere debet contra Legem Dei, & quod clare de Messia prædicta fuere, minime in Iesu fuerunt adimpleta.

ERat tertium quæsitum: An in Veteri Testamento textus aliquis extaret, ex quo clarè constare posset, quod propter infidelitatem in Messiam Israël erat deperdendus? An Deus alicubi comminatus fuerit extremam Israëlis abjectionem, quia Messiæ non erat auscultaturus? Respondet Doctissimus Vir, Quod non erat necesse Deum de hoc Israëlem admonuisse; sufficere promisisse Messiam, ut ei, utpote excellentiori Prophetæ, Judæi crederent, & obedirent, ut sic fælicitates promissas habere possent, incredulis, ab ejus beneficiis, merito exclusis.

His supra multa respondi, quæ repetere non expedit: id solum nunc dicere liceat: quod ad credendum Prophetam, sive Messias dicatur esse, vel non, qui contrarium dixerit, aut fecerit iis, quæ à Deo in Lege, & Prophetis, clare; & aperte præcepta, vel prædicta fuere, Israël nullatenus tenetur: Sed magna constantiæ virtus fuisset, ut divina vaticinia atque Legis integritatem servaret, & tueretur, quamtumvis signa, & portenta viderit, ei doctrinæ fidem non præstare. Hic poterit Doctissimus Vir pro allegatis nunc habere omnia quæ de Regno Messiæ, & Populi statu eo tempore futuro, in Lege, & Prophetis, prædicta inveniet, quæ ut etiam Doctissimus Vir fatetur nil aliud clare significabant, quam Regnum Messiæ terrenum, cum Israëlis corporali redemptione, & tanta efficacis gratiæ affluentia, ut Sanctus futurus esset, omnibus gentibus hoc prodigium confitentibus, & ad verum Dei cultum conversis. Sic extat Sacra litera, sic credebat per tot secula Israël, & sic volebat Deus quod crederet, ut ait Doctissimus Vir: sed ex his omnibus nec minimum vidit in Christi adventu: ergo ut divinam, quam receperat, Legem tueretur, nulli Prophetæ, quovis prætextu fidere debebat, ut ab ea separaretur. Non ergo sufficiebat promisisse Messiam, nisi eum prædiceret qualis futurus erat, ut crederetur esse Messias: sed nil adducere ex eis quæ de eo Dominus prænuntiaverat, erat sufficiens, ut in cæteris minimè credendus esset. Quod attinet ad miracula, supra aliquantulum, infra fortasse plura dicemus.

Cæteris quæ hic addit Doctissimus Vir satis respondimus. Fatetur contra plurimos, ne dicam omnes Doctores Christianos, Israëlem in verum Deum adhuc credere. Grates rependo Doctissimo Viro, quod hoc nobis concedat, nec sicuti alii nos barbaros judicet, à vero Deo alienos. Tamen propter necessitatem fidei in Messiam jam adventum perinde se habet ac si non crederemus: quippe dummodo fidem in Messiam non habeamus, eodem prorsus modo condemnabimur, ac si in verum Deum Israëlis non crederemus, ac si idolum adoraremus pro Deo: non igitur credibile est, quod summe bonus Deus contentus fuisset promittere Messiam talibus verbis, ut populus non nisi terrenum Regem, & corporalem redemptionem intelligeret, & expectaret: Postea talem regem non concedere, sed alium, omnibus quæ crediderat planè contrarium: & quod ex ignorantia quam supra esse probavi, dilectus populus esset omnino deperdendus temporalibus, & æternis pœnis damna-

damnatus, de tali fide nunquam à Deo admonitus, sed terrena contraria spe per tot secula allectus.

Num. II.

Quod non oportebat omnia de futuro Messia prædicere, sed neque contraria, ita ut populus falleretur quando veniret.

ADdideram, quod futuram Israëlis idololatriam Deus clare prædixit, & criminatus fuit antequam committeretur: quærebam quare etiam non, & Messiæ rejectionem? Siquidem Deum humanatum occidere, non esset minus peccatum, quam idololatria. Recte petebam de hoc debere Populum admonuisse; nisi eum inscium peccare voluisset. Respondet Doctissimus Vir: an ego velim talem, & ita expressam de Messia, à Deo prædictionem, ut quando venisset, Israël quamvis vellet, non posset eum rejicere? aut ita ut sufficienter esset instructus, ut quando veniret, posset eum cognoscere, nisi refractarius fuerit, & inobediens.

Respondeo; Me non debere velle quod Deus hoc, vel illo modo faciat, sed omnino facere quod Deus velit: Cum vero voluisset per suam bonitatem redemptionem, & Regem nobis promittere, quem, & cujus officia adeo clare descripsit, ut non aliter eum expectare possemus, nec deberemus, (ut Doctissimus Vir sæpe fatetur) ante ejus adventum; nil aliud pro eo cognoscendo à Deo expetere, opus fuit: Sufficit quidem clarissima, de redemptione, & rege revelatio, quamvis quando venerit plurima efficiantur, quæ utpote non revelata, nunc ignoramus, quæ iis quæ Deus de eo rege prædixit minimè erunt contraria. Sed si postea homines, quod Deus clarè, & aperte prænuntiavit in toto cœlo, diversos sensus contorserint, & novæ revelationis prætextu pro rege humano, & terreno à Deo promisso, Deum ipsum, & regem cœlestem, intelligere velint, cœlum pro terra, Israëlem pro gentibus, seu gentes pro Israële, Patrum terram Hierosolyma, Zionem, pro ecclesia Christiana: quid nos faciemus, si divina voluntas id permittit? nisi in verbi Dei clara intelligentia, ut Patres nostri, constantissime insistere, novis revelationibus haudquaquam auscultantes.

Quod de Messia quando venerit Israël non poterit dubitare: neque etiam gentes.

Directe igitur respondeo; Quod sacris vaticiniis stantes de Messia quando venerit, non poterunt Israëlitæ ambigere, an verus Messias sit: nisi forte in principio suæ apparitionis, quando nondum sua munera, quibus dignoscatur, exercuit: tuncque ei fidem non facile præstare, opus erit dignum, & meritorium, si ob Dei timorem, & Legis amorem, decipi timuerint; quousque ejus vocatio conspicua sit, ut juxta Legem divinam debeat admitti, & juxta eam, quam dederit, doctrina exacte examinata: Nemo quidem poterit, nec de evidente redemptione, nec de eo Rege amplius dubitare (*& videbunt populi quod fecit veritatem, & justitiam cum Populo suo, ideoque cantabunt ei canticum novum*) sicuti de Davide jam ad thronum elato, nulla tribus dubitare ausa fuit: pariter ut nullus hominum hodie in dubium vertit: an rex Galliæ, vel Hispaniæ sint vere reges? Siquidem hoc omnibus conspicue patet: amplius Messiæ regnum patebit quando regnaverit: & si aliquis vel improbus, vel insanus parere recusaverit, læsæ majestatis humanæ crimen committet, & à judicibus ut perduellis, capite plectetur. Sicuti si Davidi, vel aliis Israëlis regibus non obedisset: Simulque contra Legis præceptum ageret, quo potestatibus à Deo institutis, obedire mandatur. Præterquam infallibilis, & Deo, & Messiæ subjectio, optime

optime compatietur cum voluntario totius Populi, atque gentium plurimarum obsequio: ita ut totus à peccatis, & sordibus, sicuti purissimum argentum, mundatus semper diligat Dominum Deum suum, idque perpetuo, infallibili, sed liberrimo amore, ut supra latissimè ex Christiana, & Judaica doctrina, atque sacra pagina, indemni libero hominis arbitrio, futurum esse, probavi.

Quare Deus de futura populi idololatria locutus, nunquam vero de Messiæ rejectione?

Quærebam ergo; quare de rejectione Messiæ Deus nunquam locutus; maxime de futura idololatria? Regerit Doctissimus Vir, quod quamvis Deus clare Messiæ rejectionem prædixisset, & damnasset, Israëli ea præmonitio non profutura esset: Siquidem licet idololatriam sæpe & acerrimè reprehendisset, & populum de eo futuro crimine prævenerit, & gravissimè sæpe puniverit: non tamen ideo abstinuit, sed facile in id incidere crimen solebat: non ergo quamvis de ea rejectione, & infidelitate populus fuisset præventus, eam necessario vitaturus esset, si obsequi ex propria malitia, & abominabili contumacia nollet.

Ego autem tale argumentum ex hac responsione colligerem: ergo quia Dei præmonitiones, & comminationes contra idololatriam non suffecere, ut populus ab eo crimine abstineret; frustra Deus admonuit, prohibuit, & populum se destructurum, prædixit: hoc clare consequitur: quia ideo asserit Doctissimus Vir, quod non necesse fuit Israëlem de futura in Messiam infidelitate criminari; quia talis præventio nec suffectura erat, neque Populus obediturus, sicuti pro idololatriæ crimine vitando, minime suffecit: ergo frustra etiam futuram idololatriam prædixit, & illius criminis pænam: & si non frustra, quamvis contrarius fuerit effectus; ergo nec frustra Messiæ rejectio prædiceretur, & ad eam secuta pæna, quamvis Israël futurus esset inobediens, & plane refractarius. Verum tamen maximè oportuit, quod Deus idololatriam non modo prohibuerit, sed etiam eam commissuros gravissimis suppliciis comminatus fuerit non solum, ut abstinerent, sicuti plurimi fecere; sed si quando in id peccatum inciderent, & divinam periclitarentur punitionem, facile resipiscerent, & Dei prædicta contemplarentur, & de crimine, de quo antea fuerant præventi, pœnitentes, ad Deum suum toto corde converterentur. Sic Israëli contigit, in diversis captivitatibus, ubi suum peccatum agnoscens ad Deum pœnitentia ductus redibat. Sic etiam, ut Dei præceptum servaret, in secundo templo pro majore parte abstinuit. Atque propter eandem Dei admonitionem per tot secula in hac dispersione idololatriam abominatur: & quare? non nisi quia Dominus prohibuit, prædixit, & extrema supplicia, se in transgressores executurum, indixit. Multum igitur oportuit Deum de futura idololatria præmonuisse, ut quamque toto cum rigore flagellaturum populum, si tale facinus aliquando committeret: quamvis etiam dixerit: *Ego scio quod labenti tempore fornicabimini cum Diis gentium, & irascar contra vos, & penitus destruam vos, & regnum vestrum.* Quod ergo inconveniens foret, si idem prædiceret, de Messiæ rejectione, de Legis gratiæ abnegatione, & de Dei humanati futura nece? Hæ erant de Messia necessariæ prædictiones, quæ usque ad eum inclusivè pertingebant; quæ si non suffecissent, ut Israël morigerus obediret; conducerent saltem, ut in subsecutis pœnis, & suppliciis, non obstinatus persisteret, sed quod facile resipisceret, ut fecit de idololatria, suum peccatum agnoscens: sed quomodo nunc resipiscere quit, siquidem credit non modo, quod suum Messiam non negavit, sed quod ex verbo divino, cum aliquando negare est impossibile; quomodo ergo pœnitebit, quod negaverit? nunquam hoc fatebitur, neque aliquam humanam habet utilitatem in negando. Ideo dicebam, quod si Israël tale horrendum facinus commissurus erat, à Deo fuisset prædictum, & comminatum, sicuti de idololatria, vel ut ab eo crimine populus abstineret, vel ab eo commisso facile resipisceret: hoc quidem intererat divinæ providentiæ.

Num. III.

De hujus Captivitatis causa, & diuturna duratione.

Illo nostræ disputationis tantisper omisso, digreditur Doctissimus Vir ad aliud quæsitum, quod omnes Christiani, qui Judæum convertere intendunt, maximè extollunt. Quærunt à nobis, propter quod peccatum adeo longam, & miseram captivitatem sustinemus, quamtumvis Mosis Legem exactè observare eamque contra totum genus humanum, retinere cupiamus, idololatria, quæ erat pessimum Israëlis peccatum, penitus relicta, & toto corde abominata; Cum antea tempore Judicum idem crimen brevissimis captivitatibus, vel vicinis populis subjectione, puniretur, Deo statim, ac resipisceret, sui Populi miserente. Postea in Babylonica septuaginta annis Dominus contentus fuit pro Israëlis expiatione, cui pepercit, & misericors in patriam reduxit: cum tamen ea captivitas propter horrenda crimina fuisset; præsertim pro universali populi idololatria, quam Reges, Principes, & Sacerdotes, per aliquot secula, commiserant; tamen septuaginta captivitatis annis fuit expurgata. Quare igitur, in hac, in qua nec idololatria, neque sacrilegia, nec majora peccata quam cæteræ gentes, Judæi patrant, adeo durat, ut plusquam per sexdecim secula vagabundi sint, extorres à patria, sine rege, sine Domino, potius abjecti, & omnibus populis in opprobrium, & perpetuam despectionem? Quod ergo est hoc peccatum, quod nec veniam, nec consolationem aliquam pro spe nostra firmanda, ita Dei misericordiam impedit nobis largiri, præter modum, quo Deus propter majora crimina, cum dilecto suo populo usus fuerat? Quod enim aliud nisi obstinata in Messiam jam adventum infidelitas?

Hæc speculatio, cum ad Dei abditum, inexscrutabile secretum ascendere affectet, ad eum satius foret inquirentem mittere, quam responsionem aliquam adhibere. Tamen divino secreto Deo ipsi reservato, cum argumentum non nisi conjecturale sit; conjecturaliter etiam, quantum ratio humana assequi potest, & quantum ex verbo Dei scripto, legere licet, pro viribus satisfaciemus. Interea vellem etiam inquirere; si Euangelica doctrina, & Dei adventus in mundum, à peccato Adami erat ita necessarius, & ad totius generis humani salutem adeo proficuum: quare per tot secula fuit à Deo dilatus? hominibus in tali cœcitate, & miseris tenebris involutis, ut nec verum Deum suum creatorem agnoscere possent, omnibus in absurdissimis opinionibus, & peccatis implicitis? Erat ne aliquod externum ex parte generis humani, quod divinam misericordiam, & potentiam, impediret? Non certe, quia Deus independens infinitè est per suam naturam: ideo, quodcumque voluit fecit: Neque indiget aliqua externa dispositione ut operetur quando velit, & quomodo velit. An erat mundus, quando venit, aptior ad suam receptionem? hoc non, quia omnes gentes erant idololatræ, & Israël in majore corruptione quam nunquam fuerat: Præsertim qui eum nec credidit, nec recepit, sed crucifigendum tradidit. Et si venturus erat, ut crucifigeretur, quovis præcedenti tempore veniret, non deficerent improbi, qui id sacrilegium committerent. His nulla alia responsio adhiberi potest, quam quod illud fuit Dei inexscrutabile secretum, cui quando ex sua infinita scientia, & misericordia, placuit, id summum beneficium hominibus impartitus fuit. Eodem prorsus modo sufficeret, quæsito nobis facto respondere; & efficacius satisfaceret; cum in vestra sententia Messias fuerit necessarius pro animarum redemptione, ex diaboli captivitate obtinenda, & divina gloria comparanda: Nos verò nec redemptionem quam expectamus, nec Messiam ipsum pro animarum salute nec pro gloria æterna consequenda, necessaria esse

esse credimus; sed pro aliis finibus quos supra retuli: ideò quamvis per decem, vel plura millia annorum differatur, non adeò interest ut vestræ quam creditis redemptionis dilatio, quæ per tot sæcula duravit, homine servo diaboli, filio iræ, sub Dei odio, & æterna maledictione ad ejus usque adventum, persistente. Hujuscemodi plura à Doctissimo Viro quærerem, quibus scio nihil aliud respondere posse, quam ad divinum secretum, & liberam Dei voluntatem recurrere: posset etiam acutissimo quo pollet ingenio subtiles congruentes rationes etiam excogitare: sed ratio ex congruentia petita nullam certitudinem, sed probabilitatem ingenerat, quæ uni placet intellectui, alteri displicet. Sic erit solutio quam præfato quæsito præstare accingor; præterea quæ ex verbo Dei claro adducere queam, quæ si clara fuerint, Doctissimus Vir abs dubio admittere tenetur.

Ad duo capita hoc quæsitum reducitur: Primum, ob quæ peccata Dominus per omnes populos Israëlem in captivitatem dispersit? Secundum, quare adeò diuturna sit hæc captivitas? cum antea propter majus scelus, nempe idololatriam, septuaginta anni Babylonicæ captivitatis suffecerint ad peccati expiationem, ut populus pristinam libertatem consequeretur? Ad primum Deus ipse apertè respondet, qui in tota Lege, & Prophetis Israëli de hac per totum universum dispersione, & summa abjectione, comminatur, non nisi propter illius Legis, quam per Mosem promulgavit, transgressionem; nulla alia addita causa, neque de Messiæ abnegatione verbum loquutus. Quare igitur aliæ nostræ captivitatis causæ assignandæ? Sufficit clarum verbum Dei, ut certissimè sciamus divinæ Legis Mosis prævaricationem, hæc omnia nobis adduxisse mala; nec nobis aliam causam quærere, aut exspeculari licet, cum conscii nobis simus hos, & majores labores propter Legis transgressionem, adhuc hodie mereri. Aliam nostræ captivitatis causam disquirant ad quos maximè oportet invenire, ut sua dogmata possint stabilire.

Majus negotium facessit satisfacere alteri quæsiti parti de nostri exilii mirabili diuturnitate, & de circumstantiis quas Doctissimus Vir etiam addidit, quæ negotium difficilius reddere apparent. Judicia Dei (ut supra dixi) exscrutari, vana audacia est humani intellectus: *Sicut distat cœlum, à terra, ita judicia mea, à vestris judiciis, dicit Dominus.* Quare Deus levissimo, ferè nobis ignoto peccato, charissimum Mosem morte puniret, cum plurimis aliis majora crimina minori supplicio pepercerit? Quare Saulem non ob magnos defectus morte, regni ablatione, & totius posteritatis exterminio; Davidem verò pro homicidio, & adulterio, pueruli morte, atque Absalonis rebellione, puniverit? Quis hæc comprehendere quit, præter Deum ipsum, qui unicus sua judicia novit.

Rationem tamen, si aliquid conjecturare valeamus, tantisper consulere liceat: & primò, quod hæc captivitas, & diuturna ejus duratio non sit propter mortem, & infidelitatem Messiæ, satis nobis constat: Quia, ut supra probavimus, Messiam enecare est contra verbum expressum Dei, qui toties repetivit nos undique eum quæsituros, cumque futurum Principem, & Regem in medio nostri, nosque ab omnibus iniquitatibus, tunc temporis expiandos, divina Lege cordibus ita indita, ut non amplius eam prævaricare velimus. Istis suppositis Messiam occidisse, impossibile credimus; Quare neque hanc esse istius captivitatis conservatricem causam.

Quod hæc captivitas non est propter mortem Messiæ?

Præterea per plurima secula ante Christi mortem decem tribus Israëlis fuerunt in captivitatem ductæ usque in præsentem diem; quas in universali cum Messia redemptione etiam reducendas, Deus ipse promittit, clare distinguens inter domum Israëlis, & domum Judæ: quæ redemptio Babylonicæ nequit adaptari: sic *Hierem. Cap.* XXIII. *vers.* 6. *Diebus illis servabitur Juda, & Israël habitabit securè*: quem vers. Tremel. & Junius in nota ad vers 4. sic intellexere *non tantum Judæ, sed etiam Israëlis* vers 6. *Ex quo manifestum est, non esse hæc verba restringenda ad reversionem è Babylonia.* Hæc illi, qui satis cognoscebant, quod in ea Dei visitatione Israëlis domus non redierat, ideo ad eam hæc verba restringi non posse fatentur. Sed ut sui dogmatis consequentiam servarent, ad universalem per Christum spiritualem redemptionem necessario recurrere tenebantur, ut statim faciunt, addentes: *Sed de liberatione spirituali per Christum hic agi.* Nos vero ubi similem locutionem in Prophetis reperimus, Israëlem, & Domus Judæ filios simul redemptione promissa potituros

tituros, credimus. Hæc adduximus, ut ex Doctoribus Christianis probari possit; quod Israël à tempore, quo captivatus fuit, non adhuc redivit, sed in eadem captivitate perseverat, quam propter Christi infidelitatem perdurare, asseri non potest, cum per tot secula ante Christi mortem extorres à patria fuissent Israëlitæ, & per varias regiones sparsi. An vero jam illæ tribus ubicumque fuerint, Euangelium amplectentes Christi redemptione, aut spirituali liberatione, nunc fruantur? Ego non novi, neque credo Doctissimum Virum audivisse: scio tamen quod in toto Oriente, & in vastissimis Indiæ regionibus, atque etiam in Æthyopia, innumeras habent Israëlitæ Synagogas: neque Judæorum nomine appellantur, sed Israëlis: à quibus non à sex annis amplissimas sacro idiomate literas accepimus, valde miratis, quod in his regionibus etiam extarent Judæi, seu Israëlitæ, ut ipsi loquuntur, qui de Christiana religione vel nullam habent notitiam, vel saltem vagam, confusam. Hos ex decem tribubus esse, suspicamur, & quod non propter infidelitatem in Christum, quem non noverant, in captivitate sint, ratio ipsa suadet: Ergo neque cæteri has regiones habitantes.

Quod hæc captivitas est eadem Babylonica continuata diversis populi statibus.

Tribus Judæ, Benjamin, & Levitica à tempore, quo in Babylonem captivæ fuerunt, in eadem captivitate, usque in præsens perseverant: quod si absque præjudicio consideretur, negari non potest: Siquidem quamvis post septuaginta annos in Hierosolyma redeundi esset à Cyro rege facultas: Exigua pars Populi id beneficium voluit admittere, & non nisi 40300. rediere, qui respectu totius populi, quasi nihil erant: cæteris omnibus per populos dispersis (ut hodie subsistunt). Verum est, quod erat iis facultas redeundi; sed etiam sciebant, eam non esse universalem redemptionem, quam Deus in Lege promiserat, atque in Prophetis, perfectam, admirabilem, & nunquam amplius, neque Israëlis peccatis, neque hominum potentia convellendam: ideoque hanc, quam patimur, captivitatem, & quam eandem tunc patiebantur, per multa secula duraturam, nec dubitabant: Siquidem neque promissam sanctitatem à Deo Israëli infundendam, neque nationum ad veri Dei cultum, reductionem, neque Regem Messiam filium Davidis, viderunt: quare ergo crederent eam esse redemptionem per Legem, & Prophetas promissam? Profecto non fuit nisi modica visitatio, per quam benignissimus Pater adhuc, & patriam, & sacrum templum per cccc. annos, & ultra, populo concessit, si forte à contumacia resipisceret, & finem imponeret peccatis, & prævaricationi, ut sic adimplerentur scripturæ de universali Israëlis redemptione. Verumtamen ii qui redierunt, non minus perversi, quam ascendentes fuere, nec minus servi, quam qui Babyloniæ, & in aliis regionibus permansere. Hoc totum constat ex *Esdra. cap. IX. vers. 6. 7. 8.* in cujus fine ait: *Cum illustrans oculos nostros Deus noster dedit nobis restitutionem aliquantulam in servitute nostra.* In qua servitute plusquam per CL. annos durarunt, à tempore scilicet Cyri, usque ad Artaxerxem: qualque in ea, & post eam restitutionem calamitates, & miserias, passi fuerint refert Nehemias, simulque quomodo cultus divinus perpetuo labebatur. Post vero à Græcis subjugatus, ab Antiocho fere consumptus, & ab aliis gentibus ita semper vexatus, ut doctor aliquis Christianus scribat, *quod per eos ccccc. annos, Deus eum populum continuo adeo punivit, ut flagellum de super eum non abstulerit.* Postea Pompeius, unde Romanæ captivitatis initium; cum laboribus, & ærumnis ab Josepho, & aliis autoribus enarratis: per Titum ultima, & totali ruina tandem eventa, interim, dum hæc in Judæa populus per ccccc. annos patiebatur, totus Israël per plurimas mundi partes in Synagogis, ut nunc, dispersus, quietam magis, atque securiorem vitam degebat, ideo in patriam redire noluit, quia quod fratres in ea patiebantur, non ignorabat: Sicque Babylonica captivitas semper hucusque perseveravit, diversis populi statibus: quam propter infidelitatem in Christum esse, probabile non est; siquidem per ccccc. annos, & ultra ante Christum inceperat, & fine intermissione perseverat: ea visitatione à Deo concessa, ut adimpleretur Hieremiæ Prophetia, ut constat ex *ultimo Chronic. vers. 21.* Non ut verbum Dei in *Deuteron.* & aliis Prophetis promissum adimpleretur.

Quod licet idololatria sit semper deterioris naturæ, non semper est æqualis malitiæ ac cætera minora peccata, neque majore digna punitione.

Verum est, quod à communi idololatria populus in captivitate Babylonica, & postea, abstinuit; tamen per totum id tempus horrenda commisit peccata, quibus ad extremum exter-

exterminium Dei iram provocavit, sacrilegia in sancto templo, homicidia, incestus, latrocinia, constantissima odia, & alia, quæ referre pudet, & Josephus atque nostri antiqui nobis scripsere. Verum à communi, & publica idololatria quoquomodo abstinuere, quæ quamvis sit deterioris naturæ, quam præfata peccata, non semper est æqualis malitiæ, nisi in iis, qui idololatriam committunt, scientes se contra Deum peccare, ut Jeroboam, & similes, qui propter fines humanos Deo scienter spreto, idola colunt. Tamen qui ab aliis seducti, vel mala educatione imbuti, credentes se bene agere, in id crimen incidunt, mortaliter quidem peccant, nec excusabiles sunt; sed non tanta cum malitia; quippe quantum de ignorantia intercedit, tanto malitia minor est: Sicuti Papistæ absdubio gravissimè peccant idolis cultum præstantes; sed majore cum malitia peccabunt si proximum occiderint, si stuprum, si incestum fecerint: ibi ignorantia malitiam diminuit; hic ex sola malitia peccant. Pariter de Israëlitis judicium ferre expedit: idololatriam exercebant in primo Templo cum insana pietate, credebant se bene agere, adeo ut sanctum Hieremiam criminarentur jam in extremis captivitatis laboribus, quod *à tempore, quo reginæ cœli libare destiterant, tales iis evenerant ærumnæ*: Fallebantur miseri, neque à gravissimo peccato excusabantur, tamen minore cum malitia, ac in cæteris quibus clare sciebant, Deum offendere. Quapropter in secundo Templo, quamvis peccata non essent ita pravæ naturæ, ac idololatriæ crimen, erant tamen majoris malitiæ: & punitio magis respicit malitiam peccantis, quam naturam actus peccaminosi: ideo insanus quamvis gravissimum crimen fecerit, jure absolvitur, siquidem caret malitia, quamvis actus per se improbus sit, & extrema punitione dignus. Non ergo mirandum, si Deus populo ab idololatria, quam aliquo modo ignarus commiserat, jam emendato, pepercerit, eumque visitaverit, redeundique in patriam, atque Templum ædificandi, facultatem concederet summa cum misericordia, ut ex aliis peccatis Deo pro tanto beneficio gratus resipisceret, ut clare constat ex Sacra pagina. Tamen cum Deus præsciret, populum in prædictam universalem dispersionem tandem iturum, quæ jam à Babylonica inceperat, placuit suæ divinæ providentiæ, ut per ccccc. annos Israël adhuc in Judæa persisteret, ut ibi idololatriam odio habendi, edoctus, & assuetus, securus ab hoc infausto crimine per totum orbem vagari posset, nec à gentibus amplius falleretur: quod si idololatriæ deditus, ut fuerat, hæc totalis, & diuturna fuisset dispersio, eo vitio inter gentes servato, cum eis omnino confunderetur, neque esset amplius Dei populus electus, & separatus, postea miraculose redimendus.

Num. IV.

Quod Judæi in secundo Templo, nec nunc, ab idololatria penitus abstinuere.

NEc Judæi in secundo Templo omnino ab idololatria fuerunt immunes: Verum quidem est, quod non fuit publice, neque à superioribus, permissa: tamen plurimi ex Judæis, gentilium, Græcorum, ac Romanorum superstitiones, amplexi fuerunt: adeo ut Antiochi tempore gymnasia peterent, in quibus de cultu idololatrico edocerentur: ac se præputiare conabantur, ut refert Josephus, & adhuc Pauli tempore in usu habebant. Neque in primo, & secundo Templo deficerent Theologi, qui suis distinctionibus probarent, talem cultum non esse contra Legem Dei, ut nunc etiam Pontificii contendunt contra Reformatos. Hac arte fallebantur incauti Judæi, qui etiam post Christi mortem idem crimen committebant, non omnes, sed plurimi, ut antiquæ nostræ enarrant historiæ: & cum hæc individualiter constare nequeant, facile nobis negabitur, cum tamen ex Actibus Apostolorum

lorum qualem qualem probationem possimus educere : Siquidem mater Timothei genere Judæa Græco viro nupta fuit , quod fieri non licebat per Legem , eamque despexit , & filium , ut tenebatur , non circumcidit quamvis à Gentili progenitum : quod totum fortasse , antequam Evangelium ei fuisset enuntiatum , fecerat : hujus apostasiam plurimos tunc temporis contraxisse , verisimile est. Post vero idololatriam papisticam magnus Judæorum numerus in diversis regionibus amplectebatur , & à Lege divina defecit ; nostrisque temporibus id ipsum experimur. Neapolitana Synagoga persecutionem perferre non potens ad Papismum conversa : Barcinonica , & quotquot erant in tota Catalonia , diris tormentis , præter eos , qui martyrium sustinuerunt , & eos qui maturè aufugerant , religionem abnegarunt , & idololatriam admisere. Quid dicam de Hispania , & Portugalia ? Ubi ex Judæis apostatis fere omnes & principes , nobiles , & populares , originem ducunt : quod in iis regionibus adeo notum ut nemo dubitaverit : quamvis pro insigniis nobilitatis , & dignitatibus , præsertim ecclesiasticis , obtinendis Judaismum abjurare oportet , & informationes exhibere , quod ab Israële oriundi non sint : quod falsis testibus adhibitis , ut in regia, auro etiam juvante , facile consequuntur. Ideo omnia monachorum claustra , atque monialium Judæorum plena. Canonici , inquisitores , Episcopi , plurimi ex Judæis procedunt : non pauci in corde judaizant , & propter ea bona temporalia , Christianismum simulant : ex quibus aliqui resipiscunt, & ut possunt , effugiunt. In hac civitate , & plurimis aliis regionibus , monachos habemus, qui idololatriam rejecere , Augustinianos , Franciscanos , Jesuitas , Dominicanos. Sunt in Hispania Episcopi , & gravissimi monachi , quorum parentes , fratres , & sorores , in hac , & aliis civitatibus , ut Judaismum servare possent, inhabitant. Sed in tota Turcia , in Africa , in Asia , Persia , Arabiis , quot divina Lege abnegata ad Mahometismum transierunt ? Et singulis diebus, levissimis ex causis , mutantur. Hi quamvis in idololatriam non impingant , quippe ibi non exercetur , potius in abominatione habetur ; tamen perinde se habet , cum divinam Legem negarint , & vanam sectam insequantur. Non igitur rectè asseritur , quod Israël à captivitate Babylonica ab idololatriæ crimine abstinuit , cum oppositum experientia testetur. Et quomodo ego de hoc suaderi possem , qui toties miser genua Baali flexi ? Peccatum meum ego recordor , ut dicebat servus Pharaonis. Utinam adeo sanctus esset nunc Israël , ut à Doctissimo Viro depingitur; sed ut verum fatear , neque Doctissimus Vir credit esse adeo sanctum , ut profert , pro sui intenti probatione.

Quod hæc captivitas magis respicit rempublicam, ut talem, quam Judæorum singularia.

Hic addere oportet , ut supra dixeram , quod hæc est Reipublicæ punitio , cui omnia priorum temporum peccata jure attribuuntur ; cum una eademque Respublica semper sit , unus populus : quæ satis diversa est , & alterius naturæ à singularium pœna , quamvis singularia etiam patiantur. Certe in Judicum , & Babyloniæ captivitate Respublica Judaica fuit à Deo flagellata , ut non amplius Reipublicæ decorem , nec faciem haberet , quousque resipisceret : tum sancti cum improbis etiam captivi fuerunt , & divinæ justitiæ iram sustinere videbantur , quia Dei judicia cadentis Reipublicæ sortem insequebantur : quos labores justos in hoc mundo perpeti in suum beneficium , nemo dubitat , Republica maximè castigata , cui omnia præcedentia crimina jure imputantur. Et ob eandem rationem , quia Rex aliquis rebelli civitati humaniter majora crimina sæpe indulserat : postea si alia minora commiserit ; videns Rex quod à peccare non desistit , & quod sua clementia abutitur , juste indignatus ei civitati omnia antiqua detrahit privilegia , nec permittit eosdem incolas ibi habitare , sed per totum regnum dispergit , ea civitate quasi ad nihilum redacta , sed incolis solo exilio , & cæterorum opprobrio punitis , præter eos , qui , utpote magis criminales , morte plecti secundum jus meruerant. Sic Israëlitica Respublica , cui à tempore Ægypti Ezechiel accusationem agit , alii Prophetæ à deserto , alii à terræ Sanctæ possessione : cui Deus sæpe misericorditer indulsit ; & cum , ut probavimus , totam Legem transgredi non desisteret , omnia præcedentia crimina imputavit , tanto majora facta , quanto Dominus sæpe cum ea misericorditer se habuit , ideoque per totum hoc tempus punita , quamvis præsentia , antiqua crimina , non æquaverint. Quod si æquè peccaret Israël in hac captivitate , ut antea fecerat ; nec aliquomodo à præcedentibus vitiis emendaretur , neque aliquod bonum faceret,

quo

quo iram Dei placare posset, hoc supplicium non esset medium à Deo præfixum pro bono populi, nunc concedendo inter hostes suos; ut postea universali redemptione, captiva Respublica libertatem, & pristinum splendorem obtineat. Aliter esset punire absque alio, præter ipsam punitionem, fine, qui tandem hominibus in bonum cedat. Hoc idem esset contra divinam bonitatem, quæ adhuc in suppliciis, nostram utilitatem intendit.

Sic in hac captivitate patienter sublata, Israël suam redemptionem expectat, quousque Domino suam rempublicam, & ecclesiam restituere, placeat. Interim singularibus, maxima, & evidenti misericordia, & providentia, ab hostibus, servatis: Fœdus, quod cum Patribus inierat, semper observans, ut promiserat: atque per tot secula nos protegit, contra omnes gentes totius universi, quæ Israëlem indicibili odio prosequuntur, contra regnorum mutationes, & contra tempus ipsum, quod omnia consumere, & finire consuevit. Hoc est sufficiens miraculum, ut gentes odio deposito, si Deus vellet, agnoscerent Israëlem esse populum Dei, & non frustra suam redemptionem expectare, nec divinam Legem, per quam ab ipsis separatus subsistit, inutiliter retinere. Quod si aliquando in aliqua regione præter solitum patimur, id nostris actualibus peccatis imputandum, præsertim quando ob nimium luxum captivitatem obliviscimur, superbire incipimus, ab Legis amore paulatim deficere, & gentium mores præter rationem affectare, horum pœnas, adauctis laboribus, luere oportet: aliter uno vel altero seculo gentibus permisceremur, nostri generis obliti.

Cum hoc tamen ut filii à Deo semper tractamur, nec sumus semper adeo abjecti, ut plurimi Christiani non nobis invideant. Fere omnes Reges Christiani nostris hominibus pro principalioribus officiis agendis, utuntur: Sicuti Turcarum, atque Persarum Imperatores, & omnes eorum Proreges, qui absque Judæis nil efficiunt: & quotquot magna ibi negotia ab Regibus, suis legatis agenda sunt, non nisi Judæorum interventione, optatum finem obtineant. Tandem singuli Judæi pro ratione, vel divitiarum, vel officiis authoritatis, vel alterius ordinis, dignitatis, in toto orbe terrarum, suam habent æstimationem; & ne longius abeamus, in hac civitate satis cum honore, Regum Hispaniæ, Portugaliæ, Daniæ, Ducis Hanover, & aliorum Principum, Judæi Legati, quos Residentes appellant, existunt. Non igitur est semper adeò miseranda captivitas, quo ad temporalia pertinet; ut in Ægypto: nec sumus servi empticii, neque in toto orbe alicui nationi inservimus: Sed Deus nos ut filios protegit, Republica sui splendoris, & divinæ, quam habebat communicationis, destituta, quam Deus misericorditer punit propter nostra, & Patrum crimina, ut antea comminatus fuerat, & se facturum prædixerat: ad tempus per suam infinitam scientiam, & bonitatem præfinitum. Neque juxta Dei decretum poterat hæc captivitas breviori tempore durare: Siquidem dixit *nos dispersurum inter omnes populos, ab uno terræ extremo ad alterum extremum:* Neque hæc dispersio futura erat per integri populi transmigrationem, ut fuit Babylonica: quomodo totus populus simul ab uno ad alterum terræ extremum inter omnes populos pergeret; hoc naturaliter impossibile est: & ut sic egrederetur ex Ægypto opus fuit Deum tot fecisse miracula. Erat igitur necesse quod temporum tractu generationibus succedentibus posteri per orbem dispergeremur, variis casibus, hominibus contingentibus, sed à Deo prædeterminatis, ut præfixa sequeretur totalis populi dispersio: pro qua eo modo efficienda tota hæc secula, & plura fortasse necessaria fuerunt. Erat igitur juxta Dei decretum hæc captivitas multis temporibus duratura: interim pro animarum salute nihilo prorsus deficienti.

Id mihi sæpe, mirandum, in mentem venit, quod quando Christiani nostrum, ut expectamus Messiam, & terrenam redemptionem, exprobare intendunt, nos carnales, & temporalibus solum addictos appellant, ut qui ad cælestia, & spiritualia mentem elevare nequeamus, terrenis dumtaxat hærentes: & quando nostram captivitatem improperant, è contrario disputant: nos miseros, sine regno, neque rege, neque terris, absque hominum æstimatione, splendore, & honore, nostro abjecto statui illudentes, semper insultant. Sed ego regererem: Si hæc temporalia non sunt ab spirituali homine expetenda; quid interest, quod per plurima secula iis ecclesia Judaica privata sit, dummodo Deum suum toto corde, & toti

& tota anima dilexerit, divinam Legem observet, & omnium nationum opprobrium, & cæteros captivitatis dolores, patienter ferat: Præsertim cum nunquam crediderint Judæi, summam fælicitatem consistere, neque in Messia, neque in futura redemptione; sed in vita æterna, quam per Legis observantiam, ut à Deo exigitur, singulos consequi posse, non dubitant: cæteris futuris promissionibus, pro ecclesiæ Israëliticæ mirabili, in Dei gloriam, restitutione, avide desideratis, & continuo petitis.

Sed si sic est (infert Doctissimus Vir) Ergo soli Judæi in toto orbe, & in omnibus hominibus, cum Christum jure abjiciant, sunt gloriæ ac veritatis divinæ assertores. Et ego concedo consequentiam: Siquidem Israël in Ægypto, & in deserto talis fuit, talis etiam tempore Judicum, quamvis barbaris gentibus misere subjectus, maximè Babyloniæ captivus; cæteris nationibus majestate, & summa potentia, mundum possidentibus, pariter in secundo Templo quamvis gravissimis peccatis implicitus: Ubi per circiter cccc. annos ab hostibus fere semper oppressus. Talis fuerat Israël per tot secula: Et si tunc Chaldæi, & Græci, vel Romani Judæos urgerent, eosque vilipendentes, hanc consequentiam ipsis opponerent: ergo soli Judæi in toto orbe, nostros Deos contemnentes, sunt gloriæ, ac veritatis divinæ assertores: quid tunc respondere, in veritate, deberent? nisi consequentiam concedere, & constanter credere sic esse verum: præsertim cum jam diu à Deo audiverint: quod erat *primogenitus Israël, Dei peculium, ejus hæreditas, in omnibus hominibus sub cælo, electus:* tandem: *& vos testes mei estis.* Ergo si hoc verum est (infert Doctissimus Vir) debent à Deo salvari, neque eorum dispersio amplius protrahi inter gentes. Hujus consequentiæ veritas, non ad me, sed ad solum Deum judicanda pertinet, qui merita demerita, & condignas pœnas unicus exacte, & sine errore, metiri novit.

Num. V.

Casus impossibilis à Doctissimo Viro propositus; alio simili convincitur.

Dixeram non fuisse necesse, Deum Israëlem præmonuisse, quod Messiam reciperet quando veniret: quia suasione non egebat, ut reciperetur, qui in summam Israëlis fælicitatem promittebatur. Fatetur Doctissimus Vir, cum distinctione, quando scilicet, veniens fælicitatem actu ipso confert, licet aliam, quam homo expectaverat. Addit insuper: quod si Christus cum cælesti gloria venisset, Judæosque palam omnibus in cœlos ascendere fecisset; cæterisque medium daret, quo evidenter in gloriam advolarent: quamvis de his nunquam fuissent præventi, absdubio crederent, quamtumvis terrenum regnum, quod expectaverant, minime vidissent.

Respondeo, quod absdubio credidissent, licet hæc antea prædicta non fuissent, à Deo: quippe de iis quæ clare intuemur, dubitare non possumus. Sed ego pariter à Doctissimo Viro quærerem: si forte quem nos expectamus Messias, venisset, & regnum Davidis magnifice restitueret, non armis sed sola Dei opera. Domum Israëlis, & Judæ ex omnibus mundi partibus colligeret, toto genere humano ad veri Dei cultum reducto: omnibus regibus terræ non violentia, sed amore, Deo & suo Messiæ sanctissime subjectis: Levitico cultu, & sacro Templo, ut ab Ezechiele depingitur, restituto: omnipotente Deo in omnibus mundi regionibus pro quovis Judæo liberando, miracula, & prodigia majora, quam in Ægypto, efficiente, & sacram Mosis Legem, ut in litera jacet plane confirmante: Sectis, bellis, & dissensionibus prorsus finitis: nonne omnes Christiani crederent illum esse verum Messiam: id promissum fuisse Regnum Dei, in Scripturis prædictum? Abs dubio

dubio crederent. Certe nec dubitarent, nisi etiam sensu communi carerent. Verum Doctissimo Viro hic est casus methaphysicus: Sic mihi quem Doctissimus Vir proponit: unicuique secundum suam fidem, hæc sunt de impossibilibus: excepto, quod à me proposita, si quando fuissent, clare, & aperte in sacra pagina prædicta omnes invenirent, & tunc eorum complementum ad unguem viderent, figuris, & sensibus mysticis non amplius memoratis: & quæ Doctissimus Vir affert, si aliquando fuissent, non ex scripturis, non ex præscripto verbi Dei; sed ex sola intuitiva visione constarent, ideoque crederentur, licet prædicta non fuissent, & quamvis prædictis clare contrariarentur: Sicuti Israëli in deserto, & in Ægypto omnia quæ videbat credere necesse erat, licet de eis antea non prævento; sed neque Abrahami revelationi aliquomodo contraria.

Dicebat Doctissimus Vir, quod alia est ratio, quando futura fælicitas promittitur: tunc suasione indiget, ut credatur. Ita profecto est, quia futuras cœlestes fælicitates promittere, quas homines aliquando verificare, est impossibile, facile quidem est, sed non creditu facile: nec minora promittebant gentiles, & nunc Japonenses, & Chinenses suos ritus observantibus. Ut homines his fidem præstare possint, & debeant ex visibilibus, à Deo suadentur: Ideo Deus ipse ex visibilibus se notum fecit: *Cœli enarrant gloriam Dei*: & Isai: *Eleva oculos tuos, & vide quis fecit ista.* Opera enim Dei visibilia, plusquam omnis philosophia, ejus existentiam demonstrant: quapropter terrena visibilia promittere, in sui omnipotentiæ ostentationem: postea hæc nunquam adimpleri, & cœlestia loco illorum iterum promittere, quæ nec videmus, nec experiri possumus, quæque etiam media divina Lege semper expectabamus, Prophetiæ rationi congruum minime putatur.

Quod ea quæ clare promittuntur, clare adimpleri debent, & hoc est de ratione essentiali Prophetiæ.

Pergit Doctissimus Vir: Quod si Christus vitam cælestem Judæis promitteret, simulque regnum terrenum ut expectat, præstaret, etiam admitteretur. Sed quare non, cum id ipsum Judæi expectent, & terrenum regnum in hac vita, & æternam postea in cælo? hæc semper fuit, & est Judaica doctrina. Sed videtur Doctissimus Vir supponere, Judæos vitam æternam, vel despicere, vel nequaquam expectare; in quo magnam nobis injuriam infert; & in summa nos præ omnibus gentibus barbarie constituit.

Quod Judæi, & regnũ terrenum in majorem Dei gloriam, & æternam vitam, cum cælesti Dei regno semper expectarunt, & expectant.

Addit: quod si nobis cultum, & religionem carni non ingratam, sed nostris desideriis conformem, Christus imperasset, statim crederemus: maxime terreno regno concesso, quamvis etiam medium ad gloriam consequendam simul præstitisset.

Respondeo: Quod si religionem carni gratam, & nostro desiderio aptam, Messias præstitisset; minime ab Israële admitteretur talis Messias; quippe ab aliquot annorum millibus Legem à Deo accepit, eodem summè bono, & sanctissimo dignam, carni, & nostris inordinatis desideriis, omnino adversam. Miror profecto virum gravissimum, atque pium dicere, quod Judæi carni gratam religionem, vel habuerint, vel desiderent; cum non aliam præter divinam observatu dignam crediderint; neque aliam perfectiorem, aut imperfectiorem, desiderent, aut expectent: cum propter hanc tot patiantur labores, captivitates, & crudeles mortes. Permisitne Dominus Judæis in Lege aliquod, quod purissimæ vitæ contrarietur? Permisit incestus, luxuriam, scorta, & quæ gulæ, libidini inserviunt? Permisit idololatriam aut profanum aliquem cultum, seu vanam superstitionem? Permisit odia, vindictam, & aliqua quæ caritati in proximum aliquomodo officiant? Est Lex Dei carnalis, quæ nostram foveat concupiscentiam? Sunt nè carni grata præcepta Decalogi, & cætera moralia per totam Legem dispersa, quibus summa pietas nil addere quit? Potiore iure dicerem cum Euangelio & omnibus Christianis Doctoribus, divinam Legem esse severissimam, Christi vero facilem, & gratiosam, quæ pariete inter nos, & gentes jam disrupto, plurima nobis carni grata permittit, quæ Dominus spiritualiori populo prohibuerat. Nec oportet omnia referre, saltem aliqua sufficient: Omnibus indifferenter vesci, de quibus Deus dixerat esse sibi abominabilia, & quod abstineremus, ut essemus sancti, ut ille sanctus est. Etiam jam animantium sanguis permissus, quod præceptum, ut ab Apostolis etiam prohibitum, plusquam per 100. annos Christianismus servavit. Idolis sacrificata jam edere licet, utpote indifferentia. Accessus ad menstruatam, non amplius illicitus, antea sub abscissionis animæ pæna prohibitus. Adulterium, peccatum est inter Christianos, sed ut cætera vulgaria

Judæi nec habuere nec sperant Legem carni gratam, sed omnino spiritualem carnis affectibus contrariam.

peccata puniendum, cum Deus non nisi utriusque aggressoris morte contentus fuisset. Ego certe non capio, quid nobis carni gratum Lex divina concesserit, cum semper contra carnis desideria pugnare per divinam Legem praecipiamur. Cum foemina enixa Christianus statim concumbit, Judaeus vero, non nisi post XL. dies, quod si foemella edita fuit, nonnisi post LX. & in menstruata oportet quatuordecim dies transiisse, singulis mensibus, ad quam accedere non licet nisi praecesserit legale balneum: quod ita exacte observatur, ut neque improbus transgredi audeat. Est ne carni gratum per dimidiam anni partem viros juvenes ab uxoribus abstinere? Sed haec ad externum cultum pertinent, dicet Doctissimus Vir: tamen negare non poterit quod haec nostri appetitus actus internos inordinatos coërcent, in quo potissimum cultus internus consistit, cui nec aliquid gratum divina Mosis Lege permittitur.

An totum negotium consistit, quod Euangelium terrena contemnere, & caelestem vitam dumtaxat prosequi edoceat? Sed hoc, ut decet, intellectum, non novum fuit Israëli, qui ante Christi doctrinam id ipsum semper noverat, crediderat, & opere executus fuerat, plurimis pro ea veritate martyrium, captivitatem, & innumeros labores sustinentibus. In summa: si Messias quem expectamus aliquid carni gratum contra Legis puritatem doceret, jure divino lapidandus esset, praesertim si in nomine Dei talia proposuisset. Nec Judaei, ut saepe dixi, Christum propter sanctam doctrinam, & moralem pietatem, quae in Euangelio legitur, non accepere, aut crucifigendum tradidere; sed quia vel se fecit aequalem Deo, vel quia dicebat se esse Regem illius populi, ut in titulo crucis dicitis fuisse inscriptum, & Judaei ne tali crimini favere, aut consentire, crederentur, Romanorum potentiam timentes, eum ipsis puniendum dedere: vel propter alias causas nobis ignotas; sed nunquam quia doctrinam caelestem, & carni adversam edocebat, aut alia, quae captum hominis superant, nisi iis, quae jam à Deo crediderant, contraria fuissent.

Num. VI.

Quod oriundus à Iudaeis qui Christo nomen dedit, in redemptione poterit majore gratiae gradu potiri, quam Iudaeus: Sed non eandem dignitatem in populo habere.

PRosequitur Doctissimus Vir, referens argumentum, quod contra me fecerat, ut suam praecedentem responsionem roboraret. An qui ex Judaeis oriundi suae originis obliti, Christo nomen dedere, si quando noster Messias venerit, ejus beneficiorum erunt participes, quamvis ei parere nolint? Respondi, quod tales ex Israële oriundi jam per aliquot generationes gentibus commixti, nil prorsus habent cum populo Israëlis. Si vero Legem acceptaverit, erit peregrinus, ut descendentes per Israëlem ex Abrahamo, vel ex Isaaco, per Esaum, qui nil habent cum promissione facta Patriarchis, neque omnes nationes, quae fere omnes ex Israële originem habuere, in eo partem habere putantur. Adhuc filius Judaei, & matris ex gentibus, Judaeus non est, neque ad Legem tenetur. Tales ergo erunt qui gentibus commixti Christianae, vel alteri sectae nomen dedere: qui si Regi Messiae non obediverint, laesae majestatis humanae crimen committent: & peccatum etiam contra Deum, qui supremis potestatibus parere jubet: Sicuti si quis Davidi, vel alteri ex regibus, obedire recusaverit.

Quaerit igitur, an qui ad Legem Mosis convertatur, qui Christum antea crediderit, pari cum Israëlitis honoris gradu, potiturus sit? An in inferiori habendus? Sed ego quaesitum non

non fatis percipio: quia si talem honoris gradum respectu divinæ gratiæ intelligat; non modo ex Judæis oriundus, sed quivis ex gentibus, talem poterit Dei amorem habere, talem fidem, ut præ omnibus Judæis, superiorem gratiæ gradum consequatur. Si autem intelligit de gradu honoris terreni, semper Israëlitæ in suo populo debent extraneos præcedere: quippe ex præcepto divino neque Reges, neque Judices, ex extraneis licet constituere: & illi de quibus loquimur, gentibus commixti, sive Christiani sint, sive alterius sectæ, jam prorsus extranei reputantur, qui respectu Israëlis infimum locum obtinebunt: Sicuti & cæteræ gentes ad Deum reductæ. Petit textum Doctissimus Vir, sed satis constat ex variis locis sacræ scripturæ. Sufficiat pro nunc *Isai. Cap.* LX. *vers.* 10. *Et ædificabunt alienigenæ muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: cum furore meo percussero te, & benevolentia mea miserebor tui:* & *vers.* 12. *Nam gens ipsa, & regnum, quæ non servient tibi peribunt, & gentes penitus desolabuntur. vers.* 14. *Et ædificabunt te demissum filii affligentium te, & incurvabunt se ad plantas pedum tuorum, quicumque spernebant te: atque vocabunt te civitatem Domini, Zionem Sancti Israëlis.* Hæc satis clara sunt, sed à Doctissimo Viro pro ecclesia Christi, & allegorice intelligenda: Nobis vero literaliter, quamvis hyperbolica locutio sit. Sed hæc in sua ecclesia nondum visa sunt, neque reges, & regna, quæ eam spernunt, & persequuntur, ruinam aliquam experta sunt; sed majorem opulentiam, quam Christiana ecclesia: igitur hæc adhuc restant adimplenda, vel in vestra ecclesia, ut creditis, vel in nostra, ut expectamus, prophetiæ literam in sensu commodo, & naturali retinentes. Hæc sufficiant, ut ab hoc particulari quæsito nos expediamus.

Num. VII.

Quod Propheta ea sola verba enuntiare debet; quæ ei Deus ori suo indiderit, vel erit falsus.

VErba ex *Deut.* XVIII. *Suscitabo Prophetam sicut tu*, jam præcedentibus scriptis, satis disputavimus. Et ego contentus sum cum opinione Joannis Calvini, quam etiam Doctissimus Vir admittit, quod ibi Deus non præcise loquitur de Messia; sed de Josua, & successuris Prophetis, maxime de Messia, (inquit Doctissimus Vir) qui omnium Prophetarum princeps futurus erat (hoc tamen ex sacra pagina nunquam probabitur) sed pro primo meo quæsito hæc additio nil faciebat: quia ego petebam textum, in quo Deus eam fidem, tanquam unicum ad generis humani salutem medium commendaverit? Non an deberemus credere Messiæ sicuti aliis Prophetis, ex generali eo præcepto fidem Prophetæ præstandi. Ideo quamvis Doctissimus Vir insistat, quod ista verba maximè de Messia dicta fuere; tamen in suis scriptis totus est in probando, quod non fuit necesse de tali fide Deum aliquando Israëlem admonuisse, quo clare fatetur, ex illis verbis, non nisi conjecturaliter elici posse, quod quærebam. Aliâs ex istis verbis directe meo quæsito responderet, & assereret Deum satis admonuisse Israëlem de fide in Messiam, cujus oppositum semper sustinuit, potius quod hoc mysterium fuit Israëli absconditum, & tempori Messiæ reservatum. Cæteris quæ hic satis docte, & acute producit, respondere abstineo, ut ad alia quæ magis urgent, properemus.

Quasi ad hominem Doctissimus Vir contra meam responsionem argumentatur, dicens: quod si ego concesserim, verba ea etiam de Messia, saltem ut Dei Propheta intelligenda, omnibus quæ diceret, tenebatur populus auscultari; sub eadem pœna, quam Dominus Prophetæ reluctantibus, in eodem textu præscripsit. Et cum Christus dixisset fidem in eum esse conditionem, & medium necessarium ad salutem; Id Israël credere debebat, quamvis Deus per

alios præcedentes Prophetas non indicaverit: vel in iram Dei incidere, ut in præfatis textus verbis expresse comminatur.

Respondeo; quod Populus tenetur omnibus, quæ Dei nomine dixerit Propheta, fidem præstare: qui tunc verus Propheta putabitur, cum præter signum, quod dederit, à senioribus exacte examinatum, nil loquatur, quod Deus ipsi non revelaverit, & dicere præcipiat. Debet igitur semper loqui, ut minister, ut Dei legatus; quod si ex se vel in nomine Dei, vel suo, aliqua, quamtumvis bona, dixerit, quæ Dominus non præcepit, est pseudo-Propheta, munus legati transcendit; non debet audiri. Ideo semper Prophetæ dicebant: *Sic dicit Dominus, verbum Domini, ait Dominus*; quia à se ipsis à Deo non præceptum aliquid prophetare, non licebat, & eo ipso contrarium agens esset falsus Propheta. Qui si verus sit potest à Populo suis verbis, quod fidem adhibeat, postulare: quia sunt verba à Deo ipsi indita, & imperata, ut enuntiet: sed non debet in se ipsum quasi imperantem, quasi principale etiam agens, fidem expetere, aut exigere: neque in suo nomine præcipere populo, ut hæc vel illa credat, vel faciat; jam enim non legatum agit, nec Prophetam, quapropter, neque ut talis audiendus. Quod si etiam addiderit, seu affectaverit deitatem, vel cum Deo æqualitatem, Prophetæ nullam rationem induit, neque ut tali credere licet, cum ex servo se dominum fecerit, ex creatura creatorem, & verba sua prædicaverit, non à Deo jussa. Et ut hæc veritas clare constet, non oportet longius abire. Siquidem ex ipsissimis allegatis *Deuter.* verbis, clare probatur, ubi de Propheta suscitando sic Deus loquitur. *Et indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis, quidquid præcepero ipsi. Et vers. sequenti: Quicumque non auscultaverit verbis meis, quæ locuturus est in nomine meo. &c.* Et infra: *Verum Propheta ille qui sibi arrogaverit eloqui aliquid in nomine meo, quæ non præcepero ei loqui, omnino morietur Propheta ille.* Ecce clarum, quod Propheta unice loqui potest, si verus sit, ea verba, *quæ Deus ori suo indiderit, quæ præcepit, ut dicat*; non *ex se*, vel *à se ipso*. Igitur qui Propheta venerit, & dicat in nomine suo hæc facienda, vel credenda, homines in nomine suo salvandos, miracula in nomine suo facienda: in se ipsum fidem exegerit ad salutem æternam, in nomine suo, & à se peccata hominibus condonanda: Iste non est Dei minister, non est Propheta, sed Deus ipse. Non igitur de eo intelligi possunt ea verba, *suscitabo Prophetam*, cui ut tali fides præstanda erat: nec est Mosi similis, sed infinite dissimilis: Moses fuit à Deo legatus, ut populo quæ ille jussisset, diceret: *& nos quid sumus*, dicebat Moses populo murmuranti: qui ergo diceret, se esse omnia, satis contrarius esset Mosi, qui nil se esse fatebatur. In summa, qui se prædicaverit adorandum, qui verba à se non à Deo imperata, populo indicaverit, qui dixerit se, & Deum unum, & eundem esse, nec est Propheta, neque credendus, neque aliquo modo admittendus. Jam scio Christianismum duas ibi naturas credere, divinam, & humanam, quarum distinctione omnia præfata componi possunt. Sed hæc valde subtilia, & theologica erant pro iis temporibus, & pro illo populo; vix in nostris hoc intelligi potest, imo nec intelligibile, sed sola fide acceptabile, quamvis rationi repugnet, ut docet Suares in sua metaphysica: adhuc non credant Sociniani, & satis Christiani sunt, ac in philosophicis, & metaphysicis satis instructi: quomodo crederent Judæi, quibus nec Christus, nec Apostoli eam Theologiam edocuere?

Num.

Num. VIII.

Prophetæ doctrina examinanda, in ejus confirmationem an vera sit vel falsa?

PRæterea quam doctrinam prædicaverit, exacte examinandum, an sit vera, vel falsa? quod hominis judicium certè discernere nequit; nisi juxta Legem à Deo datam, id examen effecerit: & verbo Dei jam antea revelato, doctrinam conformem, aut dissonam esse dijudicet: nulla quidem est alia de vero, vel falso, judicandi regula in Religionis negotio. Igitur si Propheta aliquid contra divinam Legem noviter statuere, vel auferre tentaverit, vel Dei, vel sui nomine, illico pseudo-Propheta judicandus, atque de medio tollendus. Non itidem si pro aliqua occasione, aliquod præceptum, revelatione divina, dispensaverit: eo præcepto de Lege minime abscisso; sed pro ea dumtaxat occasione, intermisso, pro evidente Dei majore gloria, & populi utilitate: ut Eliæ sacrificium extra Templum, ad Dei solius existentiam, & totius Legis veritatem publice probandum: quod in posterum, ut sic fieret, non fuit in exemplum. Aliter qui Prophetæ divinam Legem secundum aliquid, relaxare contenderit, suo, vel Dei nomine, ut falsus rejiciendus, quamtumvis miracula, & prodigia in suæ Prophetiæ confirmationem ediderit. Constat ex *Cap.* XIII. *Deuter.* ubi qui somniator, aut Propheta miracula faciens, populum à Deo avertere tentaverit ad cultum alium eum persuadens; quamprimum lapidandus, ut id malum de medio tollatur: quia tentat depellere te à via, quam præstitit tibi Dominus Deus tuus, ut ambules in ea. Hæc via est Lex Domini per Mosem Israëli præstita, per quam voluit, quod Israël semper incederet, ut ad Deum suum sine errore pervenire possit. Quicumque igitur, qui cum miraculis, & prodigiis nos ab hac Lege, seu via distrahere conatur, aliam viam securiorem, perfectiorem, aut breviorem esse, docens: præsertim si simul ad Deos alienos nos provocaverit, est pseudo-Propheta in hoc capite à Deo damnatus, & nullatenus credendus.

Sed jam audio Doctissimum Virum, cum sapiente Grotio, & aliis Christianis Doctoribus, respondentem: Eum falsum Prophetam hic à Deo damnari, qui Deos alienos, quos Patres nostri non noverant, colere suaderet, non vero eum, qui eundem Deum Israëlis, qui Populum ex Ægypto eduxerat, qui Patriarchas fuerat allocutus, unice adorandum prædicaret: Prophetasque, & eorum scripta veneraretur. Hic enim non est ille falsus Propheta, qui apostasiam consuleret, & à Deo Israëlis recedere, aliumque alienum quærere: talis si miracula fecerit, & suam vocationem iis, in confirmationem sanctissimæ doctrinæ, comprobaverit, ut verus Propheta audiendus est; quamvis de Lege aliqua, vel omnia indifferentia, pro diverso populi, seu ecclesiæ statu, mutaverit, & in perfectiora, Dei jussu, reduxerit, in bonum populi, & majorem Dei gloriam.

Hæc responsio veritatis specimen ostendit, eamque exactè speculari opus est, cum ipsi Doctores Christiani, in ea sui dogmatis defensionem, merito posuerint. Pro cuius oppugnatione aliqua supponere cum Doctissimo Viro, sincerè, & absque præjudicio vellem. Primum, quod Israël, neque aliquis ex hominibus habuit, aut habere potuit Dei propriam, aut perfectam ideam, cum intellectui humano, ob sui limitationem, illius infinitudinis cognitio, omnino repugnet. Ideo solum per negationes, & remotionem eorum, quæ Deo competere nequeunt (ut dicunt omnes Theologi) Deitatis cognitionem, homo habere possit: non vero positivè divinam essentiam concipere. Habuit igitur Israël talem Dei ideam, qua- *Quomodo intelligendum præceptum de Diis alienis non adorandis.*

 lem

lem ipse voluit ei revelare: quam cæteri homines se ipsis capere non potuerunt, ideo Deitatem creaturis misere tribuebant, & eas adorandas suscepere. Israël vero à Deo ipso edoctus solus eum in spiritu cognovit, æternum, infinitum, purum spiritum, immensum, sine corpore, sine figura, nulli similem, independentem, immortalem, impatibilem, nulli mutationi obnoxium: & similiter in aliis, per quæ à creaturis infinite differt, nulli prorsus, nec analogice similis, aut proportionatus. Hoc adeo certum est, ut nulla egeat probatione, ex sacris literis clare, & aperte deductum. Igitur nunquam licet Israëli Dei sui aliam ideam admittere; præsertim si à Deo jam inditæ, quoquo modo adversetur: quippe semper quod Deus ad alienos Deos non recurrendum admonuit: idem est, ac dicere, quod eum sub nulla alia idea, quam à se jam revelata fuit, credat, vel colere intendat: quare sæpe dixit, *ad Deos, quos Patres tui non cognoverunt*, id est, quorum ideam Israëlis patrum mentibus non indiderat: quia non est alter modus, quo Deus alienus sit, nisi quod alio modo, & sub diversa idea cognoscatur, ac Deus se ipsum voluit, ut cognoscerent: quippe eum, ut in se positive est, cognoscere, supra creaturæ captum est, ob sui infinitatem, ut supra dixi. Est ergo nobis cognitus verus Deus, quando eum secundum ideam, quam nobis de se dedit adoramus, & alienus, qui sub aliis ideis nobis colendus proponitur: quamvis dicatur esse idem Deus Israëlis, æternus, omnipotens, qui eduxit Populum de Ægypto, qui Legem ex Sinai promulgavit: hi sunt effectus, & attributa veri Dei; tamen non vero Deo applicita. Sic fecere Israëlitæ in deserto: sic Jeroboam vitulis, id ipsum tribuentes: *Ecce Israël Deum tuum, qui te eduxit de terra Ægypti.* Quod si aliquod ex astris dicerent, quod erat Deus Israëlis, quod si de aliquo bruto id homines assererent, quamvis infinita in hujus confirmationem miracula efficerent, abjicere oporteret, nequaquam credere. Quamvis Thomas, Scotus, atque alii Theologi constanter defendant, quod Deus potest assumere naturam bruti, adeo ut verificari possit, Deus est equus, equus est Deus. Deus est lapis, lapis est Deus; ob utriusque naturæ unionem: quamvis sint propositiones in materia repugnante, ut dicunt Logici. Sed isti juxta suum dogma non male philosophantur: quia non minor distantia est, sed æquè infinita inter hominem, & Deum, quam inter eum, & bruta, aut inanimata: quapropter, vel æquè invincibilis, vel æquè vincibilis. Quod si sub bruti, vel astri alicujus idea, Deus adorabilis non est, ergo nec sub alia, quæ non minus distat à Deo.

Explicatio Cap. XIII. Deut. de falso Propheta.

Dixit ergo Dominus in capite citato, quod quicumque Propheta populum ad Deos alienos, quos Patres nostri non noverant, adorandum suaserit, rejiciendus est: talis prorsus est qui Deum Israëlis sub diversa idea ab ea, quam Deus Israëli revelaverat, colendum proponit: sive sub astri, bruti, vel hominis idea, designetur. Si enim ille falsus Propheta tunc temporis, prodigia & signa fecisset, ut probaret, aliquod ex istis esse verum Deum Israëlis, nonne jure lapidandus foret? Concedet abs dubio Doctissimus Vir, quamvis ille eundem prædicaret Deum, qui eduxit populum ex Ægypto, qui fecit cœlum, & terram: igitur si alium hominem esse Deum Israëlis suis miraculis probare, aut verificare non posset, ut ab Israële credi deberet, potius lapidari: quare non idem si se ipsum, Deum Israëlis esse, affirmasset, & plurimis confirmaret miraculis? Profecto eadem est ratio sui, vel alterius, & eodem supplicio puniendus jure foret, quia Israëlem suadebat Deum sub diversa idea colere, quod idem est, ac Deum alienum, quem non cognoverunt, id est, cujus ideam Patres nostri non habuerunt: quippe cognoscere nil aliud est, quam sub tali idea rem mente concipere.

Quod Christianismus Deum sub hominis idea adorandum proponit. Cum eadem unica persona sit Deus, & homo.

Quod vero sub idea hominis Deus adorandus proponatur: est Christiana doctrina: quippe, adorare præcipit Deum incarnatum, hominem Deum, siquidem verbum caro factum est; eumque facit visibilem, mensurabilem, loco conclusum. Neque obstat distinctio in quantum Deus, & in quantum homo: quia hoc est quod impossibile putatur, & divinæ ideæ prorsus contrarium, scilicet quod Deus possit limitatam naturam induere salva ejus infinitate. Sic etiam credebant prisci ecclesiæ Doctores: adducam dumtaxat Tertullianum, qui verbum divinum ante incarnationem, & visibile, & mensurabile, & loco addictum, expresse fatetur, non vero Patrem, quem utpote summum Deum, hæc habere non posse;

acriter

acriter defendit ; non quia pater, sed quia Deus, cujus ideæ hæc repugnare credidit. *Lib. de Trinit.* mihi Fol. 623. Sic ait. *Quod si idem Moses ubique introducit Deum Patrem immensum, atque sine fine, non qui loco cludatur ; sed qui omnem locum cludit : neque eum qui in loco sit ; sed potius, in quo omnis locus sit, omnia continentem, & cuncta complexum, ut merito nec descendat, nec ascendat, quoniam ipse omnia, & continet, & adimplet. & tamen nihilominus Deum introducit descendentem ad turrim, quam ædificabant filii hominum (--) quem volunt hic Deum descendisse ad turrim illam? Deum Patrem? Ergo jam loco clauditur : & quomodo ipse omnia complecteretur? nec ergo Pater descendit, ut res indicat : neque Angelus ista præcepit, ut res probat : Superest ergo, ut ille descenderit de quo Apostolus Paulus : qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos : hoc est, filius Dei, verbum, & verbum caro factum est. Ecce Moses refert alio loco, quod Abrahæ visus sit Deus ; at idem Moses dicit, quod nemo hominum videt Deum, & vivit : si videri non potest Deus, quomodo visus est Deus? aut si visus est, quomodo videri non potest? ut Johannes, & Paulus, quem nemo vidit. Ex quo intelligi potest, quod non Pater visus sit, qui nunquam visus est, sed Filius, qui descendere solitus est, & videri, quia descendit ; imago est enim invisibilis Dei, &c.*

Ecce Doctissime Vir qualem ideam de Deo antiqui conceperint : visibilem, & limitatam, Deo Patri, quem dicunt, id est summo Deo, repugnantem : sed verbo adhuc ante incarnationem naturaliter convenientem, ut quod loco claudi, mensurari, videri, descendere, incarnari, posset : hocque non in visione prophetica : quia sic posset etiam Pater, sed realiter incarnari, & patibilis fieri : quod idem est, ac Deum sibi contrariam ideam induere, sub qua ab hominibus adoretur : ideoque clare dicebat ; Qui videt me, videt Patrem : Erat igitur in eo jam Deus visibilis, quod ipse dixit. *Qui videt me, videt & Patrem.* Idem erat ac asserere sub hominis idea Deum videri, & adorari voluisse.

Quomodo Tertullianus Deitatem componeret cum verbo ; ipse videtur. Arianismo credidisse videtur.

Ex quibus directe Doctissimo Viro respondeo : Quod Propheta, qui in se ipsum, ut verum Deum Israëlis fidem exegerit, qui Dei omnipotentiam sibi arrogaverit, qui verba sua, ut à se præcepta populo indixerit, admitti non debet, neque ut verus Dei Propheta recipiendus : quippe Deus jussit, suis servis Prophetis auscultare, qui verba, quæ eorum ori indiderit, enuntiaverint : non ei, qui se æqualem Deo, vel Deum ipsum esse prædicaverit, aut aliis prædicandum commiserit. Quo prætextu à via quam Deus Israëli dederat, eum pellere conatur, & aliam docet viam, divinis legibus, ut inutilibus, plane spretis. Et dato impossibili, quod Messias, quem expectamus, eam doctrinam Israëlem edoceret, jure foret, ut pseudo-Propheta, lapidandus. Quod vero ad Christiani dogmatis mysteria attinet, non est hujus loci disputare : neque de unione hypostatica ; neque de duabus naturis sed una persona, aut subsistentia, absque naturarum confusione. Hæc theologica sunt, quæ magis fide, quam probatione admitti debent à populo Christiano, quæque Judæi tunc scire non tenebantur, nec fuit aliquis, qui eas distinctiones doceret, adhuc tempore Apostolorum, ut ex eorum scriptis liquet. Quod si absque hac theologica doctrina crederent tunc Judæi vel hominem esse Deum, vel Deum esse hominem, essent idololatræ, aut hæretici ; Sicuti hodie, si Christianus Deum fuisse conversum in hominem, vel hominem in Deum, crederet, impiam metamorphosim admitteret, & à Christianismi fide evidenter deficeret, quæ aliter docet : Sed non eo modo, quo Israël à Deo edoctus fuit ; sed contrario, qui semper admonuit, se *suam gloriam alteri non daturum*, se *mutationem nunquam suscepturum*, id est, quod nil ei novum potest accidere, sive naturam aliam, sive unionem : quæ si non semper Deo inerant, noviter ei acciderent, si quando inessent, atque divinæ ejus substantiæ superaddita, cum unio utrumque pertingat intrinsece extremum quod unitur, aliter vel unum sine unione esset unitum. Ideo dicebam, quod hæc mysteria sola fide credenda ratione inconsulta, quæ hæc comprehendere nequit. Quare oportet primo Christianismum amplecti, ut credantur, quæque Israël neque à Propheta, neque à Messia recipere debet, ut probavi.

Propheta non in se ipsum fidē expostulet, non suam misericordiam sed Dei exaltet : non se Deum, aut illi æqualem, sed ministrum prædicet.

Num.

Num. IX.

Quod Propheta debet approbari à Senatu, ut recipiatur.

DIxeram ego Doctissimo Viro respondens; quod Israël præcepto divino Prophetæ à Deo misso fidem tenetur præstare: Et addidi inter parenthesin (approbato ab iis, ad quos de jure divino id judicium pertinebat). Regerit nunc Doctissimus Vir, quod ego volebam dicere, Jesum, ut blasphemum, fuisse à Synedrio damnatum. At ego talibus verbis non uterer, quamvis in Euangelio expresse legantur: neque de Christo tunc loquebamur, sed de Propheta in genere, quem à senatu probari debere necesse esse, dicebam; Sin minus, abjicere. Respondet insuper Doctissimus Vir, se non legisse in toto Veteri Testamento quod Deus aliquando tribunal aliquod constituisset, ita infallibile, ut quem verum, vel falsum Prophetam decerneret, populus teneretur sic eum cognoscere, admittere, vel respuere: cum tale judicium necessario infallibile fuerit. Oppositum potius ex aliquibus sacræ paginæ locis comprobavit, ex quibus constat, Reges, Principes, & Sacerdotes, fuisse improbos, & idololatras, qui Prophetas occidebant, & mille modis persequebantur: ut de Hieremia clare constat, parum minus, quam mortem, à Principibus, & Sacerdotibus, sæpe perpesso: Quomodo igitur credendum, quod talibus hominibus, Deus de Prophetæ veritate infallibile judicium commisisset?

Et ego quærerem à Doctissimo Viro, An hoc argumento probare velit, quod judicium de vero, vel falso Propheta, ad vulgum pertinebat; adeo ut quem ipse verum, & divinum probaret, vel ut falsum rejiceret, talem totus populus acceptare teneretur, atque senatus ipse ejusdem vulgi sententiæ deberet acquiescere? Foret ne hic bonus ordo Reipublicæ, præsertim à Deo constitutæ? eratne populus errori minus expositus, quam senatus ab ipso Deo præscriptus, & institutus? Profecto si senatus Christum recepisset; & à vulgi tumultu fuisset negatus & occisus, Doctissimus Vir, & omnes Christiani satis rationabiliter dicerent: O Judæi, vester à Deo stabilitus senatus eum admisit, & improbus, & insanus vulgus negavit, & abjecit; quare vos non minus insani populi sententiam sequimini, non vero sacri senatus?

Propheta debebat signum suæ vocationis ostendere: quis hoc signum, an verum, vel falsum esset, dijudicare tenebatur, ut infallibiliter crederetur, esse divinum? Certe non vulgus, qui inter Dei, & diaboli opera, minimè discernit. Quis eam doctrinam examinaret, an hæretica, an orthodoxa esset? minime vulgus, qui hæc non callet: Sed miracula, & prodigia, minus posset populus dignoscere, an magica, an Dei opera, effecta, præsertim cum vulgus novitatibus, & extraordinariis, delectetur, & facillime seducatur: ut in Pontificiis continuis falsis miraculis experimur: & quod talia à falso Propheta fieri possint, præter Deuter. text. constat etiam ex Euangelio *Matthæi* XXIV. *vers.* 24. *Excitabuntur enim pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, & edent signa magna, & miracula, ita ut seducant (si fieri posset) etiam electos.* Quid ergo foret, si talia miracula, & signa, ad vulgares examinanda pertinerent, eaque probarent? Quod si nunc ad Batavos Propheta aliquis falsus adveniret, miracula faceret, & novas doctrinas prædicaret; pertineret nè hoc judicium ad vulgum, ad nautas, ad mulierculas? Non certe, sed ad Doctissimum Virum, suosque confratres verbi Dei Ministros, & sacris doctrinis imbutos, qui certò talium falsitatem detegerent, & populos ad veram doctrinam perducerent, falso Propheta jure divino damnato. Eo prorsus regimine Israël à Deo gubernabatur, tali judi-

li judicio popularibus minime concesso, sed sacro senatui solummodo, commisso.

Sed Doctissimus Vir textum exigit, ex quo tale Deum tribunal constituisse probari, posset: Sed statim occurrit ex *cap.* XIII. *Deut.* ubi, si Propheta, vel somniator miracula fecerit, futura prædixerit, & his populum à Deo avertere prætendat, illico lapidari jubetur. Ecce tribunal satis divinum, utpote à Deo stabilitum pro Propheta, & judicando, & capite plectendo, si falsus esse inveniatur. Sed cum hæc capitalis pœna non à populi tumultu fieri deberet, sed à judicum lata sententia, ad eosdem absdubio illius Prophetæ falsitatem examinare, & disquirere, pertinebat: Siquidem ad eumdem judicem, ad quem attinet sententiam ferre, pertinet etiam inspectio causæ. Erat igitur senatus à Deo statutus, qui Prophetam, falsus, verus ve esset, determinaret; neque populus de iis judicare poterat, ut supra dixi.

Hæc Doctissimum Virum fateri, non dubito, quippe vera sunt; & naturali rationi consentanea. Tamen adhuc poterit contra meam sententiam urgere. Quod Doctissimus Vir non negavit fuisse à Deo tribunal statutum, ad quod, & judicium de Propheta, & cætera legalia, & politica decernenda, pertinebant: non tamen concedit huic tribunali eam infallibilitatem, ut si falsum esse Prophetam determinaret, necessario id judicium verum esset, quamvis populus ex evidentibus miraculis, ad oppositum suaderetur, & quamvis verus esset Propheta debitis, & majoribus signis, suam vocationem ostendens.

Respondeo, quod pro Propheta ut vero acceptando sufficiebat signum dare, quod prædixerat, quo evento non pluribus egebat, ut crederetur. Sed ut constaret tale signum esse à Deo, Dominus ad Judices illius examen revocabat, ut exacte cognoscerent, an id esset vere divinum, an in confirmationem veræ doctrinæ? in quo consistit tota ratio miraculi: quod si non fuisset, & sub aliena idea, quam Patres nostri à Deo non habuerunt, eum adorandum proposuerit: aut contra Legem aliquid docuerit, capite plectendus, quamtumvis miracula, & prodigia ediderit. Quod vero hoc judicium erat infallibile bene nobis concederent Papistæ, qui eum, & suam ecclesiam infallibiliter decernere credunt. Verum judicium senatus Israëlitici, inde constat esse infallibile, quia juxta divinam Legem fieri debebat, judices probi fuissent, vel improbi, divina quadam providentia, siquidem eis Deus in omnibus auscultari jussit, iisque non minus fidem præstare, quam Prophetæ; majore pæna imposita rebellibus, quam qui Prophetam non audiverint. Constat ex *Deut. Cap.* XVII. ubi in occurrendis circa Legem vel civilem, vel ecclesiasticam, dubiis, ad summum Sacerdotem, & judices, qui eo tempore judicaverint, jussit Dominus recurrere, eisque omnino obedire. Deinde *facies ex præstituto illius sententiæ quam indicaverint tibi, à loco, quem elegerit Dominus. Et observabis ut facias, secundum omnia quæ docuerint te: ex præstituto Legis, quam docuerint te: & secundum judicium illud, quod dixerint tibi, facies: nec recedito ab ea sententia, quam indicaverint tibi dextrorsum, aut sinistrorsum: Vir autem ille qui commiserit superbe, ut non auscultet sacerdoti ( ) utique morietur vir ille, & tolles malum illud ex Israële.* Ecce Doctissime Vir, ad quos pertinebat Israëlis dubia circa Legem judicare: & quod majus dubium quam de doctrina, & Propheta eam edocente, in quo consistebat non minus quam negotium religionis, & salus tota populi? Quod judicium si infallibile non esset, quare Deus eandem, & maiorem pænam reluctanti præscripsisset, quam ei, qui vero Prophetæ non auscultaverit? Poterant quidem, vel malitia, vel ignorantia errorem committere; sed jam Deo placuit, ut semper secundum Legem judicium facerent, nè errarent. Talis fuit illa divina providentia, præsertim in iis quæ ad religionem pertinebant. Quod si talis non fuit, ex Dei mandato injustè moreretur, qui aliquando iis judicibus non recte decernentibus, repugnaverit, & tunc non malus, sed bonus tolleretur ex Israële, & justus, qui judicum malitiæ nollet consentire: quod cum divino decreto in allegato textu, nequit cohærere: *& tolles malum illud ex Israële.* Ad hoc tribunal mittebatur judicandus Propheta: & quamvis miracula edidisset, ejus miracula examinanda, atque doctrina præcipuè an vera esset, vel falsa; unde inferebatur sua fuisse vera vel falsa

P miracula.

miracula. Sic de hoc tribunali recte sentiens Christus dicebat : *Scribæ , & Pharisæi in cathedra Mosis sederunt , facite omnia , quæ dixerint vobis* , &c. Vitiosos & hypocritas eos judicat , sed quando doctrinam dedissent , ut si à Mose daretur , recipere absolute commendat : quia sciebat non posse senatum conspirare in veram doctrinam exulandam , & falsam recipiendam : Nunquam id visum fuerat in Synedrio , quamvis plurimi præcipui ex populo , & Sacerdotibus idololatria fuissent contaminati ; quippe Synedrium ex sua constitutione erat ad divinam Legem tuendam , divina adjutum speciali providentia.

Quod si his non obstantibus perseveret Doctissimus Vir , quod tribunal illud erat etiam fallibile ; quæram, quis Isaiam , Jeremiam , cæterosque Prophetas , veros & à Deo missos decrevit ? an vulgus ipse ? quod si ita est , fortasse vulgus ille fallebatur , siquidem magis fallibilis, & ad errandum proclivior erat , quam senatus , à Deo statutus : cum Dei decreto miracula non suffecissent : & de doctrina judicare , populus non esset idoneus. Quis etiam hos Prophetarum , & historicos libros , quos canonicos habemus , tales infallibiliter esse sancivit ? Non alius præter Senatum , qui si in judicando Propheta falli poterat : posset etiam in canonicis libris decernendis , spiritu sancto si pro uno , etiam pro altero non influente : nulla quidem dispar oratio excogitari potest. Cum igitur in eorum librorum electione , & canonizatione errare non possent , spiritu sancto illuminati ; nec etiam possent in veri , vel falsi Prophetæ declaratione : cum hoc non minus ad divinam gloriam interesset , quam aliud : imo magis perniciosus error insequeretur : quia sicut bonum , & verum Prophetam possent abjicere ; falsum etiam per errorem , vel malitiam admittere possent ; in quo contra gloriam Dei , & in malum populi , hæresis , & apostasia tandem , insequerentur. Non igitur credendum est talem senatum ita velle , vel posse falli , ut alienas à Deo doctrinas foveret , vel falsum Prophetam admitteret , & verum damnaret. His , & majoribus providit divina sapientia , ne populus suus usque in hodiernam diem à suæ divinæ Legis veritate aberraret. Inde est quod nullus Propheta falsus ex plurimis qui tunc temporis fuere , quos populus insanus insequebatur , fuerit inter veros stabilitus : Signum evidens illius infallibilitatis quam defendimus ; siquidem hæc Dei providentia mediis hominibus exequebatur. Fuerunt semper in senatu seniores ea pietate pleni , & Dei gratia adjuti , ut in rebus fidei , & orthodoxæ doctrinæ nunquam errarent , aut populum seducerent. Ad hos in omni eventu accurrere tenebatur Israël in iis quæ dubitaret , ex evidenti Dei præcepto. Adhuc & Mosem non ad vulgares populi , sed ad seniores , qui Israëlem in Ægypto judicabant pro eo statu , de proxima redemptione admonendos , misit. Sit ergo conclusio , quod Deus Dominus noster senatum statuit , qui infallibiliter Prophetarum , & cæterorum ad religionem pertinentium , causas decerneret , cui sub capitali pœna cunctus populus parere tenebatur.

Quæ à Doctissimo Viro in contrarium adducuntur ex sacra pagina , solummodo probant , quod in omni tempore semper fuerunt improbi homines , non modo vulgares , sed Reges , Principes , Sacerdotes , & Levitæ , & Seniores , qui non solum Prophetas non audiebant , sed occidebant , & summè persequebantur , ad profanos , & idololatricos cultus declinantes. Id quidem non negamus ; sed quod senatus Israëlis talis usquam fuisset , nemo in æternum probabit. Omnes eæ , quæ in sanctos fiebant violentiæ , non per judicium fiebant , neque à senatu decernebantur : progrediebantur quidem ex plurimorum malitia , & pravitate , qui quamvis præcipui erant in Republica , senatum non constituebant , eum potius odio prosequebantur. Neque constat sententia à senatu lata , Jeremiam fuisse punitum , quamvis falsi Prophetæ cum eo contenderent , quos senatus coërcere non valebat , corrupto eo tempore , potius ab improbis , & magnatibus , absque aliqua juris autoritate credebantur : Domino statim , ut legitur , vindictam suscipiente : Plurimi ex piis fortasse senatoribus frustra clamabant , dicentes ; quod sicuti Isaias , & alii Prophetæ præcedentibus regibus , plurima mala prædixerant absque aliquo periculo , vel injuria eis illata : quare Jeremias pariter patienter non audiendus erat. Sed quid , quod contra eum non pauci nec ignobiles ex populo conspirassent ? Id ipsum contra Deum , & Mosem in deserto fecerant. Hoc quidem contra Jeremiam tumultu factum , non à Senatu , qui eum ut verum Dei Prophetam semper venerabatur , & ejus scripta servavit , & posteritati divina

divina esse decrevit : non igitur Synedrium Hieremiam abjiciebat aut persequebatur. Rex cum populi tumultu sanctum Prophetam Sachariam enecavit, non Synedrii sententia, 2 *Paralip. cap.* XXIV. *vers.* 27. Et Rex Husiah à Synedrio, ut leprosus relegatus, scilicet à domo judicii. 2. *Paral. cap.* XXVI. *vers.* 20. Non ergo inepte, & sine fundamento dixi : quod fides adhibenda Prophetæ approbato ab iis, ad quos de jure divino hoc judicium pertinebat: non à vulgo, quamvis magna ediderit signa, atque miracula : quæ, si possibile fuisset, electos etiam seducerent, ut in Euangelio.

Num. X.

Quod Messias perfectiorem cultum nec docuit, neque docere potest.

IN ultima quæstione petebam, ut assignaretur textus in Veteri Testamento, in quo Deus prædixerit, quod tota divina Lex, præter moralia, fuerat umbra, typus, & figura eorum, quæ tempore Messiæ futura erant. Respondit in præcedenti scripto Doctissimus Vir, quod talis textus non extat, neque erat necessarius ; sufficit quod Deus pluries dixerit, se non esse contentum ceremoniali cultu, neque ei placere sine morali seu interno: quod postea per Messiam perfectiorem cultum introduxisset : quod templum, cui talis cultus ritualis erat annexus, dirui curaret. Hæc responsio trimembris est, ait Doctissimus Vir, sed quod ego principali non respondi, sed duobus dumtaxat. Primo late respondi, & ad ultimum aliquid dixi : Medio, scilicet, quod Messias perfectiorem cultum introduxisset, ni fallor, etiam quamtum potui, satisfeci : & perfectiorem cultum, quam decem præcepta decalogi, introduci non posse, late contendebam. Nunc noviter respondeo, quod nullatenus colligitur ; quia Deo cultus externus, sine morali interno non placuit, quod externus erat figura alterius perfectioris cultus, & quod erat futurorum umbra : ego nescio quomodo hoc ex illo consequitur, neque aliquam perspicere possum inter istius consequentis, cum antecedenti, connexionem : ideo sufficit respondere : nego consequentiam, quousque efficaciore medio probetur. Neque Doctissimus Vir hoc argumentum plusquam verisimiliter convincere credit : Est enim, ut dicitur, ratio congruentiæ : & ego petebam textum, in quo expresse Deus talem permissionem hominibus dedisset, ut totam divinam Legem, præter moralia, non nisi futurorum umbram esse, affirmare liceret : ut eo stabilito, ut vana, & inutilis releganda esset, & non amplius ab Israële necessario observanda: quod ex similibus conjecturis asserere, valde durum est, & Israëli plusquam horribile ; ideoque Euangelio fidem non præstitit.

Alterum membrum de perfectiore cultu per Messiam introducendo, non majorem continet efficaciam ; quia suppositum absolute negatur, nempe quod Messias alium cultum introducturus esset, & quousque ex sacro textu clare probetur, rationabiliter negatur: nunquam tamen probari poterit, quia si talis textus exstaret in Veteri Testamento, eodem probari posset antiquum ritualem cultum cessaturum, jam inutilem redditum : Et cum Doctissimus Vir frequenter asseruerit, quod id absconditum fuit à Judæis usque ad tempus Messiæ ; evidenter colligitur, quod ex Veteri Testamento non constat Messiam perfectiorem cultum introducturum : Ideoque rectè suppositum, ut non verum negatur. Et pro me hoc sufficit, cum nostra disputatio non sit ex ratione petita : sed an ex Veteri Testamento hoc clare probari posset : non per congruentias, sed per purum verbum Dei ; sed cum non possit, nil aliud nobis disceptandum restabat. Addo : quod licet Messias totum cultum moralem, & internum, optimis & sanctissimis consiliis, in majorem perfectionem, edoceret;

ceret: Si simul ritualem Dei Legem jam inutilem, & vanam prædicaret, non perfectiorem Legem introduceret, sed unam ejus partem perficiens, & alteram destruens, totius divinæ Legis prævaricatæ esset reus: Quippe Deo una pars Legis sine alia minime placebat, ut ait Doctissimus Vir; nec minus severe, unius refractarios, quam alterius, punivit; potius in aliquotum ritualium prævaricatores severius animadvertere legimus: & si quidem horum transgressio magis displicebat, eorum observantiam plus etiam placuisse, colligitur: cum contrariorum eadem sit ratio, & disciplina.

Eam cultus Euangelici majorem perfectionem, Doctissimus Vir, in neutro scripto detexit, neque in Christianis aliis Doctoribus legi. Omnes cultum internum prædicant, quasi à Deo internus cultus summa cum perfectione in Lege non fuisset præscriptus; Tota quidem interni cultus perfectio consistit in vero, & constantissimo Dei amore, & proximi propter ipsum Deum: hic est totus cultus internus, ex quo omnia opera externa, seu moralia, seu ritualia sint, debent profluere: quæ si ex hoc principio non emanaverint, imperfectissima sunt, & divinæ Legi prorsus adversa. Si Abrahamus filium sacrificaret, non ex Dei amore, & obedientia, certe opus prophanum fecisset; si quis totam Legem servaret, absque eo agendi principio, quasi nil faceret: quamvis homo suum proximum diligat, ut se ipsum, eique subveniat, famelicum saturet, sitienti potum, nudo vestem largiatur, cæteraque omnia misericordiæ exerceat: Si hæc non propter Dei amorem, & obedientiam fecerit, nil ipsi præstabunt animæ ad salutem, nullum meritum inde consequetur: erunt hæc secundum naturam bona, non secundum Legem. Sed an talia absque Dei amore, & obedientia fieri possunt? Maxime quidem à puris naturalibus dispositionibus, & ob humana motiva, quod homo propria indole, & nativa temperie ad misericordiam, & pietatem sit inclinatus; quia ut optimè Plato: *animi mores corporis temperaturam sequuntur.* Plurimi etiam suo honori consulentes à multis vitiis abstinent, nec stuprum, neque furtum, nec homicidium, committent, ne vel in periculum incidant, vel suo honori deficiant: Sic Stoici virtutem propter se ipsam maximè prosequebantur, & honestissima præcepta statuere nulla Dei amoris, atque obedientiæ, habita ratione: Isti nequaquam religiosi fuerunt, nec Deo grati, quamvis honestissime, & tota cum rectitudine, naturaliter operarentur: Sed nil spirituale habebant, nil Deo meritorium, quia non ex ejus amore operabantur, qui est totius cultus interni, & externi, si religiosus sit, unica radix, & principium; quod si non fuerit, quæ bona opera efficiantur, nil cum cultu interno, vel externo à Deo Israëlis præscripto habebunt.

Oportet ergo examinare, an secundum hanc veram & catholicam doctrinam Deus suo populo cultum præscripserit: & in quo consistat illa major cultus perfectio per Messiam introducenda, & Israëli prædicanda. Præcepit Deus per totam Legem, ut eum amemus præ omnibus aliis, sive vita sit, sive omnia bona temporalia: & non quovis amore, sed perfectissimo, *toto corde tuo, tota anima tua, tota virtute tua:* id est, quod nullum desiderium de rebus creatis hunc amorem diminuere possit: id est, *toto corde tuo:* quantum viribus naturalibus, quantum in homine possibile est: hoc est *tota virtute tua: tota anima tua*: plusquam vitam tuam, quam pro ejus amore libenter tradere, nec dubites: *ti soli adhærebis, tum solum timebis.* Amare Deum propter timorem pænæ æternæ non est perfectus amor, neque amare propter vitam æternam consequendam est perfectissimus amor, quia uterque amor in propriam utilitatem dirigitur. Ille vero est perfectissimus, qui propter Dei infinitam bonitatem est, & quia dignus quod summo amore diligatur; sive gloriam æternam dederit, sive infernum. Hic est amor Israëli à Deo præscriptus, ab omni propria utilitate independens: & quamvis Deus temporalia promittat, etiam jubet quod his, & propria vita despectis, pro ejus amore libenter moriamur. Ideo Israël in sua lyturgia non vitam æternam, sed Dei gratiam deprecatur, id est, quod sit ei gratus: in quo consistit tota humana fælicitas: Cæterum Deo relinquitur. An amor Dei, atque filialis timor præ omnibus creatis, in Euangelio perfectiore modo præcipiuntur? Non certe; potius Christus ad hoc divinum præceptum homines mittebat ut vitam æter-

nam

nam assequerentur. Et in his duobus totam Legem consistere docebat: amare Deum, & proximum: quod si pro perfectiore modo, amandi Deum, aliquid Euangelium addidit, deberet à Doctissimo Viro proponi, ut ego si possem eam majorem perfectionem perciperem. Interim solum video, totum Euangelium percurrens, pias satis admonitiones, & documenta de vita æterna procuranda, de Deo obediendo, de hypocrisi vitanda, de patientia, de temporalium absoluta despectione, & contemptu: multis cum parabolis, quæ in eosdem fines tendunt: aliquibus additis hyperbolicis, quæ à Doctoribus in sensu commodo explicantur: ut divitem salvari non posse, providentiam pro usibus humanis necessariam nullatenus habendam, sed divinæ unice fidere, eique acquiescere: nunquam jurandum: Litem etiam justam non instituendam, neque ab injusta secundum jus defendi: sed si pallium quis injuste petierit, dare ei etiam reliquum vestis. Una gena percussa, alteram percutienti præbere, ut iterum percutiat. Hæc & similia, quæ ut dixi, commoda explicatione moderantur, nullam perfectionem divinæ Legi addidere, neque ut jacent à Christianis servantur: nec servari possent, hominibus in hoc statu vitæ degentibus. Infinita, ut sic loquar, præcepta moralia sunt in Lege, quibus homo ad angelicam vitam perduceretur, si recte servaret, quæ in Euangelio minime ita explicite reperiuntur, ut in divina Lege per totum Pentateuchum, maxime *Levit. cap.* XIX. *&* XX. Adhuc idololatriæ crimen vix in Euangeliis detestandum memoratur; aliquando in Pauli Epistolis, sed non eo ardore, & efficacia quibus in libris Mosis: nec alia plurima vitia, quæ tunc maximè, in toto populo, imò in omnibus hominibus vagabantur. Nulla instituta pœna pro horrendis peccatis, saltem ut homines abstinerent punitione deterriti, quasi possibile foret omnes ex amore Legem servaturos. Et si Leges humanæ necessariæ fuerunt ad turpitudinem coërcendam; quare non divinæ instituerentur? hac providentia hominibus relicta. Potius quattuor Euangelia tota sunt in Pharisæorum, & Scribarum hypocrisi detegenda, & acriter criminanda: Recte quidem, sed multo majora peccata tunc erant in populo: quippe deterius, absdubio, est furtum, stuprum, homicidium, erroneæ opiniones, odia constantissima, quæ tunc cum communi piorum scandalo patrabantur; quam ecclesiasticos sanctiores velle coram populo apparere, quamvis suam dissimulent malitiam, quo pro ratione officii, scandalum in populo vitare possint: nec ideo hypocrisis excusabilis est, sed peccaminosa, & absolute execranda, licet alia tunc fuissent deteriora peccata, quæ amplius reprehensione indigebant. Tandem cum nihil perfectius viderim in Euangelicis scriptis, eam propositionem de perfectiore cultu à Messia introducendo, seu introducto, non sine divinæ Legis ignominia concedere liceret. Verum tota Euangelicæ doctrinæ perfectio consistere videtur in ablegatione rituum Legis Mosaicæ, ut sic Christiani omnino spirituales evadant: cum præter id nullam aliam se habere majorem spiritualitatem nobis probare queant: neque Deum magis in spiritu credere, & adorare, quam nos, gloriari debent, & noster, quem externum cultum appellant, non minus spiritualis cultus est, quam Christianus cultus internus, & externus, ut mox patebit.

Num. XI.

Quod cultus externus, ut talis, est interno multo perfectior.

Disputatio de cultu interno respectu ritualis.

PRosequitur Doctissimus Vir ritualia cum moralibus subtiliter conferens, & acutis rationibus, horum præstantiam extollens: primo, quod ritualia ex solo legislatoris arbitrio procedant, nullo in ratione naturali habito fundamento, quapropter Deus etiam aliquando ea violari permisit; non vero moralia, quæ non nisi ex Dei sanctitate profluunt, ideoque perpetua, ut ille perpetuò sanctus est. Præterea Lex ritualis & externa observantis animum minime purgat, cum & impii in iis ritibus exequendis maximè soliciti frequenter sint. Verum Lex moralis non nisi pura mente, purgato animo, exequi potest, ideo per eam homo Deo gratus evadit.

Respondeo: Quod Lex ritualis ex legislatoris arbitrio dumtaxat pendet, aliquando, vel in plurimum nullo fundamento in naturali ratione invento: Sed non ob id inferiorem perfectionis gradum obtinet supposita legislatoris infinita sapientia, & bonitate: altioris potius, & sublimioris ordinis censeri debet: Siquidem supposito, quod summe bonus, & sapiens Deus vanas & ineptas leges homini præscribere nequit; quantum nobis earum ratio magis abdita, tantum ad divinæ sapientiæ secretum magis pertinere, oportet credamus: quod nobis nec curiose, nec philosophice scrutari licet, sed obedienter ejus imperio subjici, quo nostrum amorem, & debitam reverentiam summo creatori præstemus: omnia quæ nobis observanda proponit, sua infinita sapientia digna, valde bona, & perfectissima, toto corde credentes: sive ea possit, si vellet dispensare, sive pro aliqua occasione intermittere: & insignioris obedientiæ est ea observare, quam quæ à Deo etiam imperata in ratione nostra fundata invenimus; ista siquidem etiam si Deus non jussit homines scirent, & observare possent, ut plurimi ex Gentibus nullo ad Deum habito respectu fecerunt, honestitatem, & omne rectum amantes, ut Stoici, & alii Philosophi: Quid ergo quod id, quod se ipsis, si vellent, fecissent Judæi, à Deo ita magnifice imperatum, etiam fecerint, cum naturaliter bonum esse cognoverint?

Verum cultus externus à Deo præscriptus, ut talis est, utrumque essentialiter includit (ut Doctissimus Vir etiam fatetur) & internum moralem in solo spiritu consistentem, & actum corporeum in Dei obedientiam, & amorem, elicitum, qui eum internum cultum testatur, perficit, & opere exequitur, ideo utramque perfectionem continet. Ex quo evidenter colligitur, non solum, quod non est interno imperfectior, cum eum etiam includat, sed multo magis perfectus, utpote etiam corporaliter, per Dei reverentiam, & obedientiæ executionem, eam perficiens.

Perfectissimam creditis legem Euangelicam, quæ tota in spiritu sistit, perfecta est fides in Mediatorem, qui passus fuit, & pro omnibus mortuus: Sed Sacramenta, quæ corporalibus signis, & externis actionibus exequuntur, perfectiones sunt ejusdem legis, ejusdem fidei: imo perfectiora quatenus eandem fidem includunt: ut Sacramentum Eucharisticum, & Baptisma; quæ si veram & spiritualem fidem non incluserint, jam non erunt Sacramenta, neque gratiam conferent: & qui eas actiones externas *indigne*, id est, si absque fide, & caritate fecerit, *judicium sibi manducat, & bibit.* Hic enim cultus externus est, sed internum supponens, & includens, aliter non erit cultus externus à Christo præscriptus, sed fictitius, divinum simulans, & nullatenus divinus. Pariter divinæ Legis cultus externus à Deo Israëli præscriptus, si in solis externis actibus sistat, non est cultus legalis, sed prorsus humanus

manus Deo abominabilis, eſt turpe mendacium, quippe iis externis actibus, quibus Deo placuit, quod ſui amorem, & reverentiam, homo teſtetur, indigne, & ſacrilege abutitur: ea ſimulans, quæ prorſus non habet, & internam malitiam cultu à Deo pro ſanctificatione ſtatuto, tegere credit: contra quæ ſæpiſſime Dominus iraſcitur, & talem hypocriſin per omnes Prophetas criminatur. *Iſaias Cap. LXVI. verſ. 3. Qui jugulat bovem, ac ſi percuteret virum; qui mactat parvam pecudem, ac ſi decollaret canem: qui offert munus, ac ſi ſanguinem porci, qui adolet thus, ac ſi muneraretur idolum: Etiam iſti eligunt vias ſuas, & abominationibus anima eorum delectatur.* Conabantur quidem ſuas animæ abominationes occultas facere cultu divino abutentes, ſed non erat divinus cultus, ſed profanus, & ſacrilegus. Non igitur licet talem appellare cultum externum quem Deus mandavit: Ille enim hominis animam non purgat, neque ſanctificat; maxime alter, qui internam pietatem ſupponit, & teſtatur, quo cultus divini rationem induit: quem ſi homo, ut à Deo exigitur, effecerit, nil ei ad ſummam fælicitatem conſequendam deficiet, quæ in ſanctitate vere conſiſtit. Ego non ex me aſſero, ſed Dominus ipſe aperte promittit: qui poſtquam omnes immunditias corporales, & recenſet, & prohibet, concludit: *Neque abominandas faciatis animas veſtras ulla beſtia, aut ulla ave, aut ullo, quod premit terram, quæ decrevi vobis, ut immunda haberetis: ſed eritis mihi ſancti, quia ſanctus ego Dominus, qui diſcrevi vos à reliquis populis, ut eſſetis mei.* Ecce, Doctiſſime Vir, non ſolum præſcripſit Deus externum cultum Iſraëli, ut ſeparatus ab aliis populis ſubſiſteret, ſed, ut per eum *ſanctificaretur*, quod in plurimis locis etiam repetit. *Et eritis ſancti, quia ſanctus eſt Dominus Deus veſter.* Si igitur cultus externi actus ab impio efficiatur, non eſt cultus legalis, ut dixi, ſed ſacrilegus; hunc poteſt quicumque etiam impius operari, & in eum ſunt improbi maximè proni: Sed quid divino externo cultui, cum his externis actionibus? Hæ quidem ſuapte natura indifferentes ſunt, ſaltem quantum nos poſſumus intelligere; quia aliquid nobis occultum iis ineſt, quod altioris perfectionis eſt, Deo ſoli notum, & ſufficiens, ut dignum fuerit divino decreto. Sic credere ſanctius eſt, & rationabilius, quam quod infinita ea ſapientia tot leges commendaverit, nil in ſe perfectionis habentes, quod idem eſt, ac vanas, & ſe ipſis omni ſanctitate deſtitutas. Sic putare oportet, quamvis in plurimis eam intrinſecam perfectionem intelligamus. Minus quidem intelliguntur myſteria Chriſtiana, & tamen creduntur; quia Deus ea credere juſſit, ut putatis; ſint ſeipſis indifferentia, tamen ut à Deo exiguntur, effecta adeo divina ſunt, ut hominem ſanctificent, non quovis ſanctitatis gradu, ſed ſublimiore, ut Dei ipſius infinitæ ſanctitati, quantum fert natura creata, hominis ſanctitas ſimilis evadat: *Eritis ſancti quia ſanctus eſt Dominus Deus veſter.*

Poſſunt etiam moralia abſque Deo, & ſine interno cultu fieri, ut ſupra de recta naturaliter operantibus, dixeram. Sed præter hos, etiam improbi virtutem ſimulando, ejus actus morales frequenter exercent: & proximo ſubveniendo, pupillo, & viduæ in neceſſitatibus piè accurrendo, & juſtitiam unicuique tribuendo: Hæc etiam adhuc athei abſque hypocriſi exercent, qui nullum alium Deum, præter virtutem, reverendum, & amandum, ſibi propoſuere. Reſtat ergo cultus interni vera, infallibilis, & fictioni minime expoſita ratio, in amore Dei, qui fidem, & ſpem in eum, & caritatem in proximum includit: Cæteri vero actus morales fallaciæ ſunt expoſiti, & ut ſic cum divinæ Legis externo, vel interno cultu non minus incompatibiles, quam cætera alia ritualia, ſi abſque fide, & caritate efficiantur.

Nam,

Num. XII.

Cultus externus non minus Deo gratus, quam internus.

VErum ex præcedenti discursu audio Doctissimum Virum, qui statim infert: Ergo talis cultus externus, ut à Deo præscriptus, quamvis sanctus etiam sit, non est ita perfectus ac internus. Respondi: quod cum externus alterum includat, non potest esse minus perfectus, cum interni perfectioni novam insuper addat: majorem Deo reverentiam in actu exercito (ut dicunt Theologi) præstando. Ideo dicebant nostri antiqui magistri in Misnah. *Dedit Deus Israëli plurima præcepta, ut magis mereri possent plurimis actibus amorem & obedientiam extrentes.* Est enim externus cultus ut à Deo postulatur interni cultus maxima perfectio. Hoc aperte constare potest, siquidem nunquam internum cultum Deo placuisse legimus, absque aliquo externo: quippe homo spiritu, & corpore debet Deo inservire, ita ut quod carnis ei inest, quodammodo spirituale etiam efficiatur. Sic clare colligitur ex sacris literis. Statim in mundi primordiis Abel sacrificium obtulit Deo gratissimum: sed Cain etiam absque interna pietate, à Domino non acceptum. Quis dubitat quod Adamus etiam obtulisset, à quo filii didicerint? Postea Noë arcam deserens non solo cultu interno Deo justas grates rependit, sed oblatione, quam Deus in suavissimum odorem admisit: & neque Adam, & filii, atque Noë eum externum cultum exercebant, ut ab aliis populis separarentur, qui non extabant; sed ut Deo creatori grati fierent. Postea Abrahamus sacrificium obtulit, & quando à Deo jussus filium sacrificare instituit, in executione impeditus, ne tam divinus actus frustraretur, arietem ab ipso Deo miraculose missum obtulit: unde quam gratus ei fuerit externus ille cultus, evidenter apparet: ut qui posset Abrahami fide, & obedientia contentus, non amplius ab eo exigere, neque victimam aliam pro sacrificio ministrare: Sed placuit Deo, ut piam Abrahamus, quam sacrificandi intentionem habuerat, opera externa exequeretur, ut internus, quem servabat, cultus amplius perficeretur. Labenti tempore, Israële innumerè multiplicato, atque ab hostibus liberato; non solum circumcisionem, quam Abrahamo dederat, commendavit; sed sacrificia præscripsit, quæ sibi non minus grata fore promisit, quam fuerant tempore Abelis, Noë, & Abrahami. Ex quibus sequitur non solum per Legem, sed omnibus seculis præcedentibus, Deo placuisse externum aliquem cultum, per quem internus perficeretur; aliter frustra à sanctis viris efficeretur, fortasse à solo lumine rationis exorto, cum nullibi constet fuisse à Deo præceptum, & si sic est, sanctitatem intrinsece habere, fateri devincimur, cum in gloriam creatoris à natura ipsa proficiscatur: ut homo non ut anima, sed ut homo, qui ea & corpore constat, opera efficeret Deo suo gratissima, quæ corporeitatem insequi necesse erat.

Num.

Num. XIII.

Respondetur objectioni Doctissimi Viri, quare Deus possit externum cultum derogare.

SEd majus negotium facessit Doctissimo Viro respondere ad objectionem, quam huic doctrinæ acute satis opponit: quod moralia, seu cultum internum Deus nequit abrogare, cum ex sui ipsius sanctitate profluat: potest tamen ritualem, non modo pro aliqua occasione intermittere; sed in perpetuum abrogare, si velit, quod & ego concesseram in præcedenti scripto. Sed quod etiam addidi, quod quamvis Deus possit, si vellet, tamen non volet; quia jam decreverat in Lege se nunquam abrogaturum. Hinc majorem perfectionem inesse infert cultui interno, quam externo, siquidem potest, si velit, eum Deus in perpetuum abrogare: neque id Deum non facturum constat ex sacra pagina.

Acuta quidem ratiocinatio, sed quæ in sacris literis non magnum fundamentum habere videtur: cum Deus de utriusque prævaricatione æque offendatur. Sed siquidem ex ratione etiam disputamus: juxta naturalia principia respondere expedit. Dico igitur, quod Deus potest cultum externum, quem præscripserit, si velit, abrogare, quia est perfectior cultu interno; imo quia est summa interni cultus perfectio. Hæc propositio fortasse dura videbitur Doctissimo Viro, tamen ut examinata fuerit, ejus probabilitas clarè constabit.

Est enim cultus internus suapte natura, & simpliciter bonus: & bono contrarium, Deus utpote infinite sanctus, & bonus, velle non potest: unde omnia moralia Deus semper, & absolute vult, quia in se ipsis bona sunt, & iis contraria sunt necessario mala, in quæ divinam voluntatem ferri omnino implicat. Verum est etiam, quod Deus justè ab homine exigit, quod perpetuo bonus sit, quod rectum prosequatur, & ab omni rectitudini opposito penitus abstineat: Hic est enim cultus internus. Sed non exigit Deus ab homine, quod non solum bonus sit, sed etiam perfectissimus: non ab eo summam perfectionem expostulat: quia neque eam homo novit, neque media habet, ut assequatur; nisi à Deo gratiose concedente, edoceatur, & talia media receperit, quibus ei, quod simpliciter bonum est, major perfectio accrescat: ut sic homo non solum bonus, sed perfectissimus evadat, erga Deum, & proximum. Cultus internus hominem absolute bonum, rectum, & Deo gratum constituit: hoc non tollit, quin ad majores perfectionis gradus ascendere, non possit, ut sit præ aliis Deo sanctior, & magis gratus. Ab omnibus hominibus Deus rectitudinem, seu internum cultum exigebat; sed ab Israële majorem illius cultus perfectionem per ritualia adquisitam, ut sic esset sanctus Domino Deo suo: siquidem internum cultum æque ab Israële, & aliis omnibus gentibus exigebat, in ritualibus dumtaxat posito, pro majore perfectione, discrimine. Igitur hanc majorem perfectionem præstat cultus externus, ut supra explicui, quatenus internum opere exequitur. Quod si hominem non amplius perficeret, frustra à mundi principio exerceretur, & Deo placeret, ut late probavimus. Est ergo interno cultui addita perfectio, siquidem ille in amore, & reverentia Dei consistit: & iste eum amorem, & reverentiam, cum obsequio, & obedientia, externo opere præstat, & attestatur, mentalem eum cultum, quem supponit, pro viribus perficiens, & quo plures obedientiæ actus effecerit, quibus Deum revereatur, eo magis in obedientia, & reverentia creatoris se exercet, & perfectior evadit: quia sicut ex pluribus actibus habitus ingeneratur: ita actibus non elicitis, habitualis amor, & reverentia in dies diminuuntur: ut in omnibus artibus, & scientiis liquido experimur.

Hanc enim majorem perfectionem, seu eam consequendi medium, poterit Deus, si velit, abrogare: quia ejus oppositum non est quid positivè malum; sed privatio majoris perfectionis ipsius boni: ideoque cultum externum, quia non est bono contrarius, sed imperfectiori oppositus, potest à Deo vel non homini præscribi, vel præscriptum abrogare, si velit, sua sanctitate indemni: non tamen internus, qui simpliciter bonus est, & malo absolutè contrarius, & perfectionem cultus externi in sua substantia, seu natura, non continet: ideoque ipsi solum contrariatur, sicut imperfectius, perfectiori: tamen externus, utpote interni perfectio, eum in se continet, ut subjectum, quod perfectius denominat, ut perficiens suum perfectibile. Quod si cultus externus interno additus non fuerit, ut ejus perfectio, jam ille externus, haudquaquam cultus est, sed vana hominis superstitio, & hanc appellare cultum Dei externum ab eo præscriptum, impium est, & à veritate alienum, cum eo Deus minime colatur, sed maxime, ut ipse sæpe dixit, offendatur. Eam ob rationem Judæorum jejunia execrabatur, dicens: *Sunt ne hæc jejunia, quæ ego à vobis exigo, abstinere à cibo? &c.* Sic etiam sacrificia, sabbata, & alias festivitates abominabatur, quippe sub cultus divini specie, his abutebantur: quapropter nunquam dixit, *Sabbata mea, festivitates meas, sacrificia mea*, quando hæc omnia iratus rejiciebat; Sed, *Sabbata vestra, oblationes vestras*; quia ut ab ipsis fiebant non erant cultus divinus externus à Deo ipsis præscriptus.

Hucusque naturalem rationem aliquomodo consulere placuit; sed sacra litera non minus hunc discursum firmabit. Deus fuit in primo mundo sola lege naturæ, quæ in cultu interno consistit, contentus, solam vitæ innocentiam, & rectitudinem ab hominibus exegerat: tamen fructum eum Adamo prohibuit, ut saltem in aliquo externo cultu genus humanum obediens, internum exerceret, atque perficeret. Post diluvium Noë & filiis præceptum dedit de abstinendo à sanguine, quod ad externum cultum plane pertinebat. Quod præceptum in quocumque sensu consideretur, ad majorem hominis perfectionem datum fuisse, Doctissimus Vir fateri devincitur, & quod per illud cultus internus Noë, & posterorum obedientium perficiebatur: pariter de circumcisione Abrahamo imposita discurrendum, non solum pro separatione ab aliis populis, sed fœderis inter Deum, & suum semen perpetuum, & indelebile signum.

Postea Israëli omnia legalia præcepit, ut in eorum observantia populus Deo sanctus esset & cæteris omnibus populis perfectior. *Vos estis gens inclita, vos estis gens sapiens*: &, *Quæ gens quæ habeat judicia justa sicut vos?* Poterat quidem, & Noë, & Abrahamo, atque Israëli eos cultus externos non præcepisse, quippe inde nullum positivum malum sequebatur Dei sanctitati contrarium: Sed voluit quod Abrahamus perfectior fuisset, quam Noë, ideo dixit illi statim post præceptam circumcisionem; *esto perfectus*: & Noë plusquam qui in naturæ lege vixerant: Sed non potuit Deus velle, quod à rationalis naturæ rectitudine deviarent: hoc quidem esset positive malum, & bono oppositum: illud sola majoris perfectionis privatio. Et ut hoc intentum, (sicuti aliquando soleo) firmius evadat, ex Euangelio etiam fundamentum assumam. Non ne concedit Doctissimus Vir, quod doctrina Euangelica omnes præcedentes doctrinas divinas perficit; imo quod est earum summa perfectio? Maxime quidem: Tunc inquiro: an posset Deus, si voluisset, neque in mundum venire, neque eam doctrinam hominibus præstare, sed eos in solo cultu interno, qui omnibus fuerat lex communis, perseverare velle? Hoc negari non potest: quippe libere voluit Deus hominem per filium suum redimere, & cætera fuerunt redemptionem comitantia, aut subsequentia. Præterquam si Adamus non peccasset, doctiores Christiani sustinent, verbum non incarnandum fore: & quovis modo quis opinetur, hoc verum est, quod potuit Deus liberè, hæc omnia ad Euangelium pertinentia, non fecisse. Quod amplius probatur: quia per tot secula non fecerat, usque ad tempus Messiæ præfinitum: ergo nec eo tempore, quo eam doctrinam nondum dederat, neque etiamsi nunquam dedisset, aliquid de sua infinita bonitate, & sanctitate, detraheretur. Tamen nullo tempore, vel suspendere internum cultum, vel eum differre, vel non velle potuit: ergo quia interno cultu, & moralibus omnibus, Euangelica doctrina perfectior est, seu cultus interni summa perfectio, potuit à Deo sua sanctitate indemni, per multa secula non præcipi, vel nunquam dari: &

Cultus externus, utpote interni perfectio, potest à Deo derogari vel non præcipi: internus nequit, quia simpliciter est bonus, malo oppositus.

al : & illum nec minimo temporis spatio non velle potest. Sed quare hoc? nisi quia Euangelica doctrina est summa perfectio, abs qua posset homo interno cultu simpliciter servato, esse Deo gratus, quia perfectioni Euangelicæ oppositum, non est malum, sed majoris perfectionis privatio: Sicuti illud Euangelii: *Vende omnia, quæ habes*: Perfectius esset, sed ad salutem non necessarinm. Quod idem de cultu rituali à Deo in Lege præscripto, respectu interni, putare oportet, quod hunc Deus nequit abrogare, utpote simpliciter bonum; illum vero maxime, si vellet, ut majorem istius perfectionem.

Probatur Deum dixisse, se nunquam externum Legis cultum mutaturum. Ibi de Legis perpetuitate.

Sed totum negotium consistit in probando, quod Deus dixerit se cultum eum externum nunquam mutaturum, & jure Doctissimus Vir textum à me exigit, in quo Deus talem perpetuitatem promiserit. Sed primo rationem consulamus, quæ divinæ naturæ, quod sanctius, & perfectius est, concedendum suadet. Nunquam Deus de majore perfectione aliquid detrahere consuevit, nec suam sanctitatem decebat, cum perfectissimum plus ei placeat, quam perfectum, & cum ritualia interno cultui non opponantur, sed perficiant: quare ab eo abstinere homines voluisset? Profecto sacrificia interno cultui non adversabantur, si recte celebrarentur, juxta Dei monita: an abstinere à sanguine, an circumcidi, an sabbatho Deum mundi conditorem sancta quiete laudibus, & hymnis confiteri, sunt contra cultum internum? An iste perficitur per permissionem cubandi cum menstruata: aut proximo pecuniam fœnerandi, aut relictas spicas, & uvarum racemos, pauperibus concedendi, & alia plurima non faciendi, quæ summa sapientia & bonitas decrevit, Dei & proximi caritate plena? Ideo Abrahamo circumcisionem præscribens Deus præceptum Noë datum de abstinendo à sanguine non derogavit: neque hæc duo præcepta, quando Mosi legalia cætera præscripsit: potius ea semper servari jussit, quippe à majore perfectione ad minorem Deus descendere non solet. Profecto quod aliquis ritus à Deo præscriptus, sit cultui interno contrarius, asserere, impietatis excusari nequit. Sicut nec negari potest omnes eos ritus, & judicia Israëlem perfecisse, siquidem per eorum observantiam sanctificari, Dominus ipse testabatur. Qualis ergo erat sanctitas interna, quæ in eorum abrogatione consistebat? quasi illa, quam Christianam libertatem appellatis, aliquid interno cultui perfectionis addiderit. Quod vero tale jugum divinum gentibus necessarium non esset, non inficias ibo, cum neque ipsæ aliquando sub eo fuissent: Sed Israël quare ab eo ut inutili liberandus, quod non ut supplicium, sed in summam utilitatem, ut mente, & corpore Deo suo fuisset addictus, præscriptum fuit?

Quantum ad textum, quem ex sacris literis Doctissimus Vir à nobis efflagitat, in quo Legem perpetuam fore Deus enuntiaverit. Respondeo verum esse, quod pro ejus cultus perpetuitate Dominus ea phrasi non utitur, qua sua æternitas significari solet: Siquidem creaturis æternitas nullatenus adaptatur, sed soli Deo, qui per suam essentiam existit. Verum tamen pro perpetua Legis duratione respectu Israëlis, qui aliquando cum mundo finem habebit, utitur sacra littera omnibus phrasibus, quibus absolute constet, Deum nunquam derelicturum suum populum, neque quam dedit Legem mutaturum, præcepta, judicia, atque ceremonias: non oportet hic omnia loca adducere, cum frequentissime in sacra scriptura reperiantur, videlicet: *Ea servabis tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum: Semper, tu, & semen tuum, & semen seminis tui; in perpetuum, de generatione, in generationem: cultu perpetuo: religione perpetua, fœdere perpetuo.* Qua eadem perpetuitatis voce in rebus, donec mundus perseveraverit, duraturis utitur divinus spiritus: sit unicus locus *Hieremiæ* quasi in exemplum. *Cap.* v. *vers.* 22. *Qui disposui arenam terminum mari statuto perpetuo, quod non transgredietur.* Sicuti hic *statutum perpetuum*, non æternitatem significat: sed immutabilitatem, quæ creaturæ secundum suam naturam debetur: ita de divinæ Legis duratione semper divinus spiritus Israëlem alloquitur: quod ut nemo tergiversari posset, Legis durationem non usque ad alicujus mortem, sed juxta Israëlis vitam, subsistere voluit, dicens, quod eam observaret, *Donec vivi fueritis super terram.* Nec erant alii termini, quibus Legem perpetuam fore significaretur, cum donec Israël subsisteret, Legem duraturam, eamque servari præceperit. Nunquam vero usque ad Messiæ adventum dumtaxat Legem duraturam admonuit: neque verbum aliquod protulit, ex quo eam aliquo modo mutandam

esse insinuaverit. Hoc nostri adversarii probare tenebantur : quod etiam faciunt, sed inani labore verbum Dei in alios sensus detorquendo : nec alio modo possent, cum textus sacer clarissimus sit, adeo ut Doctissimus Vir etiam fateatur, quod Deus voluit, ut haec abscondita fuissent à Judæis, usque ad tempus Messiæ: quomodo igitur ex sacro textu convinci poterunt ad oppositum, nisi prius Christiani fuerint, & novæ revelationi fidem præstiterint?

Quod vero Deus templum suum destruxerit, & Israëlem ex terra Kenaham extorrem fecerit, quibus plurima legalia erant annexa : nil contra nos convincit : & eos ritus nunc omittentes divinum etiam Legis præceptum observamus : idem qui in templo Deus sacrificare jussit; etiam extra templum abstinere, severissime præcepit, quod per totum mundum dispersi constantes servamus; sicuti Populus Babyloniæ fecerat, & in eadem, quæ per tot regiones perseverat, captivitate, ab iis quæ Templo, & ei terræ erant annexa, secundum Dei Legem, ad quam semper tenebatur abstinuit: hoc plusquam per 1>c. annos ante adventum Christum.

Sed eximia perpetuitatis Legis probatio deducitur : quod in omnibus captivitatibus maximè post redemptionem, & Messiæ adventum, ritualia Deus observari jussit : & quod & sacrificia, & cætera omnia restituenda sunt. Quibus Christiani interpretes respondent, quod Deus in iis omnibus locis figurate loquitur, & quod omnia spiritualiter ventura sub rituum ceremonialium umbra, rudi populo proposuit (non vero Græcis, & Romanis majori intellectus acumine præditis, seu melioribus legibus dispositis, & præparatis) hæc tamen est solutio quædam, qua verbi Dei sinceritatem effugiunt : Sibi hoc sufficit, sed pro Israële nil habet efficaciæ. Sufficit quod clare Deus nobis mandaverit, quod in omni captivitate Legem servemus, ut jacet, nec addendo, nec aliquid diminuendo, ergo in hac captivitate id ipsum nos præstare oportet. Sufficit etiam, quod post nostram redemptionem prædixerit, quod omnes, vel ex omnibus gentibus, ibunt Hierosolymam Deum Jacob adoratum; quod sua munera ferent : quod festum tabernaculorum nobiscum celebrabunt, atque plura similia. Ut quid ergo umbratice dictum credemus, cum Deus per totam Legem frequentissime jusserit eam semper observandam fore adhuc post perfectam redemptionem, imo quod tota redemptio ab ejus observantia dependebat.

Num. XIV.

Quod Præcepta Decalogi perfectissima sunt. Aliqui textus Prophetarum explicantur.

UT probarem perfectiorem cultum non posse à Messia introduci, quam quod Deus Israëli præceperat, addidi, quod præcepta decalogi cunctam moralium continent perfectionem, quibus pro vita sanctissimè degenda, nil addi potest, nec necessarium est: nisi aliqua eorum explicatio, qua ad individualia descendatur: qua ratione omnia moralia, quæ excogitari possunt, in Levitico, & aliis Pentateuchi libris plenè explicita fuere. Hæc magnificis verbis me differuisse ait Doctissimus Vir : sed sub dubio reliquit, an perfectior cultus dari possit; quam decalogi præcepta ? Non ausus est id asserere, tenebatur tamen me docere, in quo consistat ille perfectior cultus moralis, quem Euangelium adduxit : & in quo præcepta decalogi superaverit : Sed non fecit, ideoque eam maiorem perfectionem agnoscere nequeo, quousque melius erudiar. *Serva mandata*, dicebat Christus : ergo sufficiebat ad summam perfectionem servare mandata; siquidem quod addidit, *vende omnia quæ habes*, ad severiorem vitam conducebat, non tamen ad perfectiorem Legis observantiam : Ideo nemo

nemo Christianorum id consilium exequitur, nec prorsus tenetur.

Quid David & cæteri Prophetæ intendant, quando videntur ritualia aliqua spernere, ex eorum contextibus facile liquet: criminantur quidem Judæos de eorum abusu, quæ, utpote ad divinum cultum pertinentia, internum includere debebant; sed absque eo præstabantur, & à divino cultu erant aliena: quasi Deus iis externis absque præstita sanctitate, gaudere posset, aut ipsis indigeret. Abominatur quidem Deus legalia, quæ sine lege fiunt, quia hæc legalia non sunt, quamvis esse appareant: Sicuti hominis cadaver, eius figuram habet, sed homo non est. Quibus à Doctissimo Viro propositis, ut ritualium valorem extenuet, credo me clare satisfecisse. Cætera quæ hic adfert, Christianè & juxta suum dogma recte dicuntur: Sed mihi utpote Judæo minime accipienda. Cæterum de textu Isaiæ de *Templo in Ægypto ædificando*: & Malachiæ de *Sacrificio in omni loco Deo oblato*: pro nunc si Doctissimo Viro placeat explicare abstinebo, ne sicut in præcedentibus prolixior sim. Deprecor tamen Doctissimum Virum ut Isaiæ contextum attente percurrat, & videat, quem tunc locum Israël habiturus sit inter gentes: & an ea quæ ibi prædicuntur, tempore Christi vel postea, fuerint adimpleta: hodie pro earum regionum possessione, totum negotium stat pro Mahometicis, antea pro Romanis. Et in Malachia, contextum etiam deprecor sincere consideret, & quare Deus sacrificia se despicere dicat, etiam clare videbit: neque ibi, neque alicubi inveniet Deum dixisse, quod quia post adventum Messiam futura erant inutilia, ea rejecerit. Pro Doctissimo Viro hæc sufficiunt, ut meam mentem percipiat: aliquando si occasio dederit hos, & alios textus, qui frequenter contra nostram fidem adducuntur, pro meis viribus explicabo.

Quod destructo templo, & Hierosolyma, Lex manet integrè perfecta, cujus potiora in sacrificiis non consistunt.

Iterum contendit Doctissimus Vir, quod destructo templo jam ritualia cessatura prædicabantur; Siquidem præcipua eorum pars templo alligata consistebat. Verum mihi oppositum certius videtur, scilicet quod minima legalium pars ad templum pertinebat, nempe sacrificia, quæ in aliis totius regni locis fieri non licebat: in quibus Lex Mosis plurimis cum legalibus observabatur. Circumcisio erat primum, & maximum præceptum: deinde Pascha, præcipuè azymorum, quæ etiam extra Hierosolymam sine occiso agno per totum orbem celebrabatur, ut nunc facimus; dies expiationis, quæ omnium celeberrima, ac sanctissima: totius anni sabbata singulis hebdomadis recurrentia, & Deo sacratissima. Abstinentia ab cibis illicitis: à connubiis prohibitis, à mulieris immunditia, & cætera quæ superfluum est recensere, cum Doctissimo Viro sint satis nota; & hoc tempore sciat per ea Judæos à cæteris populis separatos existere. Maior sacrificiorum pars erat continuum pro toto populo, cætera pro singulorum peccato ex errore: pro immunditiis expiandis, & pro gratiarum actione. Sed hæc non ita necessaria sunt, ad Legem Dei observandam, ut sine ipsis imperfecta sit? Adeo hoc abest à vero, ut ille Doctissimus R. Moses Maimon putaverit sacrificia non ut necessaria fuisse à Deo instituta, neque ei maximè grata: Sed quia Populus in Ægypto sacrificare assuetus, ad gentium sacra recurreret, si præscriptis sacrificiis non detineretur: ideo unicum templum, & unicam sacerdotalem lineam statuit. Non igitur credidit iste Doctor, quod præcipua Legis in rebus templo annexis consistebant. Sed quod ille addit, ut sacrificiorum dignitatem, & valorem attenuet; præter rationem sunt, & contra divinam dispositionem prolata: Cum Deus tempore Adami, Noë, & Abrahami tali fidei sensibili protestatione contentus fuerit; quando præsertim in primo mundo non erant alii profani ritus, à quibus averterentur, Abel scilicet, & Noë. Immunditiæ expiabantur ut licitus foret in templum ingressus. Errores involuntarii, levi pœnitentia à Deo absolvuntur. Pro peccatis voluntariis, homicidio, stupro, adulterio, incestu, idololatria, & similibus, nullo à Deo præfixo sacrificio: de quibus dicebat David: Utique holocaustis non delectaberis. His nil præter condignam pœnitentiam prodesse poterat: quare dictum est à Propheta pro hoc tempore; & *inservient pro tauris labia nostra*: non minus valent coram Deo preces ex bono animo effectæ, quam quæ in templo victimæ immolabantur. Pariter actum est in captivitate Babylonica per 70 annos ante Christum populo per Asiam, & magnam partem Europæ atque Africæ fere toto disperso: quo tempore sicuti hodie, & nunc degebat, neque templum frequentabat, quia ad essentiam Le-

gis non valde pertinebat, nec erat simpliciter necessarium, ut cætera legalia, quæ retuli, & plurima aliæ, ad quæ populus extra eam terram absolute tenebatur. Ex quo infertur, hæc esse præcipua, in quibus Lex consisteret: non quæ templo, & terræ Kenaam erant annexa: quæ extra eum locum omittere, per eandem divinam Legem præscribitur.

Explicatur Osea prophetia à me antea allegata.

Quod attinet ad verba quæ *ex Osea cap.* IV. adduxeram ad probandum, quod Templum in Messiæ adventu reædificandum est, profecto satis clare probat meum intentum. Doctissimus Vir explicat de decem tribubus Israëlis, duobus aliis Judæ, & Benjamin exclusis: quia diversa est domus Israëlis quæ fuit captiva per Salmanazarem in Assyriam, à domo Judæ, & Benjamitica, ut patet ex Sacra pagina, saltem post Hieroboami rebellionem. Sed hæc explicatio locum non habet, quia non est idem dicere *Domum Israëlis*, ac *filios Israëlis*: illa est diversa à Ieuda, sed ex utraque nominantur filii Israëlis, ut jacet in citatis Prophetæ verbis, in quibus præsens Israëlis status perspicuè depingitur: *Sine rege, sine principe, sine altari, sine sacrificiis, & sine idololatria.* & non erat minima istius status circumstantia, sed potissima, quod populus ita dispersus per tot secula, nullo regimine coactus, nulli pænæ subjectus ab idololatria abstineret: propter quod cum gentibus minime commisceretur: Sed quod perseveraturus erat Israël, suum nomen & divinum cultum observans, & ab idololatrico non immundatus, quamvis plurimi singulares à Lege ad gentes defecerint: & sic unus idemque populus subsisteret, qui tandem post tot secula Deum suum quæreret, & Messiam regem suum filium Davidis, ut Dominus futurum certò esse prædixerat. Ob id Propheta cæteris relatis divinitus addidit, *& sine idololatria.* Præterquam de decem tribubus nunquam hucusque verificatum fuit, quod quæsiverint Dominum, & Messiam Regem suum: potius quod ex ea captivitate nunquam redierę: credendum Josepho, qui nullo argumento pro religione oppressus, id confirmat *lib. 11. Antiq.* his verbis: *Totus autem populus Israël in illa provintia permansit: ideoque duæ tantum tribus consistunt per Asiam, & Europam obsequentes Romanis. Decem autem tribus hactenus trans Euphratem commorari probantur, quarum multitudines inæstimabiles minime possunt numero comprehendi.* Vel si aliqui Judæ commixti, ut plurimi Doctores Christiani contendunt probare, in secundi Templi seculis fuere; certe neque Deum quæsiverunt, neque suum Regem Messiam; eum potius, sicut alii Judæi, abjecere, & crucifigendum tradidere: qui non erat optimus modus eum quærendi. Propterea dixit Propheta: *Et dixi illis diebus multis tristis mecum: non fornicaberis, neque eris alteri viro, nec ego ero tibi.* Ubi clare significatur præsens Israëlis status, in quo nec idololatriam committit; neque Deum ut antea evidenti providentia propitium habet: quod de omnibus duodecim tribubus plane verificatur. Et quamvis ibi de Templo restituendo sermo non sit; optime infertur, quod si, ut nunc Israël expectat, pristino statui à Deo reducendus est tempore Messiæ, quod id non fine Templi reædificatione erit: quippe frustra apponeretur, *sine altari, & sine sacerdote*, si in ea quæ ibi promittitur restitutione, talia futura non essent. Diceret quidem, erit Israël multis temporibus in captivitate, & postea quæret Deum, & Messiam Regem suum: neque ad propositum faciebat altaris, & sacerdotis mentio, quæ jam non amplius erant futura. Sed divinum vaticinium ea, quibus nunc privati sumus, refert, ut in redemptione eadem nobis concedenda significet. Quod si de Christo credendo, postquam intraverit plenitudo gentium, textus intelligatur: est etiam impossibile in sententia Doctissimi Viri, qui maxime sustinet, Prophetas de Israële minime loquutos fuisse nisi usque ad Messiæ adventum, postea Euangelii Prophetis, si quid restabat de Judæis prædicendum, toto negotio commisso: ideoque solus Paulus hunc Judaismi in ecclesiam ingressum patefecit, & prænuntiavit: non ergo consentire quit Doctissimus Vir, quod hic textus de futura Israëlis fide in Christum intelligatur, nisi sibi contrarius esse velit. Minus etiam potest reduci ad reductionem ex Babylonia, quia nec tunc Messiam quærerent, qui non nisi post plura secula venit, eumque nec Judæi, neque decem tribus admisere. Sed in suo adventu minime hoc verificatur, cum tunc temporis non esset Israël sine rege, principe, altari, & sacerdotio. Quod vero Templum, & sacrificia restituenda sunt, satis expresse per Ezechielem

lem prædicitur: quamvis satis ingeniose Doctissimus Vir ab hac clarissima Prophetia se expedire conatur, ad secundum Templum omnia ibi contenta subtiliter convertens. Sed mihi minus inconveniens videretur huic Prophetæ fidem non adhibere, quam ea ita clare, & usque ad minutias prolata, in sensu à Doctissimo Viro proposito, intelligere. Bellum Gog & Magog aliquibus tropologieis & hyperbolicis commodo sensu acceptis, ut jacet in litera, Judæi intelligunt, id est, ingens omnium gentium contra Israëlem bellum, redemptione non adhuc perfecta: in quo præter Israëlis integram salutem, gloria Domini in conspectu totius generis humani exaltabitur: Sicuti coram toto Ægypto, & plurimis gentibus in prima redemptione fecerat: tuncque adimplebitur illud Prophetæ, *& erit dies tribulationis Jacob, sed ex ea salvabitur.* Hiere

---

QUARTUM QUÆSITUM.

Num. I.

Quomodo sensus literalis à mystico differat.

Alterum quæsiti ultimi membrum fuit, quo ego petebam textum aliquem ex Veteri Testamento, *ex quo apertè constaret, licere tota ferè sacra scripta mystice, figurative intelligere, literali sensu prorsus abjecto.* Respondit Doctissimus Vir, *sensum literalem nunquam despici, aut abjici debere, sed religiose servari.* Opposui, quod si sic esset, *totus Israël carnalis in terram Kenaam restituendus erat; Hierosolyma & Templum fabricanda: Sacrificia iterum instituenda: Bellum Gog & Magog ad literam adimplendum.* Respondit iterum Doctissimus Vir, me sensum suum non bene calluisse: quippe iis verbis non intendebat significare; quod nulla extant in sacra scriptura quæ debeant, aliter ut litera sonat, intelligi: Sed quod quamvis mystice, & figurate intelligantur; tamen sensus literalis non despicitur; potius servatur, cum semper autoris mentem debeamus disquirere; non vocum significationem, quæ ab autoris mente sæpe in sacra pagina maximè distat. In cujus confirmationem aliqua loca adducit, in quibus quod litera sonat accipi non debet; sed rei verus & realis sensus disquiri. Veluti quando Deo membra corporea tribuuntur, mutationes, animi affectiones, & quæ sæpè similiter occurrunt. His in præcedenti scripto responderam, non esse Judæos adeo insanos, ut omnia quæ in sacra scriptura legunt secundum præcisam vocum significationem intelligant: certe melius sapiunt, & quæ mystica sunt, à literali sensu exacte discernunt: & neque Deo membra, & cætera repugnantia concedit Israël; sed in suo commodo sensu semper explicuit. Sed quando sic agit, non dicit sensum literalem servari; potius omitti, quia non verus sensus est, ideo neque servandus; & verus disquirendus ad autoris mentem. Non est idem sensus literalis, ac verus, & genuinus literæ sensus: ille est qui ex naturali vocum significatione colligitur: alter qui secundum rationem, ad autoris mentem recte concipitur, juxta aliorum principiorum præconceptam veritatem. Etenim quando sacra scriptura Deo oculos tribuit, ut sonat, est literalis sensus; sed talis, utpote contra rationem, & ab eodem Deo habitam doctrinam, non admittendus; sed Dei sapientia ac providentia quod ibi significatur, credere oportet: cum jam de fide sciamus, nil corporeitatis ei inesse posse. Sed hic sensus literalis non est, sed juxta autoris mentem: ideoque litera solummodo mystice hanc veritatem significat: ob hoc ipsum dicebat Paulus: *litera occidit, spiritus vivificat*, id est, literalis sensus occidit. Tandem, ut dixeram, omnia ea, quæ vel rationi naturali, vel etiam sacræ scripturæ repugnant,

pugnant, non literaliter, sed in suo vero sensu intelligenda: & credere oportet, quod mystica, vel hyperbolica sunt.

Sed hinc permissionem capere, ut fere omnia, quæ in sacra scriptura continentur, non secundum litteram, sed sensu mystico, & figurato accipi debeant: id ego dubitabam, & an sic posse fieri ex sacro textu constaret, efflagitabam. Quapropter ubi verba in suo naturali sensu accepta, nil significant, quod intellectui, & sacro textui, repugnet; potius maxima cum doctrinæ consequentia perpetuo sic occurrunt, ea figurata esse asserere, & ad sensus ibi minime significatos confugere, videtur nec rationi, nec Prophetiæ congruum, præsertim si tales sensus, quovis prætextu capiantur, naturali verborum significationi oppositi sint. Hoc quidem esset contra locutionis, & scripturæ naturale institutum, quod ad loquentis mentem alteri aperiendam dirigitur. Quod si fere semper aliter intelligere oporteat, ac verba seu scriptura significant, naturalis loquendi usus pervertitur, summo cum animarum periculo. Si vero id aliquando, & rarò contigisset; ex aliis principiis autorem sic voluisse, colligi posset; & juxta totius scripturæ seriem & consequentiam cum cæteris servando, posset vera erui intelligentia. Sed quod Deus in Lege, in Prophetis, de præceptis, de Israële, de redemptione, de Messia, semper & ubique eodem prorsus modo loquatur, omni cum claritate, & expressione: & quod hæc omnia figurate dicta censeantur mille rhetoricis figuris excogitatis, quin verbum aliquod inveniatur, ex quo sic Deum intelligi voluisse, deducatur; Israëli videtur impossibile: neque Christiano medium aliquod suppetit, quo id probare queat; nisi sic ab eodem Deo recepisse affirmaverit. Quod autem tales figurati sensus literæ sacræ adversentur, evidenter constat, nec oportet omnia loca percurrere, de quibus in præcedentibus satis diximus: Sufficiat aliquod pro exemplo: Deus promisit regnum terrenum Davidis in hoc mundo, in terra Israëlis, in montibus Israëlis, talibus phrasibus usus, ut Israël per tot secula sic intelligeret, quia non aliter volebat Deus quod intelligeret. Postea advento Messia illum sensum voluit, quod rejiceret, cum ut ipse ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ecce quod contradictorii sensus in iis verbis sacræ scripturæ continebantur, scilicet, regnum de hoc mundo, & regnum non de hoc mundo à Messia instituendum: & sic in aliis promissis, & vaticiniis.

In sui probationem addit Doctissimus Vir, quod ea fuisse figurata, aliquomodo in sacra littera significabatur: quia *cum Deus in captivitate, & dispersione, totam Legem servari præcepisset, tamen ex ipsius Dei decreto id fieri non posse, plurimis præceptis ei terræ, & Templo alligatis, quæ extra fieri non licebat: Signum evidens est meliorem cultum Deum daturum, qui universim exerceri posset, & per eum legalem cultum figurabatur, antiquo, judiciis, præceptis, & ceremoniis jam, ut plane inutilibus, & vanis derelictis, & derogatis.* Nonne hoc est oppositum figurativè significare? Si enim Deus dixisset: & quando fueris inter gentes dispersus adhuc tibi favebo, & perfectiorem cultum tibi præstabo, ut bene sit tibi, & semini tuo, ut vivas: Si hæc dicerentur, quamvis cultus ille non clare, neque plane prædiceretur; posset postea facile admitti: Sed quod clare præcipiat omnium legalium observantiam in sua dispersione; ut postea populus intelligat, Deum illis verbis voluisse, quod eam observantiam deserat, & aliam admittat cum ea incomparibilem, ita ut id mandatum, Cum dispersi fueritis totam Legem observate, sit idem ac dicere totam Legem ne observetis, sed aliam novam, & perfectiorem, quam vobis ego monstrabo. Hoc quidem non credibile est de divina veritate. Cætera quæ Doctissimus Vir hic addit, optima sunt pro jam credentibus in sua fide firmandis; non vero pro suadendis Judæis, qui rationes ex congruenti discursu peritas, nullatenus accipere consuescunt, sed in solo claro Dei verbo insistere, in quo putant vitam habere.

Num.

Num. II.

Quod Hebræi Doctores ex sensu mystico nullum Religionis dogma constituerunt.

Dicebat Doctissimus Vir, quod etiam nostri Doctores plurima ex sacra Scriptura mystice explicuere: & nil ipsis magis vulgare, præsertim Thalmudicis, qui juxta hunc sensum infinitas conceptiones habuere. Responderam Doctissimo Viro, quod quamvis nostri Doctores plurima ex sacris literis mystica, ut populum ad constantiam in laboribus, & in fide, & divini cultus observantiam deduxerint: nunquam tamen licebat ex iis nova religionis dogmata statuere, vel statuta quovis modo mutare. Addidi, quod Christiani aliter scripturam intelligere tenentur, novæ Euangelicæ revelationi fidem adhibentes, quod si non facerent, non essent amplius Christiani. Sed nunquam dixi, mysticas Euangelii intelligentias fuisse ab Apostolis confictas: nec est idem eas, ut Judæum non recipere, quam ita immodestis verbis eas tractare: præsertim ego, qui Christianismum, non inter barbaros, sed inter doctissimos, sanctissimosque viros, versari agnoscam: eumque mirabili pietate plenum, nunquam diffiteor: quod ab facta abusuum reformatione, majore cum ratione & fundamento dixerim. Vellem quidem hic sistere, & non ultra in nostra amica disputatione progredi, ne respondendi necessitate aliqua scribam, quæ modestiæ limites excedant: Sed ne videar, quæ in suis scriptis sequuntur, minore habere pretio, quam præcedentia, ut etiam pro meo captu satisfaciam; utque Doctissimi Viri curiositati aliquo modo blandiar, qui Judæorum mentem intimè scire desiderat, inceptum opus perficiam, non livido, sed studioso animo omnia percurrens à Doctissimo Viro mihi opposita.

Conditionatam propositionem Doctissimus Vir mihi proponit, quam & ego facile admitterem, nempe, quod si idem divinus spiritus, qui Mosi, & cæteris Prophetis revelavit, in Apostolorum mentes influxisset: An si vellet, posset etiam Apostolis nova influere, mentibusque eorum, quæ præcedentes Prophetæ prædixerant, declarationem indere: & quæ antea sub typicis locutionibus recondebantur, detegere? Ego etiam libenter fateor, quod si Deus velit posset quidem sic facere: dummodo tales declarationes claro & expresso verbo Dei præcedenti contrariæ non forent: & quia Israël credidit esse contrarias, ideo à Deo, & suo spiritus factas, nunquam credere potuit, cum Deus sibi contrarius esse non possit. Ideo petebam textum, si forte exstat, in quo Deus tales sensus, & futuras declarationes aliquando se influxurum promiserit: talem textum impossibilem esse putamus, qui verbo Dei præscripto adversaretur. Ideo optime, & sapienter concludit Doctissimus Vir, quod totius nostræ disputationis negotium in hoc tandem consistit: Utrum Apostoli Spiritus Sancti afflatu nobis mysticum Prophetiarum sensum aperuerint? Quo concesso, nil aliud restat impediens, quo minus Israël Euangelicam doctrinam admittat. Quod ut facilius discuti possit, aliam quæstionem adjunxit Doctissimus Vir, *Quibus argumentis moti Judæi Mosem Prophetam & divinum legislatorem agnoscant?*

Duo huic quæstioni argumenta protuli: continuam à Patribus, qua Deum Mosi servo suo clare manifestatum fuisse constat, traditionem, per filios ad hanc usque ætatem propagatam: & Mosis prædictiones de futuris purè contingentibus suis temporibus ad literam adimpletis: quæ à nemine præcognosci possunt, nisi à Deo, & quibus ei revelare placuerit.

Objicit Doctissimus Vir: cum ego credam hæc sufficere ad fidem Mosi præstandam: quare etiam suo Messiæ eamdem fidem adhibere recusent Judæi? Breviter respondeo, ad quæ in tea scripseram consequenter loquens: quod propter eandem rationem, qua Mosi fidem præstamus, Euangelio adhibere non possumus: quippe ideo Mosi, & ejus Legi credimus, [illegible] à Deo [illegible]

Quare Ju- [illegible] Mosi, [illegible]

à suo tempore usque in præsens non interrupta traditione à patribus recepimus, eos ea omnia vidisse, ut in sacris Bibliis enarrantur, esseque omnino vera, sine aliquo dubio aut controversia hanc enarrationem intercipiente. Cum vero à tempore quo Euangelium incepit ab eisdem Patribus non interrupta traditione receperimus ea non ita fuisse, ut enarrantur, & creduntur à Christianismo, iis fidem adhibere, nec possumus, nec tenemur: Cum Dominus nunquam nos ad gentes misisset interrogandas, sed solummodo ad Patres nostros, quibus omnino fidere jussit. Quia si à Patribus similem traditionem de Mose haberemus, ac de Christo habemus, scilicet quæcumque Moses scripsit taliter non gesta fuisse, cujus patres fuissent oculares testes, profecto nec Mosi, neque ejus scriptis plusquam Euangelio crederemus: Igitur propter rationem qua illi credimus, isti fidem præstare nequimus.

Urgebit iterum Doctissimus Vir, quod quamvis præsentes Judæi sic excusari velint: non possent qui tempore Christi & Apostolorum subsistebant, qui quæ viderant credere nolentes suam posteritatem miserè fefellere. Respondeo: quod quare Patres tunc temporis viventes Christo & Apostolis fidem non dederint, non est cognitu nobis difficile. Primo, non credidere, quia non sufficiens fundamentum eis apparuit, ut crederent: quia si invenissent, non esset ratio aliqua, qua eum negarent, & rejicerent: & non modo docti, & seniores; sed etiam populus Hierosolymitanus, admitterent. Secundo: quia regem terrenum non viderunt, qui ut talis fuerat promissus, & ab Israële, per tot secula ab eodem Deo edocto, expectatus. Doctrina magis displicuit, ut divinæ Legi contraria, quæ majorem ejus partem, ut vanam, & inutilem, neque Deo amplius gratam, prædicabat. Non cognoverunt esse Messiam, quia docebat se Deo æqualem, imo ipsum Deum, quem antea incorporeum, immortalem, impatibilem esse, crediderant: nec putabant esse modum aliquem quo Deus per suam omnipotentiam posset se contrario modo facere: Sicuti nunc putamus esse impossibile, quod Deus fiat panis, aut panis sit Deus, neque per transmutationem, neque per suæ naturæ assumptionem. Tali doctrina erant Judæi à Deo imbuti: post vero corporeus, patibilis, mortalis proponebatur adorandus; duarum naturarum hypostatica unione non adhuc excogitata, neque à Christo neque ab Apostolis aliquando prædicta: quæ quamvis prædicaretur, minime admitteretur à Judæis, utpote impossibilis, & suo divino dogmati contraria. Quod si tunc edoceret Deum esse corporeum, minime credi deberet: Quid si se corporeum; esse Deum, affirmaret? Certe perinde se habet asserere Deum esse corporeum, ac corporeum aliquod esse Deum. Nisi quis tunc mysteria Christiana theologica didicisset, & inter hæc duo discrimen excogitasset. Ideo tandem non crediderunt, quia XIII. *Deut.* nemo credibilis erat quamtumvis fecisset miracula, & prodigia, qui Deum sub specie humana, vel sub ejus individuo, vel alterius speciei, adorandum suaderet: cum non nisi in puro spiritu adorari voluerit; non in alicujus creaturæ imagine, multo minus, substantia.

Item.

Num. III.

Quod Mosis miracula cum aliis comparari non possunt.

SEd regerit Doctissimus Vir: quod fecit miracula, Mosis excellentiora, in suæ divinitatis confirmationem. Quæstionem de facto, non disputabo. Sed respondeo: quod quamvis fecisset, eum recipere non tenebantur ob rationes supra allatas, quas frustra repeterem. Etenim Moses se servum Dei omni, & summa cum humilitate, populo præstitit: Soli Deo, non sibi, & Deo gloriam attribuit: non suam misericordiam extollit peccata populo indulgens, sed ad unius Dei misericordiam Israëlem provocabat. In suæ vocationis, & Prophetiæ divinitatem, quæ omnes scimus miracula stupenda edidit: In quibus plurima concurrebant, quæ eum ab omnipotente mundi creatore Legatum esse attestabantur. Primo totius naturæ quasi directorem se præbuit; & ostendit: & quæ effecit miracula hoc præstantissimum habuere, quod non aliquo oppido, non intra privatos parietes, coram aliquibus facta fuere, qui aliis enarrare ad libitum, & secundum suam credulitatem vellent. Sed primum coram toto Ægypto & Israële: postea pariter in mari rubro, & in deserto, omnibus videntibus, & audientibus, ut recte, & piè dixerit Doctissimus Vir, adeo patenter, ut non posset populus Dei existentiam, & Mosis divinam Prophetiam, amplius in dubium vocare: maxime vestrum Messiam quem in dubium vocarunt.

Dixi quod se totius naturæ arbitrum ostendit: sed quod maius est, divinitatem ad libitum suum quando opus erat, è cœlo ad se advocabat, cum Domino facie ad faciem sermonem instituens: toto populo vidente: hoc est in cœlo quodammodo potestatem habuisse. *Referuntur Mosis miracula.* Aërem ira valide commovit, ut brevi noctis tempore afflans aquas maris divideret, itinere Israëli per siccam concesso: Tonitrua, turbines, grandines, nunquam antea similes visas, mirabiliter excitavit: tenebras per tres continuos dies aëri indidit, ut solis lumine prorsus impedito, earum crassitie, homines locum mutare nequissent: solaribus radiis Israële interim fruente: nec potest excogitari major in aërem potestas. Sed quid prodigii in aquis non fecit? Eas in toto Ægypto in sanguinem convertit: in mari rubro, ut transitus Israëli securus concederetur, aquæ immensitatem divisit: & nativa fluiditate impedita, solida perstitit donec totus populus transiisset: quæ iterum subito liquata miserum fuit Pharaoni, & exercitui sepulchrum. Aqua ex rupe ad sui imperium adeo copiosa effluxit, ut numerosissimo populo satisfaceret. An hoc non est in aquam summam potestatem exercere? Columna ignis in suæ prophetiæ, & populi utilitatem, eum præcedebat: ne hoc etiam elementum divinæ Legis promulgationi non inserviret: quod etiam in Synai totum montem conflagrans, terribiliter apparuit. Terra ad Mosis vocem immundissima animantia, & ex omni genere serpentium, & insectorum fœdam colluviem, ad mensam usque Pharaonis, immisit: omnibus Ægyptiis ea misera lue vexatis. Et in deserto, ut Mosi adversantes vivos deglutiret, os contra suæ naturæ statutum aperuit: subitoque siccum amygdalæ ardoris virgultum fecit florescere. Sic Moses servus Dei omnibus elementis coram toto numeroso populo imperabat. Sed his, & majoribus omissis, alia præstantissima circumstantia consideranda venit, quam Doctissimus Vir miror, quod non adverteret, potius oppositum prætendere videatur: videlicet quod Mosis miracula fere omnia fuere permanentia, & quæ per longissimum tempus durabant. Aquæ quæ ex rupe effluxerant siccum desertum irriguum reddidere, populumque qua ibat insequebantur. Manna per quadraginta annos

 singulis

singulis diebus, præter Sabbata, descendens perseveravit: & ejus incorrupta portio vase servata, & in sancta sanctorum reposita per circiter nongentos annos perduravit, usque ad primi templi devastationem. Columna nubis toto deserti tempore super tabernaculum apparuit, ad cujus motum, populus etiam dimovebatur. Nec transfiguratio defecit Mosi, cujus facies lucis radios emittebat: non coram uno vel altero; sed coram toto populo, ejus splendorem non sustinente, nisi velo faciem obtegeret: hocque non per horulam, sed toto tempore quo Israël desertum peragrabatur. Oportet etiam quæ post Mosis obitum in ejus Prophetiæ confirmationem à succedentibus Prophetis edebantur, referre, ut Legis, & legislatoris divinitas amplius innotescat. Sacrum Urim & Tumim oraculum à Legis promulgatione, ad Salomonis templi ruinam, in Israële perseveravit: Sicuti & per aquas amaras dubii adulterii mirabilis probatio. & ex Euangelio, quod una die singulis annis Angelus descendebat, ut probaticæ piscinæ aquas promoveret, unique ægroto illuc intranti, illico salus restitueretur: quod si hoc fuit, ut fertur, à templi Salomonis constructione abs dubio incepit. Videat igitur Doctissimus Vir, An per Mosem edita miracula, & postea in ejus Prophetiæ divinitatem comprobandam, effecta, fuerint transeuntia? an cum eorum duratione alia comparari possint? Muri Hierico ad tubarum strepitum, & Arcæ circumductione corruere: Jordanus sicuti mare rubrum fuit divisus, & utrimque stitit, donec arca Domini, & Sacerdotes sicco pede transivissent: Sol in medio cœlo ad Josue vocem cursum suum intermisit; ut nulla dies ita magna antea vel postea fuerit observata. Elias mortuum suscitavit, & in cælum vivus à Deo assumptus. Elisei precibus puer resurrexit: verum est quod Deus à Propheta rogatus hæc fecit: sicuti ejus cadaver, quod hominem jam diu juxta se sepultum ad vitam restituit; ipse quidem, nec alter sua virtute facere non posset: ut etiam legitur: quod Pater Jesum ex mortuis suscitavit. Omittamus cætera omnia miracula quæ Deus per tot continua secula per Prophetas, ut Legis Mosis divinitas assereretur, præstitit: sed solum notetur, quod hæc omnia coram toto populo effecta fuere: ut de iis non amplius dubitare liceret. Quod si Christus jam ex mortuis suscitatus toti Israëlis cætui publice dixisset: Audi Israël, ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: & nunc de majore captivitate peccati, quem tu sacrilegus occidisti; Abs dubio totus Israël credidisset usque in præsentem diem, nec dubitationi locus relinqueretur. Verum tamen Populus talibus publicis portentis, & miraculis assuetus, pro suæ Legis veritate tuenda, & confirmanda, editis, aliquorum hominum enarrationi fidem adhibere non potuit; quin à Deo, & ab eo lata Lege deficere vereretur. Profecto ego nescio quomodo comparari possit: quod aliqui homines dixerint se vidisse Jesum redivivum in cælum ascendere, cum illa mirabili visione qua totus ille innumerabilis populus, nemine excepto, vocem Domini Dei sui ex monte loquentis audivit?

Accedit Doctissimus Vir ad aliud meæ probationis membrum: nempe incorruptam à patribus traditionem, qui à principio se vidisse, & audivisse testati fuere, & filios hanc veritatem edocuerunt. Quæ traditio ab omni alia maxime differt, quæ de aliquibus ad alios in sua origine fuit, post vero de natione in nationem defertur: in qua possunt homines, ut sæpe fecerunt & nunc faciunt, alios decipere: quod de Patribus erga suos filios credendum non est: præsertim de omnibus Patribus numerosissimi populi, nullo huic veritati aliquando refragante. Fatetur Doctissimus Vir sic fallere sæpe homines consuevisse, non vero taliter in Christianismo contigisse, qui fundamentales rationes habet tota exceptione majores, quibus veram suam fidem esse credat, quas statim proponere accingitur. Et mea saltem sententia satis bonæ sunt, & efficaces, ut Christiani eas amplectantur, & in sua fide roborentur: non vero ut Judæi Christiani fiant, ut supra latius probavi.

Respondetur iis quæ pro Euangelistis & eorum prædicatione Doctissimus Vir in suo scripto, producit.

Proponit primo: quod *non in dissitis regionibus Apostoli Euangelium annuntiabant, sed in iis locis ubi ea acta fuere.* Sed ego regererem, quod in eo loco ubi hæc fuisse narrabantur fidem non præstitere Judæi, siquidem Christum crucifigendum tradidere, & pauci vel nulli ipsi viventi credidere. Post vero etiam paucissimi: & qui fuerint, & cujus indolis, aut conditionis, quis novit? ex infima plebe fuisse aliquos jam constat, cæteri fortasse fuerunt Samaritani, & Idumæi, qui nil præter nomen Judæorum habebant. Postea ex Synago-

gis

gis per totam Græcam & Romanorum ditionem, Paulus, & condiscipuli ab Judæis abjiciebantur, & unus, vel alter infimæ plebis dicitur eam novam doctrinam secutus, toto Israële penitus negante, & quasi nihilum despiciente. Quod vero plures ex Græcis & Romanis crediderint, nil mirum, cum ipsi non, inquam, sanctam doctrinam, ut erat Euangelica, quæ prædicabatur; sed & innumeras fabulas quotidie admiserint, ex quibus tota sua religio semper constabat. Nec aliquid probat, quod dixerint se vidisse, audivisse, & manibus palpasse: Sic prorsus dictum est de miraculis virginis Mariæ, hostiæ sacratæ, atque Papistarum omnium Divorum, quibus non minus fidei præstitum à Christianis, quam Euangelio, & hoc à toto Christianismo plusquam per mille secula (ipsi ab initio fuisse prætendunt) sic credebant vestri avi, proavi, & atavi: & si quis negaret, non esset minus quam perfidus Judæus, saltem hæreticus: cum tamen iis temporibus exactior fuisset jam ordo in miraculis disquirendis, quam Christi, & Apostolorum tempore: tamen non à sola rudi incultaque plebe sanctè credebantur, sed etiam à Christianis Monarchis, Regibus Principibus, & viris doctissimis, qui nec falli credebant, nec alios decipere ex malitia volebant: sed temporis tractu, & mediis nobis abditis, tandem vera fiunt, quæ in suo principio nil veritatis continebant.

Omnes Apostoli non fuerunt idiotæ homines.

Fuerunt idiotæ homines qui Euangelium conscripserunt, ait Doctissimus Vir. Sed ego non omnino idiotas fuisse crederem: cum præter quatuor Euangelia, in quibus nil præter vitam, & mortem, & aliqua moralia continentur: cætera omnia scripta, in quibus præcipua doctrinæ Christianæ edocentur, à Paulo edita fuerint, homine non quidem idiota, & indocto, sed satis sapiente Rabbino, qui, ut ipse ait, discipulus fuit insignis illius magistri Gamalielis, à quo plurima in Misnah circa legalium explicationem doctissima documenta habemus. Neque Lucas, qui & suum Euangelium & actus Apostolorum composuit, erat vir idiota, aut literarum ignarus, sed medicus, fortasse optimus Philosophus, qui Paulum etiam comitabatur. De aliis Apostolis pauca habemus, præter unam vel alteram Epistolam, quæ præcipuè ad bonos mores diriguntur. Non igitur concedendum est ab ignorantibus fuisse Euangelium contextum; sed à sapientibus, & in sacris literis satis instructis. Qui quales fuerint, non oportet examinare, maximè cum præsentes Judæi omnino nesciant, qui fuerint, & an quæ docebant, crediderint, vel non.

Urget Doctissimus Vir, quod *si Apostoli non probi homines essent, neque veritatem profitentes, sed planè mendaces, quid ex hoc turpi mendacio lucrari possent, quos honores, quas divitias? cum potius propter Euangelium, quod prædicabant, infames ab omnibus putarentur summo cum dedecore, egeni erant & paupertatem patienter sustinebant, suis manibus victum quærentes, dira martyria, & mortem libentissime patiebantur: idque discipulos constanter imitari studebant: neque hæc præter expectationem accidebant, cum in suo magistro, quem prædicabant, sufficiens haberent exemplum.*

Horum rationem exactè reddere me non posse, libenter fateor, nec etiam teneor, cum adhuc plura meo tempore contingant, de quibus nullam rationem exhibere queam; quanto minus de rebus, quæ à tot seculis actæ fuerunt; & ab hominum arbitrio totaliter dependebant. Conjecturale est argumentum, ideoque ex conjecturis erit etiam solutio. Quod Apostoli nec famam, nec honorem ex sua prædicatione conquisiverint, dubium est: id tamen certum, quod neque famam, neque honorem amittere poterant; quippe non habebant, cum homines infimæ plebis, & abjectissimæ fortunæ essent, ut constat ex Euangelio, pauperes piscatores, & Paulus coriorum sutor: non enim solent tales proprio decori, & famæ maximè consulere. Præmium erat pauperibus piscatoribus pro divinis habitis omnia tradi, omnia à suis credentibus subjici. Reliquit Petrus trita retia, fracasatam cymbam, stolidos comites: & postea à plurimis præ oraculis ejus verba observabantur. quocumque diverterent Apostoli certissimum hospitium. Propterea non erat parvi pretii transitus ab eo misero statu ad divinarum rerum magisterium: Et quamvis non apud omnes famam, & honorem adquirerent, saltem iis, qui suis verbis auscultabant, in magno pretio habebantur, ut solent omnes, qui nova dogmata introduxere. ut ex Epistolis Pauli satis liquet.

Apostoli nil habebant, quod pro Euangelio perderent, aut famæ, aut temporalium bonorum. Multum potius honoris lucrabantur. Et victum sufficienter consequebantur.

Divitias non adquirebant, quia non nisi inter infimam plebem vagabantur; Sed neque aliquas habebant, quas pro Euangelio enuntiando perderent. Saltem commodum victum ex eadem prædicatione consequebantur, ut ex plurimis epistolarum locis constat: siquidem collectæ ab ecclesiis tunc enascentibus flagitabantur, quas *gratiæ* nomine Paulus appellabat. Atque pro spiritualibus, quæ ipse largiebatur, temporalia petebat, textum sacræ paginæ explicans: *Non obturabis ora bovis triturantis.* Fortasse tales gratiæ non erant valde exiguæ, siquidem, *vendebant omnia, quæ habebant; & imponebant pretium pedibus Apostolorum.* Nonne hoc erat satis honorificum, atque proficuum? Non erant divitiæ, fateor, sed erat, quod sufficeret, ut commode vivere possent. Et quanta, & qualia pro hoc solo fine homines cum mortis imminenti periculo committere solent, quamvis experiantur plurimos pro eisdem capitali pœna punitos? nec omnes alieno periculo emendantur.

Ad Corinthios Ep. 2.

Act. apost.

Quod attinet ad suæ vitæ periculum: nullum timebant, nisi in Judæa, quam properè effugientes, ad Græcos recurrerunt, cæteris in Judæa latentibus, fortasse paucis. A Græcis, postea à Romanis non multum timendum erat, qui in Diis novis, novisque cultibus admittendis non erant nimis scrupulosi: Cum & vitiis, & abominationibus templa erigerent, & sacrificia libaverint. Nec diffiteor quod ex una tabularum Lege prohibebatur novi Dei cultus introductio, absque senatus prævia notitia & permissione. Ideo & fertur, cum Tiberius Christum inter Deos numerari voluisset, Senatus impedivit, quod Pilatus non ei priusquam Cæsari illius notitiam miserit. (Ita facile tunc Dii conficiebantur) Sciebant tamen gentes Apostolos esse Judæos aliumque unicum Deum adorare ex Religionis instituto: & in eo ordine Apostolos habebant: Et Euangelium novam aliquam circa Legem Mosis disceptationem, ejusdemque Judaismi Sectam aliquam putabant. Et cum Judæi ubique permitterentur; possent absque timore inter gentes, ut Judæi, versari, quamvis in Judaismi opinionibus differentes: Sic Christianos Tacitus in suis annalibus *Judæorum Sectam* appellavit. Et si quid Apostoli gentes contra Deorum cultum edocebant, non eæ erant in hoc negotio ita severæ, ut inquisitio Hispanica contra Judæos, & Reformatos. Hoc clarissime patet ex actis Apostolorum: Siquidem Paulus, & discipuli quando à gentilibus in carceres mittebantur, facillimo negotio libertatem obtinebant, quod nullius criminis rei convincerentur: cum totum consisteret in diversis ejusdem Legis opinionibus, & ita aberat periculum, ut aliquando Prætor suppliciter à Paulo veniam deprecaretur, quod eum verberatum in carcere servaverit unica die. At in Judæa ubi evidens erat periculum, cum propter legalium prævaricationem accusatus, à procuratore Romano captus fuisset, coram Festo, & Agrippa omnia de quibus accusabatur negavit, dicens, quod nil contra circumcisionem, aut contra patrias Leges docuerat; sed quia mortuorum resurrectionem prædicabat, & visionem aliquam cælestem se vidisse referebat (cui Pharisæi contra Sadducæos maximè annuebant) & quia peccatorum pænitentiam consulebat: ideo populus eum persequebatur. Cum tamen verum esset non propter hæc populi odium concitasse, sed quia Judæos à circumcisione, & aliis legalibus avertebat, ut ex eisdem Apostolorum actis, & Epistolis abunde dignoscitur. Ecce quomodo pro viribus periculum effugiebant. Præterea non novi in Novo Testamento, quod Apostoli contra Deorum cultum publice concionarentur, asserentes esse falsos Deos & minimè adorandos: hoc quidem nunquam fecere: maxime proselytis, & jam credentibus, quibus jam securè possent hoc secretum absque periculo credere: id quidem latenter fiebat, & maxima cum prudentia, non in foro, non in plateis, non coram Sacerdotibus, & Principibus, à quibus puniri possent. Et qui fratres introducebantur, & secretum revelabant, falsos fratres appellabant. Ideoque quando Paulus in Epheso argentarios urgebat quod divinitas nequit in imagine repræsentari, discipulus captus à populo à Judice excusatus fuit, dicente, quod homo ille nihil peccaverat, siquidem contra templi majestatem minimè fuerat locutus: Ex quo evidenter colligitur, idololatriam gentium nunquam clare & publice palam omnibus reprehendisse, aut ut profanam damnasse. Et erat satis diversum, filium Dei natum, & injustè mortuum, & resurrectum gentibus enuntiare: quippe similibus erant satis assuetæ; quam omnes suos Deos falsos & adoratione indignos asserere. Profecto si aliquando hoc publice fecissent, quamprimum

Non ex prædicatione periculum subibant nisi inter Judæos, ideo eos fugiebant, à quibus aliquando pulsabantur. Semper Judæi habiti fuerunt à gentibus quarum idololatriam non palam execrabantur.

Paulus Legi contradicendi crimine negato à carceribus liberatus.

mum

eum crucifigerentur: Sed nunquam hoc ausi fuerunt tentare: maxime vero posteri ea fide jam animis imbuta, quam sui majores ebiberant. Paulum vero alii cordati despiciebant: alii, ut philosophi Athenienses, irridebant, quia de animarum resurrectione concionabatur, non vero contra Deos; tamen non occidebant, quamtumvis illum Deum ipsis ignotum prædicaret; quia alterum inter tot Deos recipere, non erat inconveniens.

Quod Euangelium sanctissimam inculcabat doctrinam, ego sæpe concessi: omnia siquidem moralia ex Veteri Testamento desumpta fuere: quod si talem doctrinam non prædicarent, quomodo à gentibus audirentur, ut à Deo missi? nisi cum admirabilis sanctimoniæ prætextu. Quod si criminalia consulerent: rebellionem, homicidia, adulteria, latrocinia, vindictas, mutuum odium: præterquam à nemine crederentur, à judicibus, ut criminales cito condignas pœnas luerent, & capite plecterentur: quod ii non quærebant. Et adhuc Mahomet barbarus impostor in toto Alkorano omnes virtutes commendat, & vitia perpetuo damnavit. Certe nil aliud continet, quam præcepta decalogi suo modo ruditer præscripta. Unius Dei adorationem, amorem, & obedientiam: decimas pauperibus singulis annis largiri, judicium finale semper ob oculos habere, & his similia: quæ omnino bona sunt, & sacræ doctrinæ, quamvis barbaris conceptionibus expressa. Sed præcipuè totus est in idololatria detestanda, publicè & in multis Orientis regionibus eam doctrinam hominibus gentilibus, Christianis, & Judæis enuntians. Quod Apostoli nunquam publice fecisse dicuntur, ideo vel semper, vel paulo post eorum mortem in Christianismo usque in præsens perseveravit. Quod propter Euangelium, quod prædicabant, mortem subierint, nil probat: plurimi in Republica capitali pæna damnantur propter id commissum, quod crimen esse secundum suas leges putatur: nec semper sufficeret de factis pœnitere, ut mortem evaderent. Hæc ignoramus, & quam mortem Apostoli obierint naturalem, an violentam, neque Christiani certo sciunt: cum nullam post Euangelium de Apostolorum fine authenticam historiam habuerint. Saltem ego non vidi, præter vagas aliquas historias de vita & morte Apostolorum, mille superstitionibus inspersis, & martyrologia à Papistis jam à multis seculis conficta, in quibus non pauca idololatrica Apostolis tribuunt: in quibus Thomas fertur in India cum cruce ænea plurima prodigia, & stupenda miracula edidisse, tandem ibi martyrio occisus: & post longum tempus crux eadem inventa ad Goam civitatem per Lusitanos deportata à miraculis faciendis nequaquam cessavit. Quis huic & similibus historiis fidem præstabit? Petrus & Paulus Romæ dicuntur à Nerone enecati cum plurimis Christianis, propter incendii crimen eis falso impositum. Tamen Reformati dicunt Petrum nunquam Romæ extitisse, & de Paulo quis novit, ubi quando & quomodo dies suos finiverit.

Quod Euangelium sanctissimam continebat moralem doctrinam.

His conjecturis Doctissimi Viri, conjecturalibus etiam ratiocinationibus, quantum capere potui, satisfeci: fortasse non certæ sunt, ut à me excogitantur, sed alio modo res processit eo seculo, & Christianismi rudimentis, quem ego nunc intelligere minimè queo: Sed non ideo similibus conjecturis convictus debet Israël à divina Lege recedere, aliamque contrariam amplecti; aliumque Deum adorare, quem non cognoverunt Patres nostri.

Oportet recurrere ad traditionem Ecclesiæ, cuius originem novit nemo neque cum certitudine asseri potest.

Nam.

Num. IV.

Contra Ethnicum non oportet disputare.

INsuper aliam considerationem, ut me ad Euangelii fidem suadeat, adducit Doctissimus Vir. Quod si ethnicus Prophetiam Mosis negaverit, eumque Judæis imposuisse sustineret, ut sibi imperium compararet: sagacissimumque fuisse hominem, non vero divinum dixerit: qua ratione possem contrarium convincere, quæ eas, quas Euangelii sequaces possunt producere, efficacia superare valeat? Respondeo, me nulla demonstratione Mosis Prophetiam divinam esse, contra Ethnicum probare posse: quippe id demonstrabile non est. Sicuti si Deum ipsum negaverit, ejus existentiam demonstrative convincere nec possem: quia hoc modo scire est rem per suas causas cognoscere: cum vero divinæ existentiæ nullæ sint causæ, ideo non à priori demonstrabilis est: maxime à posteriori, id est, ab effectibus: Sed cum hos ab æterno fuisse ethnici cum & sine Aristotele suaderentur: imo quod totum universum infinitum est præter quod nil aliud quid sit, quia infinitum esse nullum esse excludit, aliter in linea essendi non esset infinitum: unde colligunt totum universum esse Deum, infinitarum proprietatum principium, quæ in omnium rerum varietate consistunt. Quæro etiam à Doctissimo Viro, qua philosophica, aut metaphysica demonstratione oppositum contra ethnicum concludere posset? Si igitur ethnicus Mosis Prophetiam negaverit, est Atheus, quia non habet aliunde Dei existentiam certissime & indubitanter credat, quamvis ex aliis principiis possit probabiliter conjectari: neque enim sufficit ratio, neque quod aliquis dixerit, de quo eadem fieret inquisitio. Hunc igitur convincere est impossibile, æque ac Dei existentiam, ac Mosis Prophetiam, per quam nobis unice constat esse Deum. Est igitur propria & formalis disputatio Judæi cum solis Christianis, qui Mosis Prophetiæ fidem absolute præstant, & non minus quam nos credunt esse divinam, atque infallibilem. In hoc unanimes sumus, & sola restat disceptatio: an ea quæ in Lege Mosis, & Prophetis revelata fuerunt, sint jam adimpleta, ut in Euangelio refertur? an talis nova revelatio divina sit? Sicuti ab utraque parte de antiqua revelatione conceditur: ex qua solum utrique parti probationem deducere licet, ut Euangelium verum esse ostendatur, quod per utriusque conformitatem demonstrari debet: cum etiam Euangelium ex ea suam veritatem probare velit. Non ergo sic licet disputare: Si quis ethnicus negaret Legem Mosis, non poterit aliqua ratione convinci, quæ etiam pro Euangelio cum eadem vi non posset produci: quia ille neque ad Legem Mosis, neque ad Euangelium solida ratione convinci quit: Sed aliquibus congruentiis, quæ non multi roboris sunt ad humanum intellectum convincendum, maxime ad jam credentis roborandum.

Eodem prorsus argumento poterit uti Mahometanus contra Christianos, & Judæos, & omnes sectas adinvicem hac argumentandi ratione contradici. Quid si illi suum Prophetam exaltantes, & antiquitatem & miracula, & traditionem incorruptam, & multorum populorum receptionem allegaverint? Quæ si negaverimus, ipsi pariter nostra negabunt. Quod si addiderint, quod suus Propheta à minimis principiis, pauper homunculus, in animum suum induxerit, se posse idololatriam in illis regionibus maximè vigentem, in veri, & unici Dei fidem, & spiritualem cultum mutare? idola destruere, & domos orationis construere, in quibus quinquies in die & nocte populi congregarentur ex omnibus nationibus, ad confitendum, & celebrandam Dei existentiam, & purissimam unitatem, atque divinam cum creaturis ineffabilem providentiam. Quod eam suam revelationem vastissimæ regio-

regiones, & numerosissimæ gentes suscepere, suis antiquis cultibus plene derelictis. Quod primo solus, quem Judæi, Christiani, & gentiles continuo persequebantur; his tamen periculis prævaluit; ut Deus ex credentibus tot gentes ipsi concesserit, ut jam non solo verbo, ut inceperat, sed copiosis exercitibus, fortissimos populos ad Dei sui cultum perduceret, eosque ab idololatria recedere cogeret, eamque penitus abominari. Quod totum non post multum tempus à sua revelatione contigit; sed minus quam xxx. annis, ut ipse idem hoc jam perfectum esse videret. Cujus doctrina tota Africa, Asia, & major Europæ pars, Deum non imperfectius, quam per Mosis Legem, adorant. Tot reges, tot principes (quos nos, utpote sapientiores, barbaros appellamus, sed nos etiam illi pariter concipiunt) eundem cultum religiosissime observantes. Quid ad hæc nos dicemus? quod judicia Dei inexscrutabilia nobis sunt, atque ignota: quod scimus ex aliis principiis, eum fuisse barbarum impostorem, quod ex suis scriptis etiam deducere licet. Judæi, quod contra Legem Mosis egit, cum tamen eam ut sui dogmatis fundamentum admiserit. Christiani, quod contra Euangelii veritatem, quamvis id non omnino damnaverit; sed inter Judaismum, & Christianismum media via incesserit: quod non doctrina, sed armis populos subjecit. Pariter dicunt Judæi, quod Christianismus non nisi temporis decursu fuit inter gentes introductus: quod erant pauci & miseri in primis seculis usque ad Constantinum, qui id dogma amplectens sua autoritate, & imperio, Christianismum amplificavit, & in varias regiones introduxit. Postea non nisi temporis tractu per magnam mundi partem creditus fuit. Polonia non nisi post decem secula fidem amplexa, Principe Stephano Goisæ filio ad Christum converso. Dania, & Norvegia millesimo vigesimo secundo anno ad Christum adductis, cum Princeps Robertus, in Normandia baptizatus, Christo nomen dedit: & sic plures aliæ nationes, quas non refero. Sed Mahomet breviori tempore, & per plures regiones suam sectam propagavit, & non à ducentis annis post Alkorani promulgationem, tantus fuit credentium numerus, ut Arabes, & Mauritani totam Hispaniam subjugarent: & parum defuit, quod & Gallias, & totum Christianismum caperent: Sicut postea in Oriente fecerunt, Græcum imperium vastissimasque Christianorum provincias diripientes, & sub suo imperio ad præsens usque tempus subjicientes, Christianismo ingentem patiente diminutionem; & ex Africa, ubi tot ecclesiæ, Episcopi, & sacra concilia fuerant, Christianismo penitus deleto, incolis omnibus ad Mahometicum cultum mutatis. Nec homines doctissimi à principio defuere, qui eandem fidem admiserint, ita ut tota Philosophia, Metaphysica, & Medicina, cæteræque scientiæ naturales ab iis magistris ad Christianos emanaverint, qui tunc temporis in summa barbarie, & ignorantia versabantur. Sufficit unus Averroes, qui si non superavit Aristotelem, & Platonem, saltem æquavit. Avicenna doctissimus medicus, & Philosophus, Avenzoar, Mesues, & alii, quos Scholam Arabem communiter appellamus. Et innumeri alii qui in Fecensi Africana, Cordubensi, & Hispalensi Hispanicis Academiis parum post Mahometi seculum floruere. Nonne istis suppositis asserere possunt, quod si Mahometi revelationem negaverimus, Mosis etiam & Christi negare possunt, cum nullam rationem producere queamus, quæ suæ sectæ confirmationi non inserviat? His omnibus, si bene considerentur, plurimis, quæ Doctissimus Vir pro suo intento contra me adducit, à paritate, satisfecisse puto. Linquamus igitur ethnicos, & Mahometanos, qui nobiscum in nullo conveniunt: & ex iis quæ pariter credimus, an Judæus Euangelium ut verum credere teneatur, amice disputemus: quia nos in Euangelio contenta Mosis revelationi contraria, cum putemus; ea non sic fuisse, ut enarrantur, credimus, nullis in oppositum conjecturis admissis, quæ nobis aliud dictamen insignant.

Ad majorem sui argumenti confirmationem urget Doctissimus Vir. *An ego possem fortiore aliqua ratione Ethnico satisfacere, si assereret Mosem fuisse hominem sagacem, qui miracula confinxit, quibus populum illudebat, ut in eum haberet imperium? vel si omnino Mosem nunquam extitisse contenderet?* Jam supra dixi, quod alicujus præteriti, nec etiam Dei, existentia, ulla ratione demonstrari potest. Ideo argumentum nequit esse cum ethnico, sed Judæi cum Christiano Veteris Testamenti æqua fide ab utroque supposita, sola Euange-

 lii veri-

lii veritate in dubium vocata. Quæ vero ratio in hac linea convincens sit pro Lege Mosis, quæ pro Euangelio Formari nequit, parum infra proponam.

Num. V.

Probatur nostram traditionem esse infallibilem, alteri non comparandam.

ACcedit Doctissimus Vir ad impugnandam rationem, quam præstiteram pro veritate Prophetiæ Mosis quam ego fortissimam putabam: tamen Doctissimus Vir maxime debilem, & inefficacem censet. Traditionem nostram, utpote à Patribus ad filios, & in sua origine veram, infallibilem esse sustinebam: Quippe parentes filios fallere in re adeo extimabili, ut animæ salute, haud credibile est. Regerit Doctissimus Vir; Primum, *quod ego suppono, quod probare tenebar, si cum ethnico rem haberem: quod scilicet ea traditio in sua origine vera fuisset: hoc enim est quod ab ethnico negatur.* Fateor bene argumentari, si ego in iis dumtaxat verbis sisterem, & ultra non progrederer, dicens, quod nostra traditio probatur esse in sua origine vera, quia à principio parentes dixere, quod viderant, & audiverant omnia quæ de Mose in Bibliis enarrantur: & quod ii non mentiti fuere, probavi: quia non est credibile, omnes patres filios decipere voluisse, & inutilibus falsitatibus onerare: quod etiam nunc assero. Concedit Doctissimus Vir, magnam impressionem filiis ingignere parentum educationem: verum addit: teste experientia: quod nil fabulosum est, quod filii indelebili præjudicio non acceperint eorum animis ea traditione fascinatis, altissime imbibita, ut in omnibus falsis sectis liquet à filiis pertinaciter observatis. Pariter Judæorum parentes potuerunt à Mose seducti filios in falsa religione instruere, ut Romani à Numa Pompilio decepti sic filios erudiere. Respondeo, totum id verum esse, quod supponitur: magna tamen cum differentia: quia cæterarum gentium parentes primo ab aliquo impostore decipiuntur, & veram doctrinam esse credentes eandem filiis instillant: quibus postea creditur infallibilis, sicuti & parentes in sua origine putarunt; ut Romanis contigit cum Numa Pompilio, & Arabibus cum Mahometo, isti potuerunt eos primos parentes fefellisse: quia quæ ipsi nec videbant, nec audiebant, facile credidere, sicuti Numa asserens se ea à Nympha Ægeria in nemoris solitudine divinitus prolata, accepisse: & sic de aliis, qui Deum, vel deas se vidisse, & allocutos fuisse testabantur: quod mendacium populi reciperent, crederent, & suos posteros edocerent. Verum Judæorum parentes sic decipi non potuerunt: Siquidem hoc in deserto Synaï fieri oporteret: quippe in terra Kenaam Moses amplius non subsistebat. At in deserto non dicebat Moses, ut Numa Pompilius Romanis, Deus hoc mihi revelavit, ut vobis notum facerem, sed quod ii ipsi per mare sicco pede transiverant, quod vocem Dei audiverant, quod columnam nubis, quæ eos præcedebat singulis diebus, videbant, quod seditiosorum mirabilem punitionem ipsi periclitati fuerunt: quod Manna per quadraginta annos vescebantur. Et quamvis post Legis in monte promulgationem populus Dei vocem propter timorem non audiverit, non omnino audire desivit: quia sæpe Dominus loquebatur, Moses respondebat, & totus populus audiebat. Præterquam prodigia semper in conspectu habuit, ex quibus, & ex præactis, quæ viderat, Mosem divinum legatum esse, dubitare nequibat. Quomodo ergo ut Romani fallerentur & ut cæteræ gentes, quarum parentes nil se vidisse filiis dicebant, sed quod sic ab aliquo receperant, cui fidem dedere? At Judæorum patres, cum quibus tota Lex præsentialiter loquitur, non se à Mose, sed à Deo intuitiva notitia fuisse edoctos, & hac incorrupta traditione filios educarunt, quos non credibile est decipere vo-

re voluisse; nec possent: *Deut. Cap.* IV. *vers.* 3, 4, 9, 11, 12, 33, 36. *Cap.* V. *vers.* 3, 23, 24, 26. *Cap.* VI. *vers.* 20, 21, 22. Qua enim ratione diceret Moses, atque suaderet populo adeo duræ cervicis: *Vos vidistis: Vos audivistis?* An possent falli credentes se Mannam per quadraginta annos singulis diebus è cœlo descendentem comedisse, si hoc falsum esset? Ideo in tota Lege semper additur: *Coram toto populo:* &, *apparuit gloria Domini toto populo vidente:* certe hic non poterat esse fraudis suspicio. An poterit aliqua traditio gloriari, quod talis fuerit in sua origine? Maximè quod aliqui dixerint se vidisse, & aliis enarraverint, quos falsos damnat *Hieremias Cap.* XXIII. *vers.* 17, 18, 22. Sic omnes falsæ sectæ fuerunt in mundum introductæ: quia, ut dicebam, non incredibile est, quod patres ab aliis seducti eodem errore filios imbuant, nec quod aliqui cæteris, qui filii non sunt, propter motiva nobis nunc abdita, imponere voluerint.

Cum hoc recte conceperit Doctissimus Vir, aliam responsionem paravit: dicens, *Verum esse quod non est credibile parentes filios suos, eis exitiosa, quam putant fraude, velle decipere. Sed si quis objiciat: parentes Judæorum duce Mose in fraudem conspirasse, non ut filiis exitium crearent; sed bonum filiorum publicum procurarent: quod nempe considerantes sine legibus nullam posse consistere Rempublicam: ut legibus omnium consensu constitutis reverentiam conciliarent, eas, ut à Deo acceptas, filiis tradiderint, atque ita æternitati consecrare voluerint? Quibus argumentis ejusmodi hominem convincerem?*

Ego responderem: quod nullis, siquidem non oportet ethnicos de Legis divinæ veritate persuadere, & suis spontaneis meditationibus satisfacere. Ideo rem habere debemus cum Christianis, ut sæpe dixi, qui nobiscum in plurimis conveniunt: Quorum religionis nostra divina Lex est unicum fundamentum, quamvis novum ex nova revelatione accepisse dicantur. Nec disputamus, quæ rationes ad credendum, suæ, aut nostræ efficaciores sint; sed an ex Veteri Testamento cui fidem præstant, & præstare per suam religionem tenentur, probari possit hanc esse veram, & cum illa compatibilem? An Deus qui primum dixit, posset sua veritate divina indemni, hæc quæ in Euangelio continentur etiam dixisse? Hic est noster quæstionis status, non alter. Sed ut Doctissimi Viri argumento etiam respondeam, dico. Quod id quod supponit, est de moraliter impossibilibus, & (ut Scholastici) casus metaphysicus in re nunquam valens existere. Quomodo credibile, aut possibile est, omnes parentes, homines & fœminas numerosissimi populi, in unam fraudem convenire, quisvis finis, aut prætextus consideretur? Quod omnes unanimiter vellent suam bonam, aut malam religionem abjurare, & novam constituere ab omnibus, ut divinam prædicandam, quam non esse, omnes evidenter sciebant? nunquam talis hominum conformitas visa fuit in rerum natura.

Præterea parentes non sufficiebat, quod in eamdem fraudem conspirarent: Oportebat etiam filios ad eam concurrere: Quippe non omnes erant parvuli, qui decipi possent; sed ingens juvenum & adolescentium multitudo omnium ætatum, quibus non erat possibile persuadere, quod Deum audiverant, quod columna nubis apparebat super tabernaculum, eosque in itinere præcedebat, quod manna cælitus demissa vescebantur, & similia, in quibus fraudem esse possibilem, nemo assereret. Quam bene eæ fœminæ, & ii juvenes secretum posteritati servarent, & divinum esse constanter dicerent, quod purum figmentum esse sciebant? hoc est impossibile: Quare sic proponenti nil aliud me respondere oporteret. Et ratio mea efficacior Doctissimi Viri propositione evadit: quia, ut fatetur, non credibile est, parentes velle exitiosa, quam sciebant, fraude, filios decipere: & cum prætextus propositus, ejusque executio impossibiles sint, restat mea ratio valide convincens, qua huic traditioni nullam aliam similem esse probabam: cum nulla fuerit in sua origine à parentibus in filios derivata: ideoque omnes à sua origine queunt esse fallibiles, & ab aliquo, vel aliquibus confictæ, præter Judaicam. Quare frequenter in sacra Scriptura Deus populum admonuit, quod ut constanter Legi divinæ obediret, ejus veritatem à parentibus non ab extraneis sciscitaret. *Deut.* XXXII. *vers.* 7. *Memento dierum antiquorum: intellige annos de generatione in generationem: quare à patre, & enuntiabit tibi: à senioribus tuis, & dicent tibi:* Hujusmodi traditio placuit Deo, utpote minimè fallibilis, aut fraudi exposita,

quæ ad antiquos, seu primos usque mittebat, id est, ad primos parentes, qui viderant, & audiverant, qui neque ab aliquo decepti fuerant, nec decipere filios vellent, in quos continuata successione profluxit: de quo cæteræ traditiones gloriari nequeunt; sed levibus congruentiæ rationibus stabiliri. Tanti Deus fecit à patribus, qui oculares testes fuerunt, traditionem, ut ea suam deitatem Israëlitis confirmaverit, sæpissime inculcans, *non adorabis Deos, quos patres tui non cognoverunt*: quasi à suis patribus non fuisse cognitos sufficiens ratio esset, ne adorarentur.

Aliam rationem Doctissimus Vir huic veritati opponit: quod parentes Judæorum sæpe eos decepere, idololatricum cultum eis inculcantes: præsertim in decem tribuum defectione, quæ per aliquot secula duravit, omnibus, sicuti in Judæa à patribus idololatriam ebibentibus, pertinacissimèque conservantibus. Respondeo: Israëlitas tunc temporis eo prorsus modo fuisse deceptos, quo cæteræ nationes nunc decipiuntur, doctrinam recipientes, quam in sua origine parentes non se certo, & evidenter, scivisse dixerint. Seducti fuerunt à Jerobeamo, & aliis pravis hominibus, qui non erant eorum parentes, sed Reges, aut falsi Prophetæ: Legem Dei, cujus certam habebant traditionem, nunquam falsam esse credidere, sed cum ritu idololatrico componere statuerunt, propter humanos, quos intendebant fines: divinam Legem suo modo explicantes, & falsa theologia, vanisque distinctionibus idolorum cultum cum Adonaï fide compati asserentes, dummodo non crederent alium esse Adonai præter unum, quem maxime credere gloriabantur. Ideo dixit Propheta: *quousque uno, & altero pede (cogitatione) claudicatis? vel Adonaï, vel Baal insequimini.* Fecerunt profecto pariter ac Christiani Pontificii, qui suam evidentem idololatriam cum Euangelica doctrina componunt, quamvis ei evidenter contrariam. Credunt quod verum est omnibus Christianis; sed vero falsitatem addidere, vano suæ traditionis prætextu, quæ non de patribus ad filios ortum habuit; sed ab uno, vel altero incepta, & conficta, & ab aliorum credulitate recepta, tandem de una in alteram nationem inter plurimos homines propagata. Inde igitur ea mala Israëli contigere, quod extraneis fidem præstiterint, pariter qui filios edocuerint, quæ leviter crediderant ab aliis seducti; quod si in sua solummodo, quam à parentibus, qui viderant, & audiverant, traditione constantes persisterent, ut nunc facimus, & pii populi semper fecere, similibus fraudibus non fuissent expositi: nec Deos quos patres eorum non cognoverant adorarent; nec leges, quas seniores sui à Deo non receperunt, amplecterentur.

Num. VI.

Quod Lex oralis est divina: contra Christianos Doctores.

ALio laqueo me præpedire conatur Doctissimus Vir, dicens: *Parentes nostros nos etiam Lege orali fefellisse, quam etiam divinam agnoscimus: Cum tamen solidis rationibus Doctores Christiani probaverint esse non à Deo; sed posterioris ævi commentum.* Hoc argumentum non parum valet pro Christianis in sua, quam de nobis improba opinione habent, confirmandis: Sed non contra Judæum, qui credit esse Legem divinam, à Mose ipsi populo Israëlis in deserto traditam, non minus quam scriptam: Ergo parentes fefellere Judæos circa Legem oralem, quia sic videtur, & probatur à Christianis: Negatur consequentia: quia vestris argumentis non obstantibus, divinam esse Legem oralem sustinemus, atque valide probamus quamvis multa contra hanc veritatem excogitata fuerint, quæ ego etiam

etiam in vestris doctoribus & legi, & satis meditatus fui. Fortasse impugnant, quod non satis intellexere: & cum nostri non multum curaverint, de aliis populis satisfaciendis, aut nostris legibus instruendis: non semper nostra exacte intelliguntur: & variis argumentationibus contra nostra dogmata occasionem dedere. Dicam Doctissimo Viro quomodo hanc Legem oralem intelligamus.

Circa Dei cognitionem, & internum cultum, nulla oralis Lex à nobis agnoscitur: quippe Deus clarissimè quomodo erga se, & proximum, homo se habere debeat, edocuit: cætero naturali rationi commisso. Sed cum alia pars Legis, quæ naturalis non est, sed simpliciter divina, utpote à sola Dei voluntate dependens, in plurimis corporeis actibus; atque eorum negatione, consistat: qui saltem in re positiva præcipiuntur, aliquo modo fieri necesse est: aliter Deus daret præceptum, & modus id exequendi esset indifferens, unicuique ad suum placitum exercendus: quod nec divinæ sapientiæ, nec ecclesiæ regimini congruum esset, cujus unica debet esse facies. Præterea si Legem ritualem unicuique ad libitum suo modo facere liceret, intra centum annos diversæ, & sibi contrariæ fuissent religiones, atque voluntariis superstitionibus aditus pateret. Quod Papistis contigit, qui primitivæ ecclesiæ sinceris actibus abutentes, in idololatricas, & stultas superstitiones, paulatim degenerarunt. Fuit igitur conveniens, quod Deus tot externos ritus populo præcipiens, eorum executionis modum præscriberet: & quod Moses Legem populo, aut ejus senioribus promulgans, quomodo se gerere deberent in ejus exercitio, vocaliter doceret: qui agendi modus non aliud præceptum constituit, non aliam Legem, sed illius executionis, seu modi agendi explicationem: ut recte fiat, & juxta Dei voluntatem Mosi revelatam: postea per eum toti Israëli participatam. Quis enim dubitare potest, quod in quadraginta annis, quo populus in deserto vagabatur numero adeo ingente, non plurimi casus occurrerent circa ritualium executionem, imo quod nullus casus non acciderit, in tanto tempore, & numeroso populo, pro cujus intelligentia Mosem divinum magistrum non consulerent: cum in ritualibus, tum in judicialibus. Quæ omnia dubia sacer Vates, non nisi juxta Dei voluntatem, dissolveret, ut in plurimis expresse fertur in Sacra pagina: ut de blasphemo, de filiabus Zelopha, de spoliis ab inimicis in bello captis, purificandis, & mille aliis, in quibus Moses non nisi Deo consulto decernere audebat: igitur omnia quæ tunc occurrere dubia circa ritus exequendos, juxta Dei placitum Moses explicuit, & posteris modus agendi tunc præscriptus de generatione in generationem, ut à Deo præceptus semper observatus. Qui postea populo jam per captivitatem disperso à Magistris, ne temporis tractu populus oblivisceretur, vel in diversas superstitiones laberetur, scriptis mandatus fuit, quæ *Misnah* à nobis appellatur.

Hæc veritas, & Legis oralis necessitas, aliquibus exemplis amplius illustrabitur. Jubet Deus circumcisionem: Oportebat ergo dicere quomodo fieri debebat, ut vera esset & ut à Deo præcepta: Mahometani, & plurimæ aliæ gentes circumciduntur, sed post paucum tempus interiore pellicula non simul abscissa, increscit, & totaliter operit, quasi novo præputio renascente. An sic circumcisionem Judæo licet efficere, qui paulo post iterum præputiatus evadat? Ergo Lex oralis quæ nobis utramque pelliculam, & internam, & externam abscindere docet, divina est, & à Mose edocta, ut, ut à Deo recepit, circumcisionem exerceremus. Quod fimbriæ penderent ex quatuor vestis angulis, præceptum divinum est, sed quales debeant esse fimbriæ, quas Ziziot vocamus, Moses non scripsit: & quis dubitat, quod Jesus, ut bonus & perfectus Judæus, etiam gestaverit, non humanæ traditioni, sed Legi obediens, non solum in præcepti substantia, sed in suæ executionis modo. Immaculatas victimas Deus exigebat: & maculatas semper abominabatur, & illicitas fecit: Sed in quo consisterent tales maculæ non omnino expressit: quia oporteret omnes pravas affectiones percurrere, quibus animalia corripi soleut, ut pro sacrificio fuissent inepta: quas omnes per eam traditionem à Mose Judæi habuere: Nec aliud erat principium unde colligerent, cum id ex naturali ratione minime dependeat. Pariter in præceptis negativis, ubi plurima sunt, quæ nisi ex divina traditione dignosci non possent:

 Sunt

Sunt etiam non pauca opera servilia quæ die Sabbati fieri licet, cum circa ægrotos, tum in variis necessitatis casibus; præcipue si ad charitatem pertineant. Sicuti ut puerulo debili, quod circumcisio differatur: & quod in die Sabbati fieri possit, & debeat, si in eum octava dies à nativitate inciderit. Quod in die expiationis, onerata prius medici conscientia, ægrotans nutrimentum capiat; alias abscissionis animæ pæna prohibitum. Profecto si hæc, & plura alia, ut dispensarentur Papam haberemus, non oporteret ad Deum in Synaï præcipientem recurrere. Nec necesse est Legis oralis plura percurrere, dummodo Doctissimus Vir agnoscat, quod nil per eam facimus, aut intelligimus, quam modum exercendi cultum externum, cum necessario aliquo modo fieri debeat. Ideoque Lex oralis, de præceptorum substantia nil adimit, neque ei aliquid addit, potius exactam observantiam Legi conciliat: ita ut nec novam Legem, nec aliud aliquod præceptum constituat. Sic credere oportet, cum talia decreta à Synedrio profluxerint, cui Deus absolute obedire jussit, neque ad dextram, neque ad sinistram deflectere: sed omnibus quæ Judæis dixissent auscultare: dixerunt incorrupta traditione se à Mose sic fuisse edoctos, ergo Dei decreto populus sic credere tenetur. Quod Christus etiam plane sentiebat, cum dixit, eis Judicibus *in omnibus parendum esse, quia in cathedra Mosis sedebant*: id est, quasi si idem Moses loqueretur, quod idem ac si Deus præcipiat. Hoc profecto non intelligebat Christus de littera sacræ paginæ quæ ab omnibus habebatur, & ut divina credebatur, sed de intelligentia præceptorum, & modo, quo effici debebant; ideo dixit, *facite omnia, quæ dixerint vobis*; de factilibus igitur admonebat. Et ille senatus dubia quæ in populo excitabantur, circa Legem, non ex scripta, sed ex traditione à Mose habita dirimebat; quia aliunde non poterat. Cæteraque sepes ad Legem vocamus, ut sapientum statuta, & præcautiones, ne Legis præcepta prævaricentur, credimus, non ut divina præcepta. Veluti Deus jubet pœna abscissionis animæ ne quis cum menstruata congrediatur: Jubent nostri sapientes, ne cum ea comcumbat: ne eam osculetur, aut quod simile faciat, ne forsan ex iis actibus, aliàs à Deo non prohibitis, ad præcepti prævaricationem progrediatur. Eadem providentia pro virtutum moralium observantia, solent cordati homines uti, plurimos actus vitando, ex quibus, in virtutis corruptionem, homo facile laberetur. Quod in his aliquid, vel plurimum superstitionis insertum sit, nec diffitebor: quod etiam in Euangelio legisse memini: in vasculorum purgatione: in exactissima manuum lotione, quas majorum traditiones appellat. Sed hæ traditiones nunquam ut divinæ receptæ fuerunt, aut à Deo commendatæ, sed humanæ, propter aliquos fines, quos fastidiosum foret referre, ab antiquis institutæ. Nil tamen in ipsis, vel contra honestatem, aut bonos mores reperias, aut quod pravam superstitionem redoleat. Plures adinventiones sibi confinxit Papistica ecclesia, quæ contra Dei gloriam & adorationem certo putantur: Si quæ in Baptismate recenseremus, paginam integram scribere non sufficeret: quot in chrismate: quot in aquæ lustralis consecratione: in aræ, in campanæ, in altaris dicatione: hæc certe infinita sunt: tamen deteriora ipsis, & magis superstitiosa Christianis videntur quæ Judæi faciunt, vasa purificando aqua super infusa, & ut panem comedant manus abluere: sed quis tales inconsequentias non irrideat? Hæc sufficiant pro Doctissimo Viro satisfaciendo, quod nec Lege orali, nec sepibus seu institutis humanis ad prævaricationem præcavendam Legis divinæ, parentes Israëlem fefellere, quidquid sui Doctores in oppositum probaverint. Ad paragraphum in ultimo Fol. qui incipit: *Quando vero religio*: Abunde respondisse videor, ideoque libenter abstineo.

Num.

Num. VII.

Probatur certitudo Legis divinæ, & sacri libri Mosis.

QUod attinet ad comparationem, quam Doctissimus Vir agit inter Euangelium, & libros Mosis; vellem responsionem non adhibere, ne modestiæ limites excedere cogar: Dicam tamen aliquid, quia scio Doctissimum Virum id desiderare, & non bene laturum me omnino abstinere.

Oportet ex ipsis Doctoribus Christianis probationem assumere, ex qua Euangelica scripta, cum Vetere Testamento, nullatenus certitudine comparari posse, constare queat. Præter Paganos, qui idololatriam absolute colunt; totum mundum occupant Christiani, Judæi, & Mahometani: qui omnes unanimes fatentur Mosis libros esse divinos, quamvis Mahometici barbare querantur, quod Judæi ex sacris scriptis malitiose Mahomet nomen expunxerint. In cæteris minime dubitant: & sacrum Legis volumen in Synagogis servatum, maximè venerantur: adeo ut si aqua suo tempore agris deficiat, Judæos cogant, ut, nostram leiturgiam secundum mores, recitantes, Legis volumen per campos deferant, quos mirabili cum devotione Mauri insequuntur, credentes statim se aquam è cœlo habituros; tanta cum superstitione librum venerantur. At Christiani nunquam ei divinitatem denegarunt, (præter stultos Manicheos;) cum suæ religionis fundamentum sit. Alkoranus, ut barbarus à Judæis, & Christianis despicitur, & in aliquibus non modo falsus, sed aut ridiculus, aut abominabilis putatur. Euangelium à Mahometanis ut falsum rejicitur; nec tales libros aliquando receperunt, eosque divinos esse perpetuo negant. Judaismus pariter divinos nunquam agnovit, sed Græcorum inventum, aliquorum ex Judæa interventione. Restat ergo liber Mosis in pacifica suæ veritatis & divinitatis possessione, in sententia Christiani, Judæi, & Mahometani; quod idem est ac totius orbis. Non igitur id quod ab duabus hominum partibus in dubium vocatur recte comparandum est cum eo libro, qui ab omnibus, ut verus, & divinus, absque dubio, & disputatione, religiosissimè recipitur: Quia id pro vero constanter habetur, quod à nullis hominum dubitatur, sed omnes unanimes verum esse credunt. Verum Euangelii liber, quamvis à Christianis credatur, ab aliis duabus hominum partibus eam fidem non suit assecutus. Hæc est ratio congruentiæ, non evidenter concludens, sed librorum Mosis dignitatem commendans.

Probatur etiam Veteris Testamenti certitudo: quia à primis parentibus, ad præsentes liber iste non interrupta traditione, ut divinum oraculum, pervenit: non est igitur ratio, quæ talem non esse suadeat: cum parentes, ut supra probavimus, filios decipere voluisse probabile non sit. Sed contra hoc urget Doctissimus Vir: Quod si quis dixerit, librum Mosis fuisse tempore captivitatis Babylonicæ deperditum: postea vero quod Esdras caput Synedrii cum aliis ejusdem Senatus confratribus, ex quibusdam conservatis laciniis, Legis volumen, quod nunc habemus construxit: quibus rationibus oppositum probare possimus? Præsertim cum aliqua ibi reperiantur, quæ sic accidisse, non obscurè significant: ut plurimi nostri seculi non sine mentis acumine, & subtilitate detexere.

Hoc argumentum plurima improbabilia supponeret, quæ examinare opus est. Primum ego quærerem à proponente: An credat ille, quod Esdras originale aliquod habuit perfectum, & purum, ex quo fideliter, quod habemus, scripsit? Quod si ita fuit, non librum conscripsit, sed ex vetere originali exemplar aliquod descripsit. Sed ab interrogante hoc

te hoc plane negaretur ; Sed aliquas lacinias , seu fragmenta Legis Esdram invenisse , ex quibus hunc librum composuit , assereret. Sed quid hoc significare vult ? Quod exstabat liber Mosis , tamen non bene , neque integre compactus : aut characteribus non recte exaratis , sed alicubi deletis : Quod aliqua capita deficiebant , alia extabant ? Sed quis hæc novisse potuit nisi Esdras ipse in suis scriptis revelasset ? Quod non fecit : Ergo hoc ad libitum , & sine fundamento proponeretur. Quod si Esdras ex suo cerebro librum confinxit , vel ex reservatis fragmentis , aut notiis , tot Dei cum Mose , & populo colloquia , tot minutias , & circumstantias mentiri auderet coram integro sapientum , & Prophetarum Senatu ? Quomodo omnes in eandem fraudem convenirent ? Nisi forte Pentateuchum memoria servassent : hoc fateor non esse impossibile ; si quidem video , quod aliqui ex nostris Rabbinis , qui per plurimos annos sacræ literæ studio dediti fuerunt , non solum quinque Mosis libros , sed etiam Misnam , quæ majore volumine continetur , ita memoria servant , ut de verbo ad verbum recitare soleant : pro quo præmia studentibus magistri largiuntur. Quid ergo mirum , quod illi homines , qui oneroso Thalmudis studio tunc carebant , Mosis librum memoria servassent. Sed si aliter fieret , & aliqua , vel pleraque ex proprio cerebro confingerent , neque ipsi inter se convenirent , neque talis liber universim reciperetur à Judæis per varias regiones eo tempore jam dispersis , in quibus principaliores erant , & Sacerdotes ; quos qui ad patriam redierant precati fuere quod Levitas , & Sacerdotes mitterent , qui Templi cultui inservirent ; quibus maxime carebant. Isti igitur quomodo fabulosum , & confictum librum recenter constructum , ut divinum reciperent , & Mosis esse crederent ? Præterquam deperditum fuisse in captivitate , non verisimile est ; cum & Isaiæ , Oseæ , Hieremiæ , & aliorum libri Prophetici servati fuerint , qui non tanti haberi debebant , quanti divinæ Legis scripta : Ergo sicuti illi perfecti permansere , quare ex divina Lege aliquæ dumtaxat laciniæ perseverarent ? Hoc quidem ad libitum assereretur , & sine probabili aliquo fundamento , seu ratiocinio. Insuper liber iste claram , & expressam continet prophetiam de populi , & regni totali eversione , & hac quam patitur captivitate , ac de ejusdem populi duratione ab omnibus gentibus separati per tot secula , cum circumstantiis adeo individualibus , ut rem jam præteritam magis significare videatur , quam futurum rerum eventum. Quem librum seu Legem in eo contentam Danielis clara de ultima Templi eversione , & populi extrema ruina suo statuto tempore , divinum esse prædicat , ad cujus veritatis confirmationem ea omnia dirigebantur , quod neque Ethnicus rationabiliter negare quit , ut in fine præcedentis scripti clare probavi.

Num. VIII.

Quod Euangelii Libri non eandem habent certitudinem.

POssem nunc ab æquilibrio cum Euangelio abstinere , sed in Doctissimi Viri gratiam aliqua etiam proponam excusationis , non impugnationis prætextu. Primum , cum Euangelium pro Judæis primo & principaliter fuerit , quod & quatuor Euangelia , & cætera omnia in novo Testamento contenta , unica lingua Græca fuerint conscripta , valde miramur : Adhuc & Epistola ad Romanos , & ad particularem Romanum , cujus servus ad Paulum effugerat : atque etiam ad Hebræos : ita ut videatur totum Euangelium à Græcis fuisse compactum : quippe nunquam lingua Græca fuit ita vulgaris , Romanis , Gallis , Hispanis , Germanis cæterisque Europæ nationibus , ac Latina. Romanis omnia hæc regna

turc

tunc possidentibus: neque Asiaticis Judæis plusquam Hebræa, quæ adhuc nostro tempore ab Israëlitis in omnibus suæ dispersionis locis, ut vernacula habetur, & semper habita fuit: sed Græca non nisi iis qui Græciæ civitates habitabant. Dubitatur ergo quare omnia sola hac lingua Spiritus Sanctus influxerit, quæ paulo post non nisi à paucis intelligenda erat?

Est etiam notatu dignum, quod ante hæc quatuor Euangelia alia plura fuerint conscripta, ut refert Lucas *Cap. 1. vers 1.* Qui etiam se eam historiam *scribere voluisse*, ait: *Ut sciret certo Theophilus* quidam, *quomodo res ea gesta fuisset, ut ab ocularibus testibus fuerat informatus.* Non ab Spiritus Sancti afflatu ad scribendum commotum fuisse dicit; sed quod ei etiam scribere placuit. Non, ut omnes homines scirent, & ad Deum converterentur; sed ut Theophylus de iis, quæ jam crediderat, amplius informaretur. Non quæ ipse viderat, sed quæ ab aliis audiverat vera esse, scribere animum induxit, Sancti Spiritus, vel Dei revelationis nulla prorsus facta mentione. Contra omnium Prophetarum stylum, qui semper dixerant, *& loquutus est mihi Dominus: Sic ait Dominus, verbum Domini:* præsertim Moses, qui fere in omnibus lineis divini spiritus influxum refert: *& dixit Dominus Mosi: & Dominus mihi dixit:* ne aliquid à se dictum populus crederet, sed omnia Spiritus Sancti afflatu suis mentibus indita cognosceret. Quod nullus ex Apostolis in suis Euangeliis, vel aliis libris, asserere ausus fuit.

Fuerunt quidem plurima, præter quatuor Euangelia, quorum aliqua refert Hieronymus & alii Patres; quæ diversarum hæresum fuere principia: ut ad Ægyptios, ad Hebræos, Thomæ, Bartholomæi, duodecim Apostolorum: Basilidis, Harpocræ, & alia quæ referre foret superfluum, quorum singula suos fautores habuerunt, diversisque contentionibus occasionem dedere. Hæc omnia Euangelia inter se de rei veritate contendentia, temporis tractu, & Conciliorum authoritate rejecta fuere, quatuor dumtaxat in Europa admissis, utpote inter se magis conformibus. Sed non à toto Christianismo explosa fuere, quia à Thoma conscriptum in plurimis Africæ, & Asiæ ecclesiis perseverat, ut unica suæ fidei regula: quod & ego vidi, & Latinè mihi interpretabatur Archiepiscopus, nescio cujus Armeniæ civitatis, qui Romæ Latinitatem didicerat, cum quo per aliquot menses in hac civitate consuetudinem habui, & verè testor me tot errores, superstitiones, & hæretica dogmata ibi legisse, ut valde mirarer Euangelii nomine insigniri. Quod ipse constanter affirmabat esse verbum Dei ab cæteris occidentalibus Christianis nunquam falsificatum. Bone Deus, quam bella cætera alia Euangelia continerent, siquidem à majore parte Christianismi fuere rejecta!

Joannis Euangelium non nisi post multos annos à Christi morte, apparuit. Aliqui Doctores dicunt, quod in monte Pathmos magno cum tonitruum strepitu fuit cælitus demissum. Alii quod in fundamentis Templi Salomonis inventum fuit. Alii quod in palude columna marmorea inclusum. Sed major pars Doctorum sustinet quod Johannes ab Episcopis Asiæ rogatus, contra hæreticos Ebionitas, Euangelium scripsit, qui Christi divinitatem negabant (ut hodie Sociniani) ab aliis tribus Euangelistis non clare assertam (tanta à principio circa Euangelicum dogma fuit controversia).

Præterea in hoc Euangelio aliqua sunt, quæ Apocrypha ab antiquis Patribus censentur: ut de Angelo in horto Christum confortante. De adultera à Judæis coram Christo accusata: quam historiam Eusebius *Lib.* III. *cap.* XXXIX. *Historiæ ecclesiasticæ*, ait: *Papias addidit quandam historiam de muliere adultera à Judæis coram Christo accusata, quæ extat in Euangelio, quod dicitur ad Hebræos:* Non ergo erat in Euangelio Joannis: quod si fuisset, frustra ad apocryphum Euangelium recurreret: nec certam quandam historiam nominaret. Hieronymus *Lib. II. contra peregrinos*, dicit: *Quod hæc historia in plurimis Græcorum, & Latinorum codicibus legebatur:* Ergo non in omnibus. Epiphanius *Lib. II.* asserit de hac historia: Quod *audax aliquis, ex Euangelii ad Hebræos consiStoribus, eam scripsit*, ibique per Tatianum Hæresiarcham compositam fuisse

 opi-

opinatur. Neque aliquis ex Græcis commentatoribus, qui totum Euangelium explicuerunt, huic capiti commentarium fecere. Sic de Probatica piscina Anabaptistæ autumant, qui non infirmis fulcris nituntur, ut eam nunquam extitisse, neque Euangelium de ea locutum, probare possint.

Quod attinet ad Lucam, præter evidentem contradictionem quam circa Christi genealogiam videtur facere Matthæo, aliqua etiam habet, quæ ab antiquis doctoribus non admittuntur. Hilarius *Lib.* X. neque Angelum Jesum in horto consolantem, neque sanguinis sudorem, vera esse concedit: Sic ait; *Certe nec ignorare debemus, quod in plurimis libris Græcis & Latinis nil invenitur de Angelo, nec de sanguinis sudore.* Plura referre possem, in quibus autores primitivæ ecclesiæ circa capita integra Euangelii maxime dubitarunt, & in varias sententias abiere.

Matthæus fertur Hebraico idiomate scripsisse, sed quod eo autographo deperdito Græco sermone postea translatum apparuit ab incerto autore ea lingua donatum. Marcus est istius Euangelii, ut gravissimi Doctores asserunt, absque rerum gestarum ordine, compilator. In cujus præfatione ait Hieronymus, quod *Papias Episcopus Hierosolymitanus hujus Marci mentionem facit*: Quem sacrum fuisse scriptorem confirmavit Clemens Romanus Episcopus. Est certe notatu dignum, hunc magnum Doctorem dixisse: *Euangelistam talibus testimoniis ad suam verificationem indiguisse*: quod Euangelium Pontificii asserunt fuisse à Petro Romæ confirmatum: Cum tamen Reformati negent Petrum aliquando Romæ deguisse.

Epistola ad Hebræos non ab omnibus Paulo tribuitur, sed incerto alicui Autori: sic ex Reformatis præcipui opinantur, contra totius Christianismi receptam opinionem, & antiquam traditionem. Quod idem de Apocalypsi prisci Doctores opinabantur: qui liber, ut refert Eusebius *Lib.* III. Cerintho attribuebatur sub nomine Joannis conscriptus, ut suam sententiam suadere posset, de mille annis Christo in terris regnaturo. Atque etiam Hieronymus ab ecclesiis Græcis, non ita libere hunc librum recipi, expresse fatetur. Quapropter neque Doctissimus Athanasius, neque Concilium Laodicenum Apocalypsim inter Canonicas Scripturas recensent. Tandem nullus liber, nulla fere Apostolorum Epistola, neque Acta Apostolorum absque contentione à primis, & posteris Christianis, accepta fuere: quamtumvis multæ sint solutiones, variis temporibus ab insignibus viris excogitatæ, quibus hæ Euangelii maculæ abluerentur. Nec loquar de querelis quas antiqui Patres Ecclesiæ habuere circa Euangelii textus corruptionem: jam Græca exemplaria, jam Latina infinitis erroribus scatere, deplorantes: quod Latina per Græca, & hæc per Latina explicanda essent, singuli juxta suum placitum asserentes. Hoc certe nostro seculo recentissime confitetur Doctissimus Vir Vossius *de ætate mundi cap.* 11. Ut sacri textus Veteris Testamenti autoritatem diminuat, sic ait: *Nullam autem habuisse curam Deum eorum, qui descripsere Novi Fœderis libros, in quibus tanta est lectionis varietas, ut si quis omnes inter se committeret codices, quot verba totidem pene sit inventurus discrepantias*, &c. Possunt quidem librarii, seu scriptores errores committere in aliquibus dictionibus Sacri textus; sed non qui non tales esse statim cognoscantur, & emendentur ex correctioribus exemplaribus: non qui controvertantur à Doctoribus, aliis sustinentibus, aliis errores esse negantibus. Ideo in volumine, quod in Synagogis servatur, & ad populum legitur, nullus potest error occurrere: non solum propter scribentis maximam curam, sed quia usque ad apices ab aliis examinatur: nec id solum, sed caput quod sequenti die legendum publice est, die præcedenti à Rabbinis exactissime percurritur, si forte in aliquo defecerit, quamvis minimo. Quod si Rabbinus qui publice recitat, lapsu linguæ tantillum deviaverit, videres totum populum quasi facto tumultu, simul clamantem, ut dictionem repetat, & ille pro errore tali argenti summa mul-

ma multatur ; quæ adjudicatur pauperibus. Quod si talia volumina quæ in Synagogis servantur, conferrentur, quotquot sunt in toto orbe terrarum ubi Judæi inhabitant, pura, & omnino conformia, sine aliqua erroris macula invenirentur: neque aliter aliquando inventa fuere. Sed non hoc idem asserit Doctissimus Vossius de Novo Testamento, sed quod, *quot verba tot pene inveniuntur discordantiæ*, de quo Græci, & Latini antiquitus querebantur, singuli suos errores sustinentes.

Has injurias à principio passum fuit Euangelium: Sed majore cum providentia Vetus Testamentum à Deo servatum: Sed non solum à Judæis, sed à gentibus etiam receptum, semper incorruptum, & in summa veneratione habitum, ejus veritate nunquam in dubium revocata; verum quidem est quod cæterorum librorum præter quinque Mosis, certos autores assignare non possumus, si Prophetarum excipias, quorum nominibus inscribuntur. Id tamen nil Veteris Testamenti veritati obest, quippe tota religio consistit in libris Mosis, in cæteris nullum fidei, seu Legis dogma statuitur, neque ante eos libros, minus perfectam Legem habebat Israël, quam post eorum inscriptionem: Nec crediderim Samuelem fuisse imperfectiorem Judæum quam qui postea successere, eo quod tales libros non viderit. Sed Euangelii libri omnes eam religionem constituunt, fidei dogmata instruunt, pro quibus quatuor Euangelia minime sufficerent, præsertim si Paulus non scripsisset, ex quo major pars, vel tota Christiana theologia effluxit, quamvis eam Petrus difficilem, & non nisi cum multa cura legendam putabat. De his ergo, vel de aliqua ejus parte Doctores Ecclesiæ dubitare, ac qui fuerint autores controvertere, & ignorare, multum autoritatis adimit, ne cum libris Mosis comparari debeant, aut possint. Est igitur liber Mosis ita perfectus, & purus, atque ab erroribus alienus, ab ejus conditore per tot secula, variis in nationibus servatus, ut cætera naturalia, quæ Deus non corruptioni exposita creavit; ut cœli, sol, & astra: quæ à sua formatione non majore providentia incorrupta servantur, & subsistunt, quam divinæ Legis libri, qui nunquam aliquam mutationem experti fuerunt.

Cæteris, quæ de Prophetia in Euangelio etiam contenta, sicuti in libris Mosis, à Doctissimo Viro opponuntur; breviter respondeo. Quod cum omnia post Christi mortem diversis temporibus ab Euangelistis fuerint conscripta, nullatenus prophetica esse probari queunt, quippe post res gestas scribere, quod prædicta fuerant, & proportionatam historiam contexere, in qua futura prænuntientur; satis facile est. Ideo nostram disputationem solummodo institueramus; an ea quæ Christus circa Israëlem fecisse legitur in Euangelio, an ea nova religio, an ea fides in Messiam, ut in Deum & hominem, an illud regnum cœleste, fuerit in Vetere Testamento à Deo prænuntiatum, ita ut ille populus teneretur talium fidem habere, eaque expectare, ut postea acta fuere? In summa respondet Doctissimus Vir: quod Deus non voluit quod Israël, ante Messiæ adventum, sciret, quod Lex Mosis erat typica, aut figura alterius futuræ: quod cognosceret regnum Messiæ futurum esse cæleste, potius quod terrenum expectaret, & regem qui eam ab hostibus liberaret: ex quibus Doctissimi Viri conclusionibus infertur, quod nullum ex istis, ad Euangelica dogmata pertinentibus, ex Veteri Testamento possit probari, saltem ut Judæo suadeatur: nisi prius Euangelio fidem præstiterit, & ex ipso credat, Vetus Testamentum non ita intelligendum, ut Deus antiquitus volebat, quod Israël intelligeret: quod ante Christi adventum Israël in sua spe fallebatur, & quod sic placebat Deo ut usque ad Messiam falleretur. Quod vero sublimiora dederit, non probat promissa dedisse; Sed alia diversæ speciei, & naturæ; cum utraque largiri potuisset, siquidem inter se nullam habebant contrarietatem: & cum cœlestia sensibilia non sint, non aliunde suam certitudinem probare poterant, quam ex promissorum clara,

 & aperta

& aperta adimpletione : quæ cum non fuerit , cætera quæ referuntur suspecta fuerunt : præcipuè cum ex Veteri Testamento nullatenus constiterint. Restat igitur liber Mosis ab omnibus sine controversia receptus , nec in toto , neque in aliqua ejus parte deficiens; quidquid nostri seculi ethnici , & scioli Præadamitæ , Athei , Theologi politici , Mosis librorum crisis , impie sed frustra oblatraverint. His omnibus Doctissimus Vir magna cum sapientia , & subtilitate respondet , quæ licet ego admittere nequeam cum ut Judæus , tum ob rationes , quas in hoc scripto produxi ; verum quantum debeo summo opere veneror. Quod si disputationis ardore aliqua forte non ita modeste protulerim ; suam humanitatem deprecor ignoscat. Interim me obsequentissimum habeat. Valeat Doctissimus Vir, mihi in perpetuum colendus.



RES-

RESPONSIO
AD
TERTIUM SCRIPTUM
JUDÆI.

Occasio hujus Disquisitionis.

SCopum, quem in hac disquisitione præfixum sibi habuit Vir Doctissimus clare satis hoc scripto ultimo expressit, & jam in primo scripto oblatis quatuor suis quæstionibus non obscure indicavit: Alius is non est, quam à me requirere præceptum aliquod divinum Lege Mosis expressum, aut prophetiam claram & expressam, quæ verbis propriis, nulla umbra aut figura involutis, omnia illa quæ nos sub Euangelio consentanee Mosis ac Prophetarum vaticiniis impleta dicimus, sub Messia implenda fore enuntiet, & quidem ita clare, ut Israël omne istud jam ante Messiæ adventum ita plene ac perfecte cognitum habere debuerit, perinde atque nunc, postquam complementum suum habet, ex historia Euangelii & doctrina Christiana cognitum est. Huc quatuor in initio propositæ quæstiones totæ tendunt: Idem me præstare, & ejusmodi vaticinia proferre debere Vir Doctissimus in scriptis sequentibus urget. Sane si ea stat Viro Doctissimo sententia, unice ejusmodi præcepta aut prophetias requirere, &, si tales non proferantur, nullis argumentis, quantumvis validis, & quantamcunque persuadendi vim habentibus, cedere, frustra hæc inter nos instituitur disquisitio. Tales quippe prophetias aut præcepta divina in Veteri Fœdere non exstare, ultro confiteor.

Verum ego officii mei esse credidi, ostendere, injuria ejusmodi textus à Christianis flagitari: Sufficere, generatim prædictum Messiæ adventum, ejusque personam ac munus eatenus describi, ut quando venisset, ex iis quæ de ipso prædicta erant, quæque ipse consentanea iis docuisset ac fecisset, dignosci posset: Doctrinam autem ejus non de-

debuisse à prophetis jam olim plene describi, sed ab ipso cum venerit revelari, & miraculis sufficienter confirmari. Utque magis Virum Doctissimum de religionis Christianæ divinitate convincerem, vicissim ab ipso quæsivi, quibus argumentis moti Judæi, Mosen agnoscant prophetam & legislatorem à Deo missum: plenissime persuasus, nulla posse proferri argumenta pro divina Mosis missione, quin iisdem multo fortius ac evidentius divina Jesu Christi missio comprobetur: ut ita luculentam Viro Doctis. Christianæ religionis fundamenta plenius ac planius proponendi, occasionem haberem; si forte ea attentius ad animum revocans gratiæ divinæ ope Messiam, jam diu nimis à populo suo rejectum, agnoscat, & salutem ab ipso per fidem exspectet, & benignitate divina consequatur. Gratias itaque Viro Doctis. habeo, quod ultima hoc sua responsione amplam mihi præbuerit materiam, religionis Christianæ veritatem ac divinitatem contra argutas ipsius exceptiones fortius adstruendi; quo sic constet, nihil ab acutissimi ingenii homine potuisse excogitari contra religionem Christianam, & contra argumenta quibus illius veritas ac divinitas adstruitur, quin facili negotio ita plene dissolvi possit, ut nulla, quę fidem in Christum remorari debeat, supersit difficultas. Ultra quod homo pius & docilis, ac salutis suę amans, nihil jure exigere potest. Itaque ad gloriæ divinæ laudem, distincte & per partes in timore Domini Viri Doct. scriptum expendam.

Unicum autem præmoneo, me à confirmatione religionis Christianæ initium facturum, ac proinde ordinem disputationis hactenus à nobis observatum aliquatenus immutaturum; ita ut primo ostensurus sim, iisdem argumentis, quibus Legis divinitas adstruitur, multo fortius Euangelii divinitatem confirmari; cui disputationi occasionem dedit quæstio mea in primo meo responso Viro Doct. proposita, quæque semper ultimo loco tractata fuit. Non id facio turbandi ordinis studio, sed potius, quia ordinis ratio eam mutationem exigere videtur. Cum enim Viri Doct. quæstiones revera sint objectiones contra religionem Christianam, ordinis ratio omnino requirere videtur, ut prius religio Christianà adstruatur, deinde objectionibus, quæ contra eam per quæstiones instituuntur, occurratur. Idque eo magis, quia ipse Vir Doct. agnoscit, *Quæsito quarto Num. II. pag.* 129. *in hoc totius disputationis nostræ negotium tandem consistere.* Et merito. Solidis enim argumentis semel adstructa religionis Christianæ veritate ac divinitate, eò ipsò omnes Apostolorum interpretationes, quibus Prophetiarum Veteris

teris Testamenti vaticinia Christo adaptarunt, & in Jesu Christo suum habere complementum docuerunt, evidentissime arguuntur non ex proprio cerebro temere esse efficta, uti Judæi credunt, sed à Spiritu Sancto dictata, qui pleniorem sensum, olim sub verborum involucris latentem, Apostolis revelavit. Quo evicto, omnes Viri Doctissimi objectiones, quæstionibus ipsius quatuor comprehensæ, sponte evanescunt, omnesque illius interpretationes Apostolorum interpretationibus oppositæ, spuriæ esse convincuntur. Jure merito ergo ordinem mutasse videor.

In reliquis eundem quem in præcedentibus ordinem servavi. Non semper quidem Viri Doct. vestigiis presse insisto; quoniam nonnunquam occasione ex iis quę tractat arrepta, pro fœcunditate ingenii sui digressiones facit; aliquando quod semel jam dixit, materiæ affinitate invitatus aliquoties repetit. Ego unam eandemque rem semel dixisse contentus singula in proprium locum rejeci, & quæ sparsim eadem de re in scripto Viri Doct. occurrunt, in unum collegi: Quale inter alia est, quod variis in locis de perfectione præceptorum Legis cum Euangelio collatorum disserit, *Quæst.* I. *Num.* 11. & *Quæst* II. *Num.* 11. & *Quæst.* III. *Num.* 1x. ad quæ omnia respondeo in meo scripto *Quæst.* IV. *Cap.* I. ubi ex professo ea materia tractatur. Quare si hic illic quibusdam à Viro Doct. dictis à me non eodem loco aliquid reponatur, non existimandum est ea à me esse prætermissa; verum singula suo loco excussa & refutata deprehendentur.

CAPUT I.

Iesu Christi miracula majora ac illustriora fuisse miraculis Mosis.

UT de religionis Christianæ divinitate Doctissimum Virum convincerem, quæstio mea fuit, quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant Prophetam ac Legislatorem divinum. Vir Doct. tam in secundo suo scripto, quam in hoc tertio, *Quæsito quarto*, *Num.* II. *pag.* 129. *circa finem*, duo quibus persuasi sint Judæi profert argumenta, unum desumtum à continua & non interrupta patrum in filios traditione; alterum à prædictionibus Mosis. Verum in primo argumento inquirendum fuit primo & ante omnia, hujus traditionis fundamentum, seu quibus rationibus moti Judæorum patres, Mosen agnoverint Prophetam & Legislatorem divinum, ut ita porro hanc veritatem per traditionem ad filios propagare possent. Deinde ratio ac modus hujus traditionis, quo Judæi certi esse possint, traditionem, à primis patribus acceptam, fideliter ac sine ulla immutatione per sequentia sæcula in seros posteros esse propagatam, ut illi indubitata fide acquiescere possint. In omnibus hisce ostendi Jesum Christum multis modis superiorem esse Mose; & quoniam Vir Doct. *Capita hujus disquisitionis.*

pri-

his argumentis motus Mosen agnoscit Prophetam à Deo missum, quæsivi, quomodo recusare possit eandem fidem adhibere Jesu Christo? Respondet Vir Doct. quod *sicut propter traditionem parentum Mosen recipiat ut prophetam divinum, propter eandem Jesum Christum recipere non possit.* Verum quoniam primo fundamentum traditionis parentum inquirendum est, deinde ipsius traditionis certitudo, ego, seposita aliquantisper ad hanc Viri Doct. argumentationem responsione, primo inquiram, quibus argumentis Mosis divina missio olim coram populo Israëlis confirmata fuerit, & cum iis ea quibus Christi divina missio confirmata fuit conferam: Deinde traditionis, qua utraque religio propagata est ad nos usque, certitudinem investigabo: qua investigata, ostendam nudam parentum traditionem rationem esse viro cordato & salutis amanti indignam, qua moveatur ad religionem quandam amplectendum aut rejiciendum; sed antequam ea momentum aliquod apud ipsum habere possit, ante omnia fundamentum illius & propagationis certitudinem esse inquirendam: rationem autem dictare, validiora argumenta præferenda esse minus validis; & historiam validioribus confirmatam argumentis evidentius veritatis suæ habere testimonium: Quare si fide recipiatur doctrina, ob ea quæ veritatis ac divinitatis suæ habet testimonia; evitari non posse, siquidem ratione, uti æquum est, nos duci patiamur, quin similiter tanquam divinam recipiamus doctrinam, cujus veritas ac divinitas iisdem testimoniis illustrius ac evidentius demonstratur. Hoc fundamento comparationem instituo inter Mosen & Christum, ac inter Mosis Legem, & Evangelium Iesu Christi: quæ ut tanto melius instituatur, ad ipsos primos utriusque doctrinæ præcones & annuntiatores ascendendum est, & res ab ovo (ut sic dicam) deducenda.

Miracula sunt missionis divinæ argumentum.

Missionis divinæ argumentum indubitatum esse vera miracula, seu opera magna & stupenda, omnem vim creatam excedentia, consentiunt Judæi & Christiani: quia ea à nemine esse possunt, nisi à Deo. Quare ut aliquis tanquam legatus à Deo missus, mandataque divina ad homines perferens, agnoscatur, requiritur, ut operibus admirandis, omnemque vim creatam superantibus, illius legationem tanquam literis fiduciariis Deus confirmet, ac per ea illi tanquam suo legato autoritatem conciliet, simulque homines ad illi fidem præstandam obliget; ita ut, quicunque conspicit ejusmodi opera, quæ non nisi virtute divina existere possunt, ad nutum & jussum hominis alicujus, qui se à Deo missum dicit, & in dictorum ipsius confirmationem, fieri, fidem illi, nisi Deo refractarius esse velit, denegare nequeat. Itaq; ut dijudicemus, utrum Moses an Christus validioribus missionis suæ divinæ argumentis instructus sit, utriusque miracula considerare & inter se conferre oportet.

Miracula Mosis numero cedunt.

Miracula Mosis esse illustria ac magna, Mosisque divinitatem abunde comprobare, nemo Christianus inficias iverit. Verum nec numero, nec excellentia ac magnitudine cum Christi miraculis ullo modo comparari possunt. Mosis miracula Judæi septuaginta sex enumerant; & ut eum numerum exsculpant, admodum sudant & misere se torquent: quædam enim inter ea recensent quæ miracula non sunt, licet specialem quandam Dei providentiam eventum illum direxisse agnoscendum sit; ut quod à filia Pharaonis è flumine ereptus sit; quædam plane conficta, quod mortuus sit super ore Domini, & manibus Dei sepultus: sæpius etiam, ubi unum tantum est miraculum, duo fabricantur: primo enim generale præmittunt miraculum, quod Moses separaverit terram Gosen, in qua erat Israël, nihilominus quando enumerant quatuor plagas, nimirum pestilentiæ, grandinis, tenebrarum, & cædis primogenitorum, in singulis duo considerant miracula: unum quod Ægyptii plaga percussi;

pereuſſ; alterum quod Iſraël ab eâ fuerit immunis: atque ita ex quatuor miraculis octo conficiunt. Idque nullum alium in finem, niſi ut ex numero miraculorum probent Moſen omnibus aliis ante & poſt ipſum Prophetis ſimul junctis ſuperiorem eſſe: quoniam illi omnes ſeptuaginta quatuor tantum edidere miracula. Sed agnoſcamus illum numerum, exinde liquebit, à Moſe & propter Moſen ſpatio centum viginti annorum facta eſſe ſeptuaginta ſex miracula: Et ſi reliquorum adjungamus, eáque omnia propter Legem à Moſe latam, & ad ejus confirmationem facta concedamus, à principio mundi, uſque ad excidium templi primi, id eſt, annis ter mille trecentis & viginti octo, facta fuiſſe miracula centum & quinquaginta.

Miracula J. Christi.

At miraculorum Jeſu Chriſti numerus immenſus eſt, & iniri nequit: tot fuiſſe ſcribit Joannes, in fine Euangelii ſui, ut *ſi omnia ſingulatim conſcriberentur, ne totus mundus quidem libros capere poſſet*: quæ quidem eſt hyperbolica locutio, qualis illa Dei ad Abrahamum, quod ſemen ejus multitudine æquaturum eſſet ſtellas cœli & arenas maris: ſed interim maximam multitudinem, cujus iniri numerus nequeat, deſignat. Unde *Joan.* VII. 31. Judæorum aliqui conſpectis tot Jeſu miraculis dixerunt, *Meſſias cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* Eaque exiguo triennii aut ad ſummum quadriennii ſpatio omnia facta fuerunt.

Et gloriâ. Chriſti miracula ſunt facta per virtutem ipſi continuo inhabitantem, Moſis non.

Et ſicut miracula Chriſti miracula Moſis numero, ita & gloria atque excellentia eadem excedunt. Vir Doct., ut miraculorum Moſis gloriam in immenſum augeat, dicit, juxta communem Judæorum ſententiam, quod ſe *totius naturæ quaſi directorem & arbitrum oſtenderit*; *quod divinitatem ad libitum quando opus erat è cælo ad ſe advocabat, & ſic in cælis quodammodo poteſtatem habuerit*; *ac omnibus elementis imperaverit.* Sed vero, ſi hiſtoriam ſacram attente conſideret Vir Doct. deprehendet, Moſen ſe nihil minus quam naturæ arbitrum oſtendiſſe: Vix ullum enim miraculum feciſſe legitur, niſi præeunte mandato divino, aut precibus ad Deum effuſis; uti hiſtoriam plagarum Ægypti, & miraculorum in deſerto factorum inſpicienti, manifeſtum eſt. Adeo ut miracula fecerit, non per virtutem ſibi inhabitantem, ſed quam precibus per intervalla à Deo obtinuit, aut ad Dei mandatum exeruit. D. Jeſus vero virtutem miracula faciendi perpetuo ſibi inhabitantem habuit, adeo ut, ubicumque & quandocumque vellet, non tantum præſens, ſed & abſens, *Matth.* VIII. 6, 7, *& ſeqq.* *Joan.* IV. 49, 50. *& ſeqq.* ea ediderit. Nec hoc tantum, ſed (quod Moſes non potuit, nec de Moſe uſpiam legitur) eam etiam aliis communicaverit; ut diſcipulis ſuis, *Matth.* X. 8. *Ægrotos ſanate, leproſos purgate, mortuos ſuſcitate, dæmonia ejicite: gratis accepiſtis, gratis date.* Unde & *Luc.* X. 17. diſcipuli reverſi cum gaudio dixerunt, *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo:* Et generatim in ſe credentibus: *Joan.* XIV. 17. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora.* Similiter *Marc.* XVI 17, 18. Eamque poteſtatem ipſis revera eſſe communicatam, Actorum Apoſtolicorum hiſtoria docet; quæ miracula non tantum ab ipſis facta recenſet, ſed &, quod ea ſe facere profeſſi ſint in nomine Chriſti, hoc eſt, poteſtate à Chriſto accepta, & in confirmationem doctrinæ Chriſti. Vide inter alia *Act.* III: 6. ſanationem claudi. *Cap.* IX. 34. Æneæ paralytici. *Cap.* XVI. 18. ejectionem ſpiritus pythonis ex puella.

Cum ipſo Deo Moſes non eſt immediate locutus.

Sed præterea, etiamſi concederetur, quod tamen concedi non poteſt, Moſen omnia

omnia sua miracula virtute sibi inhabitante fecisse, nequaquam tamen cum miraculis Jesu Christi ullatenus comparari possent. Primo enim, quod ait de divinitate, quam Moses ad libitum quando opus erat è cælo ad se advocabat, nullo Scripturæ loco comprobari potest. Dicit Vir Doct. *cum Domino facie ad faciem sermonem instituit.* Verum eo non significatur, quod ipsa divinitas è cælo descenderit, ut cum Mose loqueretur. Nam ex historia Mosis liquet, non ipsum Deum, sed angelum nomine Dei cum Mose esse locutum: Nam & angelus, qui nomine Dei populo præfuit, etiam expresse *Dominus* vocatur: Sic *Exod.* XIII. 21. dicitur *Dominus præcessisse castra Israëlis*; & *cap.* XIV. 19. dicitur fuisse *angelus*: *In quo* etiam dicitur *esse nomen Dei*, *cap.* XXIII. 21. Et qui Mosi apparuit in rubo, qui Mosi dicit, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi*, *Exod.* III. 6. qui nomen suum dicit esse, *Ero qui ero*, *vers.* 14. expresse *vers.* 2. vocatur *angelus Domini*. Ex quibus (ne alia jam loca allegem) liquet, totam revelationem Mosi factam ministerio angeli, qui personam Dei repræsentavit, ac proinde perinde ac si Deus ipse esset locutus est. Quod vero dicitur, *non in somniis nec in visione loquar ei, sed ore ad os, & facie ad faciem, sicut homo cum amico suo loquitur*, non significat, ipsum Deum immediate cum Mose locutum; sed quod angelus, qui cum ipso nomine Dei loquebatur, non per visiones ac somnia se ei revelaverit, sed quod distincta ac clara voce ipsum sit allocutus, adeo ut Moses eum loquentem clare sine perturbatione audiverit, & in rebus dubiis ejus oraculum, prout amicus amicum, confidenter consulere potuerit.

Divinitas quæ descendit fuit nubes & ignis.

Sed si porro concederetur Judæis, Deum ipsum immediate cum Mose locutum, ex eo neutiquam sequitur, Mosen ad libitum divinitatem è cælo ad se advocasse. Non enim Vir Doct. dicet, ipsam essentiam divinam, quæ immensa est, neque cælo ac terra contineri potest, è cælo à Mose advocatam. Per divinitatem ergo quam Moses advocavit, prout docet Rabbi Manasse Ben-Israël in fine sui Conciliatoris, intelligunt Judæi, *nubem Domini quæ interdiu, & ignem qui noctu erat super tabernaculum.* Atqui ea non erat ipsa divinitas, sed præsentiæ Dei benevolæ signum visibile, ex quo indubitatò colligebant, Deum ipsis præsto esse & auxiliaturum. Præterea ipse Vir Doct. paulo post contendit miraculum hoc fuisse perpetuum; *columna nubis*, ait, *toto deserti tempore super tabernaculum apparuit.* Si id fuerit perpetuum, quomodo Moses divinitatem, quæ perpetuo insidebat tabernaculo, ad se è cælo ad libitum advocabat? Ne jam dicam, illud præsentiæ divinæ signum primum apparuisse Mose nec advocante, nec ut compareret orante, & procul dubio Mose ne cogitante quidem; sed spontaneo Dei favore, qui nube illa duce populum per mare rubrum & desertum ducere voluit. *Exod.* XIII. 21, 22.

Christus in cælis imperium habet.

Hisce conferamus quæ de Jesu Christo narrat historia Euangelii. Illum in cælos imperium obtinere, adeo manifestum est, ut nulla exceptione obscurari possit. Ascendit in cælum; & in confirmationem supremæ suæ potestatis, inde, juxta promissum suum, decimo post adscensionem suam die ipso Pentecostes festo in Apostolos suos Spiritum Sanctum demisit: qui cum sit ipsius Dei spiritus, manifestum est eum, qui in Spiritum Dei potestatem habet, super omnia evectum Deo proximam dignitatem adeptum. Angeli ipsi ut Domino, etiam dum in terris versaretur, ministrasse leguntur, *Matth* IV. 11. exaltato autem in cælis subjecti esse passim dicuntur, *Phil.* II. 10. *Eph.* I. 20.

Ꝟ. 20, 21. 1 *Pet.* III. 22. Cælum, cum baptizatus esset, ipsi fuit apertum, & Spiritus Sanctus instar columbæ in ipsum descendit, additaque fuit vox è cælo, ***Hic est Filius meus dilectus, in quo complacuit anima mea. Matth.*** III. 16, 17. Cum hisce quæ de Mose dicta sunt nullatenus comparari queunt.

Quod addit Vir Doct. Mosen in omnia elementa miracula edidisse, videamus an in eo nullatenus cum Jesu Christo conferri possit. Miracula Christi adeo fuere universalia, ut vix quicquam in natura excogitari possit, in quod Christus potestatem suam non exercuerit: estque tanta miraculorum Christi varietas, ut unde initium recensendi faciendum sit vix reperiam. Sanavit unico verbo & in instanti omnis generis morbos; cæcis natis visum non tam restituit, quam dedit, mutis loquelam, surdis auditum, claudis gressum; paralyticos sanavit, leprosos mundavit, sedavit tempestatem, inambulavit aquis, pisces in discipulorum retia compulit, alium cum statere in ventre in hamos Petri, ut tributum solveret, panes multiplicavit, dæmonia ejecit, ac tandem mortuos excitavit: adeo ut potestatem suam exseruerit in mare, ventos, pisces, panes, dæmones, morbos, quin & mortem ipsam. *Christi miracula fuere universalia.*

His si addamus signa & miracula in ipsius gratiam à Deo facta, magis ejus supra Mosen excellentia erit conspicua. Conceptus est virtute Spiritus Sancti, & natus ex virgine illibata: Conceptio illius per angelum est annuntiata matri, nativitas per angelum, imo immensam angelorum multitudinem, celebrata: per novæ stellæ apparitionem Magis in oriente indicata: Ipsi post baptismum ex aquis ascendenti cælum est apertum: Spiritus in eum descendit instar columbæ, & vox è cælis audita: ***Hic est filius meus dilectus in quo complacuit anima mea.*** Postea in monte est transfiguratus, eademque vox è cælo audita; & quod omnium miraculorum maximum est, & quo Moses destitutus fuit, ex morte à Deo est resuscitatus; quod quam evidenter ejus missionem divinam comprobet, in sequentibus dicetur. Adeo ut vita ejus, cujus nulla pars iis destituta, quasi continua fuerit miraculorum hactenus inauditorum series. Hisce si jam addamus quæ porro ab Apostolis in doctrinæ Christianæ confirmationem facta sunt, magis illius præ Lege elucescet dignitas. Afflatu Spiritus Sancti omnium linguarum cognitionem unico momento adepti, ac de rebus divinis variis linguis locuti sunt: Impositione manuum suarum dona Spiritus Sancti fidelibus communicarunt: morbos quoscunque verbo sanarunt: mortuos excitarunt: Dæmonia ejecerunt: quin & ipsa Petri prætereuntis umbra, ***Act.*** V. 15. & sudaria Pauli ægris imposita, ***Act.*** XIX. 12. quemcumque morbum sanarunt. Quid cum his comparari possunt miracula, quæ recensente Viro Doct. à Mose, & in confirmationem ipsius Legis ab aliis Prophetis facta sunt? *Miracula in ejus gratiam facta.*

Addit Vir Doct. contra meam assertionem, miracula Mosis fuisse permanentia, seu effectus eorum fuisse permanentes. Equidem nullius miraculi Mosaici effectum fuisse permanens, ego non affirmaverim: Verum generatim loquendo id de miraculis Mosis dici potest: Quoniam ferme omnia, paucis tantum exceptis, cito transierunt, nec diuturnos & permanentes, qui longo post tempore in hominum oculos incurrerent, reliquerunt effectus. Hujusmodi cum pauca admodum recenseat Vir Doct. satis fatetur reliqua, hoc est, pene omnia Mosis miracula, in ipsa operatione miraculosa transiisse, nullo relicto sui vestigio vel monumento, nisi quod in hominum memoria conservaretur. *Miracula Christi habuere effectus permanentes, Mosis vagi.*

At miracula D. Jesu ferme omnia eorumque effecta fuere permanentia. A morbis liberati sani, cæci videntes, claudi ambulantes, è quibus dæmones fuere ejecti absque morbis, & mente sibi constante, viventes conspecti sunt ab hominibus, è mortuis resuscitati inter homines versati sunt. Et hac ratione omnia ferme Christi miracula considerando permanentes eorum deprehendentur effectus.

Facta sunt coram omnibus.

Sed aliud est, in quo Vir Doct. miracula Mosis præferenda putat, quod omnia illa *facta sint coram toto Ægypto, & postea in deserto coram toto Israële, omnibus videntibus & audientibus.* Verum D. Jesus hac in parte Mose inferior non est. Verum quidem est, totus populus nunquam fuit congregatus ut omnes simul nemine excepto miracula Jesu conspicerent, neque id fieri potuit: Attamen D. Jesus per vicos & urbes, in Synagogis & plateis, Hierosolymis & in templo, & in ipsa festorum frequentiâ coram ingente hominum multitudine, omnibus, tam inimicis quam amicis, inspectantibus, miracula sua edidit, adeo ut nemo de eorum veritate ambigere potuerit. Imo ait Vir Doct. *paulo post, eo in loco ubi hac gesta narrabantur fidem non præstitere Judæi.* Sed aliud est credere miracula esse facta: aliud, credere illum à quo miracula facta sunt à Deo esse missum & Messiam. Posterius non crediderunt Judæi; non quia opera illa quæ in Euangelio narrantur à Jesu facta negabant; sed quia iis se persuaderi non sunt passi, ut Jesum crederent esse Messiam: Sicut Vir Doct. etiam passim hoc suo scripto contendit, *etiamsi hac miracula facta essent, tamen non debuisse nec potuisse Judæos Jesum agnoscere esse Meßiam.*

Ratio cur Apostoli, etiam factis miraculis, à Judæis male sint mulctati.

Alibi, nempe Num. VI. *ad Quæst.* II. ait Vir Doct. *Verisimile esse, talia non egisse Apostolos, siquidem pugnis & verberibus eos frequenter ex synagogis Judæi abjiciebant: Cum tamen rex Pharao Mosen ita rigorose tractare non ausus fuerit, quamvis ab eo totum regnum desolatum atque eversum periclitatus esset.* Sed vero, non videtur Vir Doct. meminisse atrocis illius comminationis, quæ refertur Exod. X, 28. *Dixit Pharao ad Mosen; recede à me, & cave ne ultra videas faciem meam; quocunque die apparueris mihi morieris.* Neque postea Moses coram Pharaone comparuit. Præterea, nullum est in historia Mosis indicium, unde liquet Pharaonem divinam Mosis missionem agnovisse: contraria omnia: nam & postquam egressus esset Israël ex Ægypto, & hæreret circa mare rubrum, eum Pharao cum integro exercitu est insecutus, ut populum internecione deleret; & cum transiret mare rubrum eum insecutus est. Quid evidentius indicium requiri potest, unde colligatur, Pharaonem nec missionem Mosis, nec liberationem Israëlis à Deo esse credidisse? Sed porro, alia fuit miraculorum Mosis, alia miraculorum Jesu Christi conditio: Mosis miracula omnia ferè fuere horrida & formidolosa, variæ nim: plagæ, & postea fulgura, tonitrua, & horrenda in peccatores judicia. Miracula vero Jesu Christi omnia mera fuerunt beneficia, liberationes à morbis & infirmitatibus, similiaque: Atqui notum est, beneficiis homines probos ac veritatis & virtutis amantes proprie allici: pœnis vero malos terreri, non ut credant, sed tantum ut ab externo maleficio desistant. Non mirum igitur impium Pharaonem plagis territum ut à maleficio abstinuerit; infideles autem Judæos beneficiis Jesu Christi & Apostolorum non potuisse retineri, ne eos, quos tutò se lædere posse credebant, quibusvis contumeliis & injuriis male mulctarent.

Cur non oportuerit Christum se redivivum ostendere Judæis.

Objicit Vir Doct. *Quod si Christus jam ex mortuis suscitatus toti Israëlis cœtui publice dixisset,*

dixisset, audi Israël, ego sum Dominus, &c. abs dubio totus Israël credidisset usque in præsentem diem, nec dubitationi locus relinqueretur. Resp. 1. Hoc esse Deo rationem ac modum præscribere, quo se hominibus revelare debeat: quod ab omni ratione alienum est. 2. Semper requirit Vir Doct. ejusmodi evidentia documenta, quibus Judæi, etiamsi maxime rebelles ac refractarii, necessario ad fidem converti debuerint. Quo autem jure id exigere potest? Participatio bonorum regni Messiæ est præmium, quo Deus fidem & obsequium ipsum recipientium & ut regem honorantium remunerari vult. Atqui si Deus ita convinceret Judæos, ut nullus dubitationi esset relictus locus, præmium illud impio ac refractario perinde præparatum esset, atque probo ac piâ animi docilitate ipsum recipienti, ac morigero. Sic nullum esset discrimen inter improbum ac probum, utrumque enim Deus perinde hac sua actione converteret. At quando Deus argumenta adhibet, idonea ad convincendum animos pietatis studiosos ac Dei timentes, non vero quæ refractariis ac pertinacibus, etiam invitis, assensum extorqueant, manifestum inter utrosque discrimen facit, & utrorumque arcana in corde latentia detegit ac manifesta reddit.

Si se ostendisset, non sequitur, Judæos fuisse credituros.

Tandem, neutiquam sequitur, etiamsi Iesus Christus se ex morte redivivum coram toto populo ostendisset, quod eum ut Messiam recepturi fuissent. Si hæc sufficiens Viro Doct. videatur revelatio, quæ nullum dubitandi locum relinquat, quomodo idem spondere ausit de aliis Judæis? Miracula Mosis in Ægypto ipsi satis manifesta videntur, ut credat ipsum à Deo missum: verum hæc Ægyptiis non persuaserunt. Deus dixit publice toti cætui Israëlis; *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Hoc Viro Doct. post tres mille annos satis evidens videtur documentum, ut sculptile non adoret, idemque fortasse pro tota sua gente spondere auderet: Et tamen videmus ipsum illum populum, qui miracula illa præsens vidit, qui hæc verba à Deo in monte prolata audivit, statim relicto Deo tam clare & manifeste se ipsis ostentante ad idololatriam descivisse, & vitulum aureum adorasse. Si aliquis ex decem tribubus sub Jerobeamo in Dan & Bethel sacrificantibus similiter dixisset, Si Deus toti cætui Israëlis jam in templo miraculose apparens publice diceret, se eo solum in loco coli velle, abs dubio totus Israël crederet, nec dubitationi locus relinqueretur; quid huic homini respondendum censeret Vir Doct. nisi quod Deus pro sua benignitate hoc tam clare revelaverit, ut nemo pius, nemo cordatus, nemo eam quam debuit docilitatem afferens, possit dubitare: Et tamen ea revelatio, quæ ipsi summâ cum ratione sufficere videtur, totis decem tribubus, tot Israëlitarum myriadibus, non sufficit. Eodem modo & nunc Judæi rejicere potuissent Christum, etiamsi post mortem suam se redivivum coram toto populo ostendisset; quod Vir Doct. credit abunde sufficiens futurum fuisse ad fidem Israëli persuadendum. Negare quidem non potuissent eum resurrexisse, sicuti nec miracula, quæ coram oculis suis fieri viderunt, negare potuerunt: Verum sicuti illis conspectis non fuere permoti ad fidem, sed ea principi dæmoniorum adscripserunt: ita fieri potuisset, ut nec ipsius redivivi apparitio ipsos ad fidem adduxisset. Cui semel constitutum est alicui rei fidem denegare, etiam clarissima & evidentissima in dubium vocabit, neque ullis se rationibus persuaderi patietur: Præsertim si ea ipsi stat sententia, quam Vir Doct. aliquoties in scripto suo inculcat, non licere Judæo fidem adhibere Christo, quantacumque fecerit miracula. Coram talibus frustra Christus redivivus apparuisset: Principes Sacerdotum & Seniores, qui, narrante Matthæo *cap.* XXVIII. 11. &c.

11. *&c.* ex relatu militum audiverant omnia prodigia quæ in resurrectione Christi contigere, certi erant, Christi cadaver è monumento à discipulis furto non esse ablatum; & tamen data pecunia persuaserunt militibus, ut falsum illum rumorem dispergerent.

Is est quæsitus prætextus.

Ita ut hic quæsitus tantum sit prætextus. Si enim revelatio non sit satis clara, quamdiu incredulus aliquis dicere possit, si hoc vel illud fecisset Deus ego credidissem, ubi tandem erit finis? Deus petulantiæ humanæ suis miraculis quotidie inservire deberet: Quod enim tibi satisfacturum dicis, de alio spondere non potes. Ita ut eò tandem redeat Viri Doct. argumentatio: Quod tum solum sufficiens sit revelatio, quando omnes illi credunt. At sic nulla unquam dabitur sufficiens revelatio: semper enim incredulus solidiora quibus ad fidem perducatur requirere potest argumenta, & semper nova ac majora desiderare miracula. Inde tandem sequetur, quod omnis incredulitas pendeat à defectu revelationis, nulla autem à mentis pervicaciâ: Hoc est culpam in Deum conjicere, nisi velit cogere hominum mentes, & nolentibus vim adbibere. Expendenda sunt argumenta æquo pio ac docili animo: Quod si faciat Vir Doct. manifestioribus argumentis Euangelii quam Legis Mosaicæ divinitatem confirmari videbit.

Veritas & certitudo testimonii Apostolorum.

Putat tandem Vir Doct. nullius esse ponderis, quod aliqui homines, duodecim videl. Apostoli, dixerint, se vidisse Jesum redivivum in cælum adscendere. Verum ipse non gravatur testimonio unius Elisæi credere, Eliam vivum in cælum à Deo esse assumtum. Apostoli autem duodecim unanimiter testantur, se Iesum vidisse in cælum ascendentem, non in turbine, ut vix & nonnisi subito id conspici potuerit, sed placide, ita ut ipsum ascendentem perfecte viderint: Et testimonium suum comprobarunt signis & prodigiis admirandis, quæ omnia se in nomine Christi à Iudæis crucifixi, & à Deo Patre resuscitati & in cælis exaltati, & virtute ab ipso accepta, facere constanter professi sunt. Adeo ut unumquodque ab ipsis factum miraculum evidens ascensionis Iesu Christi comprobatio fuerit. Et præsertim missio illa Spiritus Sancti in Apostolos die Pentecostes, juxta promissum Domini, per quem in instanti omnium linguarum cognitione fuere imbuti, variisque linguis locuti.

Hisce omnibus non obstantibus Vir Doct. illicitum credit Iudæis, Iesum agnoscere pro Messia, ob rationes quas hic uno tantum verbo attingit, sed quas alibi fusius proposuit: Ad quas itaque hic nihil reponam; sed singulas suo loco, ubicunque occurrent, plenius expendam.

C. A-

CAPUT II.

Probatur veritas historiæ Novi Testamenti.

HÆc omnia quæ de Iesu Christo diximus eximia sunt, & vere divina: Sed alia jam superest quæstio, an probari possit hæc ita vere contigisse, ac proinde justam esse causam quæ historiæ hæc narranti fidem adhibere suadeat. Ego contendo contra Virum Doct. omnes rationes, quibus historiæ Veteris Testamenti veritas comprobatur, validius concludere pro veritate historiæ Novi Testamenti: nullamque justam proferri posse rationem, qua fides illius suspecta reddatur.

Scriptores N. Test. potuere vera scribere.

Ego ut id adstruerem, hoc argumento usus sum. Si falsa est historia Novi Testamenti, alterutrum erit in causa; vel quod illius scriptores vana credulitate fuerint decepti, & res sibi non exploratas scripserint, aliorum relationi temere credentes: vel quod mundum decipere intendentes ea chartæ commiserint, quæ ipsi confinxerant, quæque falsa esse persuasi erant. At neutrum de iis dici potest. Prius non posse dici, non negat Vir Doctissimus, estque id per se & sua luce manifestum. Restat ergo alterum.

Narrationem suam, si falsa esset, non potuissent confingere.

Hic ego urgeo, discipulos Iesu Christi, etiamsi voluissent fabulam comminisci, non tamen fieri potuisse, ut tam apte inter se cohærentem concinnarent. Historia enim Novi Testamenti per omnia sibi constat. Ipsi vero fuere homines plebeii & idiotæ. Regerit Vir Doct. *Paulum*, à quo plures fuere conscriptæ epistolæ, *non fuisse idiotam.* Fateor: Sed ego respicio scriptores Euangeliorum, quibus historia Iesu Christi continetur, illius præcepta ac promissa recensentur, extra quæ Apostolorum epistolæ nihil ad salutem creditu necessarium continent. Esto Lucas medicus fuerit, nihil singulare habet, quod non & ab aliis sit narratum Euangelistis, nisi forte circumstantiam quandam quæ ad historiæ majorem elucidationem aliquatenus facit. Ipsa etiam Euangelia satis arguunt, ipsorum autores non fuisse homines sapientia & eloquentia humana instructos. Nullo artificio historia est adornata, non accuratus secundum rerum gestarum seriem ordo observatus, non adhibita verborum lenocinia; sed stylus est humilis, narratio simplex, & in ipsa illa simplicitate vis quædam est & energia, quæ lectoris præjudiciis vacui animum mirifice afficit. Scripturarum intelligentia, quæ in scriptis ipsorum elucet, non studio ac labore acquisita fuit, intenti enim fuere ante vocationem suam solummodo operi manuario; sed per Spiritum Sanctum miraculose in ipsis producta, qui latentem prophetiarum sensum ipsis reseravit: Ita ut id ad doctrinæ ipsorum confirmationem faciat. Verum & vitæ ipsorum simplicitas etiam in illa cælesti sapientiâ tralucet. Ita ut nihil hic fictum aut fucatum, sed omnia sincera reperiantur.

Nec sperare, se eam mundo persuasuros.

Addidi: Nec potuisse sperare, se eam toti mundo persuadere posse: quia si mentiti fuissent, consentientibus suffragiis hominum, quibus præsentibus miracula illa facta narrant, mendacii coargui potuissent. Objicit Vir Doct. *Hæc non fuisse credita eo in loco ubi facta narran-*

narrantur. Verum hoc ego constanter nego. Miraculis quidem illis plurimi Judæi non fuere permoti, ut Jesum agnoscerent Messiam, uti paulo ante dixi: sed non negarunt, opera illa à Iesu Christo & Apostolis ejus esse facta. Et siquidem facta non essent, Iudæi, qui crucifixione Christi, & Apostolorum è Synagogis ejectione, manifeste satis odium suum prodebant, eorum falsitatem avidissime coram toto mundo patefecissent. Penes ipsos erat Reip. imperium, Apostoli ipsorum imperio subjecti; indignissime eorum Senatus ferebat, Iesum, ab ipsis condemnatum & Pilato ut crucifigeretur traditum, prædicari resuscitatum & in cælos sublatum. Itaque omni studio mendacium istud coarguissent, & facile, si miracula illa non contigissent, reprimere potuissent.

Discrimen inter ea, & ficta Papistarum miracula.

Quod autem hic Vir Doct. objicit Papistarum illa ficta miracula, quibus non minus fidei præstitum sit à Christianis, quam Euangelio; nihil plane ad rem facit. Quod enim Vir Doct. dicit, *exactiorem fuisse iis temporibus ordinem in miraculis disquirendis, quam Christi & Apostolorum tempore*; plane aliter se habet. Illicitum fuit illo tempore ullam miraculi, quod jactabatur, disquisitionem instituere; & si quis id negasset, *non fuisset minus*, ut Vir Doct. recte ait, *quam perfidus Judæus, saltem hæreticus.* Itaque tum disseminabantur quædam quasi miracula clam & paucis consciis facta: quæ non tantum tuto disseminabantur, sed & quæ examinare quibusque contradicere tutum non erat: eaque Monachorum ac Episcoporum autoritate credulæ plebi persuadebantur: Nasutiores, quibus fraus subolebat, mortis aliorumque suppliciorum metu terrebantur, ne ea inquirerent, aut detecta fraude ea in dubium vocarent. Contraria omnia fuere in Apostolis: Miracula ipsorum sine supplicii metu disseminare non licuit; multo minus, si mendacia fuissent, licuisset: In ea inquirere non modo tutum fuit, sed & Magistratui gratum: quin & ipse Magistratus severam inquisitionem instituit: & si quis fraudem aliquam hic detexisset, gratam primoribus Judæorum navavisset operam, & procul dubio præmium meruisset: Apostolos autem ut vanos miraculorum fictorum jactatores, & populi per mendacia seductores, certum mansisset supplicium. Si itaque cum fabulosis hisce Papistarum miraculis fabulas conferre velit Vir Doct. ne cum iis Apostolorum conferat miracula, sed fabulas Rabbinorum, quæ plenis modiis in Thalmude exhibentur, & quædam adeo futiles, insulsæ ac ridiculæ, ut à sani cerebri hominibus excogitari non posse videantur: Quas tamen misera Iudæorum plebs, Rabbinorum autoritate occæcata, ut certissimas veritates à patribus traditas, recipit. Equidem sæpe miratus sum, Rabbinos ineptissimam illam fabulam de morte Mosis, quod postquam bis angelum Samaëlem repulisset, ipsique cornu gloriæ suæ excussisset, tandem super ore Domini, qui osculando animam ipsi è corpore evulserit, mortuus sit, etiam ex ipsa historia sacra velle confirmare. Verum evenit illis, quod *Grotius in Annot. in Matth. xxi. 43.* prudentissime observat: *Inter pœnas Iudaicæ gentis nulla est nobilior, quam quod post Christum repudiatum non modo Prophetiæ dono omnino sunt privati; ita ut illud ipsum lumen olim & fidus peculiare gentis Hebraicæ ex eo ad Christianos transierit; sed quod & omnis illa scientia Legis, quæ humanis præsidiis comparati poterat, versa est in putidissimas fabulas, quibus scatet Thalmudicus liber: tales certe, ut, qui eis fidem adhibeat, judicandus sit non modo divino spiritu, sed magna etiam parte sensus communis esse destitutus.* Et sane si ulla gens est fabulis dedita, est gens Iudæorum; neque ulla facilius à Rabbinis ac majoribus decipi fabulis potest quam illa; quoniam unicam patrum traditio-

ſionem indubitatum fidei fundamentum credit. Quod & hic Vir Doct. late admodum urget. Ejuſmodi opinione ac præjudicio imbutis quidvis, quantumvis abſonum, ridiculum ac rationi repugnans, perſuaderi poteſt. Unde & fabulæ Judaicæ jam olim in proverbium abierunt.

Sed & in eo errat Vir Doct. quod pauciſſimi ex Judæis Chriſto credidere. Ipſo diē Pentecoſtes Petrus unica oratione tria Judæorum millia ad fidem convertit, *Act.* II. 41. qui numerus quotidie auctus eſt, adeo ut *Act.* XXI. 20. legantur aliquot *myriades ex Judæis* credidiſſe. Dicit Vir Doct. *aliquos ex infima plebe fuiſſe conſtat*, *cæteri fortaſſe fuerunt Samaritani & Idumæi, qui nil præter nomen Judæorum habebant.* Reſpondeo. Fortaſſe fuerunt flos populi, qui in toto populo Judaico pietate ac timore Dei maxime excellebant; neque de eo dubitandum eſt: an vero conditionis lautioris an tenuioris fuerint, parum refert, neque id operæ pretium eſt inquirere. Cum ipſe Dominus à Judæis illius temporis ſit vocatus Samaritanus, nihil mirum ejus ſequaces etiam nunc Samaritanos haberi. Verum ſi Samaritani nihil præter nomen Judæorum habebant, hi certe Samaritani non fuerunt: quoniam *omnes* fuere *Zelatores legis*, *Act.* XXI. 20. & indigniſſime ferebant, gentibus ſalutem prædicari, ſine obſervatione ceremoniarum Legis.

A pluribus Judæorum fuere credita.

Ita quidem probatum eſt, eam fuiſſe Apoſtolorum conditionem, ut comminiſci falſò hiſtoriam Euangelii non potuerint. Sed ſupponamus, tales fuiſſe, ut potuerint; rationes ſunt evidentes, quæ ſuadent ipſos veritatem, de qua, uti nunc oſtendimus, plene perſuaſi erant, ſincere abſque ullo fuco ac fraude ſcripſiſſe. Qui aliquid facit, & quidem magni momenti, id finis alicujus ac boni obtinendi cauſa facit. Nullo enim fine aliquid facere, in ſani cerebri hominem non cadit. At ſi Apoſtoli veritatem ſincere non ſcripſerint ac teſtati ſint, nullus excogitari poteſt finis, quem intenderint: non famam, non honores, non divitias. Sane teſtari rem aliquam à ſe viſam, & ob teſtimonium ejuſmodi quævis ſupplicia ac mortes crudeliſſimas ſuſtinere, &, cum ſola illius abnegatione vitam redimere liceat, nihilominus in teſtimonio ejuſmodi reddendo conſtantem eſſe, mortemque ultro ſubire, invictum ſinceritatis argumentum eſt: Nec video quid majus requiri poſſit.

Apoſtoli voluerunt vera ſcribere.

Argumentum hoc, quod mihi ferme ejuſdem cum demonſtratione evidentiæ eſſe judicatur, *conjecturale* vocat Vir Doct. cujus etiam ſolutionem *ex conjecturis ſe daturum* ait. Reſpondeo; mirum non eſſe, eos, qui à vera facti alicujus cauſa animum & oculos avertunt, per varias conjecturas temere errare, neque ullam reperire poſſe, in quâ ſolide acquieſcant. Cum itaque omnes Viri Doct. conjecturæ ſint fallaces, omnique veriſimilitudine deſtitutæ, quid aliud inde colligere poteſt, niſi (quod res eſt) Apoſtolos de veritate rei quam teſtantur pleniſſime perſuaſos, mortem omniaque adverſa maluiſſe ultro in ſe ſuſcipere, quam veritatis ſibi certiſſime cognitæ teſtimonium non præbere? Verum conjecturas ejus audiamus. Hic autem velim Virum Doct. majorem in recenſendis Apoſtolorum actis ingenuitatem oſtendiſſe; ſi enim hiſtorias, quas ex Novo Teſt. citat, ingenue recenſuiſſet, facile plures ſuarum conjecturarum in auras evanuiſſe deprehendiſſet.

Primo ait, *certum eſſe, Apoſtolos nec famam nec honorem, cum nullum habebant, utpote infima ſortis homines, amittere potuiſſe.* Sane & infimæ ſortis homines honeſti viri famâ, quæ

Potuerunt amittere ob prædicationem ſuam, famam & honores.

quæ gloriosissima est ac pretiosissima, & cui nulla altera comparari potest, gaudere possunt; & misera est religio, quæ famam ex divitiis ac eminentia mundana solummodo æstimat. Addit Vir Doct. in contumeliam Pauli, quod *coriorum fuerit sutor*. Sane Paulum primarium inter Judæos fuisse virum ex historia & Epistolis ejus nimis manifestum est. Ipse autem amore veritatis divinæ omnia quibus fruebatur commoda flocci fecit, & ad eum paupertatis statum redigi maluit, ut vili opificio sibi victum pararet, quam ut veritatis agnitæ propagationem contra conscientiæ dictamen negligeret. Ne jam addam, etsi Paulus ante suam ad fidem Christi conversionem se ad opificium aliquod addiscendum contulisset, nihil inde in opprobrium aut despectum ejus posse concludi. Quoniam (uti doctissimi Viri observant) mos erat doctissimis Iudæorum opificium aliquod discere, unde, ubi res ferret, se sustentarent: alii fuere sutores, alii pistores, alii pelliones. Vide *Grotii annot. in Matth.* XIII. 55. & *Act.* XVIII. 3. ubi id ex Josepho aliisque probat. Sed esto: fuerint omnes vilis conditionis homines: tanto minus sperare potuerunt, annuntiationem suam, si falsa fuisset, apud quemquam fidem inventuram.

Non potuissent sperare rerum divinarum magisteriũ, si falsa dixissent.

Præmium hujus prædicationis, ait Vir Doct. *fuit, ut ipsis pro divinis habitis omnia traderentur, paratum ubique esset hospitium, & haberent rerum divinarum magisterium.* Verum, siquidem falsa annuntiassent, nec miraculis suam doctrinam confirmassent, quo fundamento præmium ejusmodi sperare aut consequi potuissent? Prædicabant Jesum Christum, à Judæorum Synedrio ut blasphemum condemnatum, & malefici instar cruci affixum, esse promissum Messiam, è mortuis suscitatum, & in cælis à dextris Dei sedere. Quomodo, si hoc confinxissent, sibi persuadere potuerint, aliquem adeo in toto mundo fore fatuum, qui isti annuntiationi fidem adhibuisset? quid aliud, nisi omnium execrationem, tanquam mendaces & impostores, aut irrisionem, tanquam stolidi & fatui, experti fuissent? Et quis credat, Judæorum primores, odio intensissimo contra ipsos accensos, numquam fraudem istam, siquidem falso miracula sua jactarent, detecturos fuisse? Itaque loco magisterii fidei & hospitii certi, invenissent infamiam, irrisionem, carceres & supplicium, neque aliud exspectare potuissent.

Sibi non quæsiverunt divitias, nec collectas ab Ecclesiis.

Divitias, pergit Vir Doct. *non acquirebant, quia non nisi inter infimam plebem vagabantur; sed neque aliquas habebant, quas pro Euangelio annuntiando perderent: interim victum ex prædicatione Euangelii habebant, petebant gratia nomine collectas ab Ecclesiis, & fideles prædia sua vendentes pretium apponebant pedibus Apostolorum.* Resp. Non reliquerunt quidem divitias, attamen omnia quæ possidebant, domos, naves, & opificium quo sibi ac familiæ victum parabant. Collectæ, quas Paulus *gratias* vocat, non exigebantur Apostolis, sed pauperibus Hierosolymitanis sublevandis, præsertim tempore famis. 2. *Cor.* VIII. Tantum vero abest, ut sibi Paulus gratias ejusmodi petierit, ut plurimis in locis declaret, se nemini oneri fuisse, sed labore manuum sibi parasse victum, ut Euangelium gratis annuntiaret: Quod adeo manifestum est, ut mirer Virum Doct. hic ita Pauli verba detorsisse. Vide inter alia 1. *Cor.* IX. 14, 15, &c. *Qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc uti ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Et paulo post. *Quæ est ergo merces mea? Ut Euangelium prædicans, sine sumtu ponam Euangelium, ut non abutar potestate mea in Euangelio.* Vide & 2. *ad Corinth. cap.* XI. 7. XII. 13. 1. *Thess.* II. 9.

II. 9. *Act.* xx. 34. Et 2. *Thess.* III. 8, 9.

Sed vero, spectaverint victum, quomodo eum sperare potuissent, quomodo aliquos exspectare discipulos, si falsa annuntiassent? Fortasse novitate prædicationis quidam in initio potuissent allici; sed fraude detecta statim ab omnibus deserti fuissent. Ita semper contigit impostoribus Judæis. Barchochebas se venditavit esse Messiam; habebat prophetam Aquibam, qui multa jactabat miracula: plurimi credulitate vana in initio decepti sunt; sed illis profligatis ac fraude detecta ab omnibus fuere deserti. Et similis omnium impostorum, quos in initio Judæi apertis ulnis avide exceperunt, exitus fuit, etiam nuperi ridiculi Messiæ Sabetha Sevi. Quis nunc illi adhæret? ne unus quidem. Addo præterea, quod victus, quem suppeditabant fideles, pretium condignum non fuit compensandis persecutionibus, suppliciis ac tormentis, quæ sustinebant, & continuo exspectabant. Tolerabant *famem*, *nuditatem*, *angustiam*, *periculum*, *gladium*: *Rom.* VIII. 35. *Esuriebant*, *sitiebant*, *nudi erant*, *colaphis cædebantur*, *spectaculum erant facti mundo*, *& reputati tanquam purgamenta mundi*: 1. *Cor.* IV. 9, 10, 11. *& seqq.* Ipse Paulus *sæpius fuit in carcere*, *quinquies flagellatus*, *ter virgis cæsus*, *semel lapidatus*, & *continuos* sustinuit *labores ac molestias*, 2 *Cor.* XI. Quam hæc habent proportionem cum victu, qui ipsis ab Ecclesiis quidem suppeditabatur, sed quo sæpe ob persecutiones destituebantur, famem ac nuditatem sustinere coacti.

Non, si spectassent, sperare potuissent.

Si *nullum ipsis vitæ periculum metuendum fuit*, *nisi à Judæis*, *non autem à Græcis & Romanis*, ut ait Vir Doct. satis eo Judæorum malignitatem prodit, apud quos hominibus sanctissimam doctrinam inculcantibus, ut paulo post Vir Doct. ait, periculosior fuit commoratio, quam apud gentes verum Deum ignorantes. Verum ignorantia historiæ Virum Doct. in errorem abduxit. Persecutio Christianorum à Judæis quidem cæpit; verum non multo post Ethnici majoribus animis in Christianos insurrexerunt: Apostoli autem non nisi ægre permoveri potuerunt, ut relictis Judæis, à quibus persecutiones sustinebant, se conferrent ad gentes. Sed & cum inter illas Euangelii sermo increbrescere cæpit, duriorem experti sunt sortem. Id testantur Apostolorum epistolæ ad gentes fideles scriptæ, in quibus crebræ occurrunt consolationes, & adhortationes ut persecutiones Euangelii causa fortiter tolerent, quas patiebantur non à Judæis, sed à suis magistratibus & popularibus. Quod inter alia evidenter liquet ex 1. *Epist. ad Thess.* II. 14. *Vos imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei*, *quæ sunt in Judæa in Christo Jesu*; *quia eadem passi estis vos à contribulibus vestris*, *sicut & ipsi à Judæis*, *qui & Dominum occiderunt Jesum.* Non autem, persecutionem sustinentibus Ecclesiis, Apostoli earum ædificatores à persecutione immunes erant. Vide & 2. *Cor.* I. Tum Apostoli Jacobus & Petrus in epistolis suis, quas dirigunt, hic ad *dispersos in Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, *Asia & Bithynia*, ille ad *duodecim tribus dispersas*, multi admodum sunt in consolandis fidelibus contra persecutiones; quas manifestum est non sustinuisse à Judæis, quorum extra Judæam nullum erat imperium, sed à gentibus sub quarum imperio in dispersione vivebant; licet Judæis, pro odio suo in Christum, eas instigantibus id factum esse neutiquam negare velim.

Persecutiones sustinuere gravissimas à Judæis & Ethnicis.

Recepere quidem *Romani aliquoties novos Deos*, non vero cum rejectione Deorum jam olim ab ipsis receptorum: Religio autem Christiana Deos gentium validissime impugnavit. Negat Vir Doct. *Apostolos publice contra gentium idola prædicasse.* Verum hoc

Publice contra gentium idola prædicarunt.

 negans,

negans, simul negare debet, Apostolos publice Euangelium prædicasse: Leguntur autem passim publice prædicasse non tantum in Judæorum synagogis, sed & coram gentibus, & coram Magistratibus constituti intrepide & aperte fidem suam professi sunt. Ipsa Euangelii prædicatio idololatriæ Ethnicæ impugnatio est, & conversio ad fidem Christi abjectio idololatriæ. *Conversi estis ad Deum ab idolis*, inquit Paulus I. *Thess.* I. 9. *ut vivo ac vero Deo serviatis.* Non autem semper illius distincta mentio fit: quoniam scriptoribus sacris in more fuit per compendium tantum concionum Apostolicarum summam tradere: neque operose describere, quod per se notum erat. Interim & data occasione etiam invectivas ipsorum contra idololatriam recensent. *Act.* XIV. 14. *& seqq.* cum Lystrenses conspecto Pauli miraculo, adducto sacerdote Jovis, ipsi & Barnabæ voluerunt sacrificare, ipsi scissis tunicis ajunt; *& nos sumus mortales, vobis similes homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum. Cap.* XVII. Paulus usus laudabili dexteritate Athenienses ducit ad veri Dei cognitionem, & idololatriam ipsorum egregio argumento impugnat. *Act.* XIX. impugnasse idololatriam gentium liquet ex seditione Demetrii contra ipsum concitata. Quod vero scriba civitatis dicit, nihil illos locutos contra Dianam, fecit ut homo politicus, ut seditionem compesceret, quæ semper periculosa est civitati. Sed & omnes Apostolorum epistolæ clamant, idololatriæ nullam cum Euangelio posse esse communionem.

Neque id voluerunt clam haberi.

Vir Doct. quia hoc negare non potest, hic effugium aliquod, sed veritati directè adversum, quodque nunquam probare potest, commentus est; nempe, quod *jam credentibus, quibus securè & sine periculo committi poterat, secretum hoc revelaverint, & & latenter: si qui vero introducebantur fratres, qui secretum id revelabant, falsos fratres appellabant.* Sane hic nobis Vir Doct. describit Apostolos per omnia similes Judæis Hispanis, qui liberos (ipso hoc nobis in sermone referente) instruunt, licere metu inquisitionis Hispanicæ Deum & Legem abjurare, suillam comedere, idololatriam committere: sufficere, si intus & animo sint Judæi, licet factis contrarium testentur. Major fuit in Apostolis pietas, & Dei timor. Persecutiones & afflictiones non horruerunt: flagris cæsi cum gaudio exibant à Senatu, quod digni essent judicati pro nomine Christi ignominiam pati. Quod fideles clam docuerunt, etiam palam professi sunt.

Quinam ipsis vocentur falsi fratres.

Falsos fratres vocat Paulus, non qui revelabant gentibus, idololatriam clam ab Apostolis damnari (uti Vir Doct. ipsis impingit) sed qui gentes cogere volebant ad susceptionem ceremoniarum Legis, & *libertatem nostram quam habemus in Christo explorare*; uti *ad Gal. cap.* II. *ad Philipp. cap.* III. videre est: Quique non zelo pietatis, aut pro Lege Mosis, moti id urgebant; sed tantum ut placerent Judæis; quia nempe videbant persecutiones quotidie magis magisque Christianis à gentibus inferri, Judæos autem ab illis esse immunes, hac ratione eas, tanquam ipsi etiam essent Judæi, studuerunt declinare: uti manifeste Paulus dicit *Gal.* VI. 12. *Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.* Quos & *Phil.* III. 18. vocat *inimicos crucis Christi*, nimirum quidvis facientes, ut crucem Christi effugiant. Hi erant Apostolis falsi fratres, non vero, qui doctrinam Euangelii sincere profitentes persecutioni se & Ecclesiam exponebant. Et sane Vir Doct. hic adeo aperte repugnantia dicit, ut mirer in viro acuti ingenii tantam potuisse locum habere oscitantiam. Dicit *posteros, jam ex fide, quam à majoribus imbiberant, imbutos, idololatria aperte contradixisse.*

xisse. Sane hoc adeo notum est ex scriptis non tantum Christianorum, sed & Ethnicorum, ut id negare tantumdem foret, atque soli lucem denegare. Verum quomodo fieri potuit, ut posteri, neglecto vitæ periculo, imo in certam mortem & immanissimos cruciatus se præcipitando, publice professi fuerint doctrinam, quam Apostoli, primi præcones Euangelii & Ecclesiarum fundatores, ita scrupulose non tantum Ethnicis occultaverant, sed & occultari jusserant, omnesque qui eam revelabant falsos vocarant fratres: Exinde enim non minus certo sibi persuasissent, licere, imo oportere, metu mortis & persecutionum doctrinam hanc occultam habere, neque quisquam periculum mortis pro eâ adire voluisset: perinde uti nunc Iudæi à parentibus edocti faciunt in Hispania. Verum cum contrarium ex scriptis tam Ethnicorum quam Christianorum constet, accusatio illa in Apostolos contorta validissime evertitur. Sed & sibi aperte contradicit: *Apostolorum posteros ait ea fide imbutos contradixisse idololatriæ*: paulo vero post, *quod, quoniam Apostoli nunquam publice id fecerint, in Christianismo vel semper, vel paulo post eorum mortem, perseveraverit idololatria.* Quam hæc sibi invicem repugnantia sunt?

Unum est, quod aliqua cum specie videatur Apostolo Paulo objicere, quod *in Judæorum senatu exclamaverit, se propter resurrectionem mortuorum judicari, atque hac ratione dissensionem quandam inter Pharisæos & Sadducæos de negotio suo concitaverit.* Verum quid hic reprehensione dignum commisit Paulus? An se negavit Christianum? minime. Tantum dixit, se judicari propter resurrectionem mortuorum. Nonne hoc verum erat? An non præcipuum religionis Christianæ, quam Paulus annuntiabat, dogma fuit, Iesum Christum ex morte resurrexisse, omnesque in ipsum credentes & vitam ex præscripto ipsius instituentes, similiter ex morte resuscitandos? De religione ergo Christiana qui judicatur, vere judicatur de resurrectione mortuorum. Nimis autem notus erat Paulus Iudæis, nimisque apertum ipsum esse Christianum, quam ut ipse, etiamsi voluisset, id negare potuisset, aut ipsi id neganti fides à Pharisæis adhibita fuisset. Locutus autem est Paulus in illo Synedrio, non speciatim de Christo, sed de resurrectione mortuorum, ut ostenderet, nullam Pharisæos habere causam Christianam religionem persequendi, quoniam ipsa dogma illud præcipuum, quod Pharisæi contra Sadducæos defendebant, vel maxime promovebat.

De dicto Pauli in Synedrio Judaico.

At coram Festo & Agrippa, inquit Vir Doct. *negavit Paulus, se quicquam contra circumcisionem aut patrias leges docuisse; cum ex Actis & Epistolis ipsius constet, quod Iudæos à circumcisione & aliis legalibus avertebat.* Verum quidem est, Iudæos accusationem hanc, sed falsam & maligne confictam, odio suo contra Paulum prætexuisse: sed ex nullo Actorum Apostolicorum, aut Epistolarum Pauli loco ea comprobari potest: imo omnia contrarium testantur. Solummodo docuit Paulus, hominem nunc non justificari per ceremonias Legis, sed per fidem in Iesum Christum; ideoque ceremonias non imponendas esse gentibus: Quod & ipse Vir Doct. agnoscit, utpote quibus nunquam à Deo datæ fuerunt, sed soli Israeli: non vero ulli Iudæo autor fuit eas contemnendi: quin & ipse Timotheum, utpote ex matre Iudæa natum, circumcidit, *Act.* XVI. 3. & se in templo *purificavit*, *Act.* XXI. 24. Iure ergo coram Festo & Agrippa affirmavit, nihil se contra circumcisionem aut patrias leges docuisse.

Et coram Festo & Rege Agrippa.

In initio cum religio Christiana nondum inter gentes invaluisset, certum est, à Magistratibus Ethnicis accusationes Iudæorum minoris esse æstimatas, & religionem Christianam consi-

Persecutiones graviores sunt excitatæ ab Ethnicis.

consideratam ut peculiare Iudaicæ religionis dogma, cujus assertores sectam peculiarem inter Judæos constituebant, quam ad se nihil pertinere Ethnici credidere. Postea autem cum, multis ex gentibus eam amplectentibus, celebrior esset facta ac magis innotuisset, illius professores durius multo fuerunt excepti, quam Judæi. Prætor à Paulo veniam deprecatus est, non quia verberaverat Christianum, sed civem Romanum, quod juxta leges Romanas illicitum erat; quæ illo tempore respectu Christianorum nondum abrogatæ erant: sed non multo post Christianis privilegium illud fuit ademptum, omnesque sine discrimine, an cives Romani essent nec ne, ad supplicium sunt rapti.

Mort. Apostolorum veritatem prædicationis eorum evincit.

Negat porro Vir Doct. aliquod pro veritate historiæ Euangelicæ posse duci argumentum exinde, *quod Apostoli pro illius prædicatione mortem obierint; quia in Republica plurimi capitali pæna damnantur propter id commissum, quod crimen esse secundum suas leges putatur.* Verum diversa longe illorum & Apostolorum est ratio. Malefici factum suum negant: si convincantur, aut tormentis fateri cogantur, non defendunt, sed damnant, & siquidem vitam redimere possent, illud publice detestarentur, & jure se damnari confitentur. Christiani vero primi prædicationem suam ac doctrinam ultro confitentur, eam ut veram ac divinam propugnant, etsi vita offeratur nequaquam negare cupiunt, sed oblatam liberationem respuentes magno animo, quin & quandoque cum gaudio, mortem ac dirissimos cruciatus sustinent. Sane qui hæc omnia eo modo sustinet pro testimonio rei, quam se oculis suis vidisse testatur, si is alio animo quam sincero & ab omni fuco ac fraude alieno id fecisse dicatur, nullum ullius hominis testimonium ut verax ac sincerum admitti potest.

Apostoli vere pro Euangelio mortem subierunt.

Tandem Apostolorum mortem violentam in dubium vocat Vir Doct. *quia post Euangelium nullam authenticam de morte Apostolorum historiam habeant Christiani, & quæ habetur, multis superstitionibus & fabulis sit referta.* Sed si hoc argumentum valet, ego similiter negare possem, fuisse Antiochum, qui Iudæos gravissime est persecutus, fuisse Machabæos, Herodem, ac tandem Iudæam à Vespasiano in potestatem Romanorum esse redactam, & urbem ac templum à Tito solo æquatum: Quoniam nullam habent Iudæi de hisce authenticam historiam. Multa ex consentientibus historicorum narrationibus probari possunt esse vera, licet à viris spiritu divino afflatis conscripta non sint. Mortis Apostolorum historia non facit proprie ad salutem nostram, sed cognitio vitæ ac mortis Iesu Christi: Ideo necesse non fuit illam à viris divinis conscribi. Solummodo referunt, quomodo & qua occasione Euangelium ob Iudæorum infidelitatem sit translatum ad gentes: ut certi simus id non proprio motu, sed sapienti Dei consilio ac directione factum. Et ibi desinunt. Mors Apostolorum tantum allegatur in argumentum sinceritatis ac candoris Apostolorum, quem in prædicatione sua ostenderint. Fabulas, quibus historia illa à posterioris ævi scriptoribus conspurcata est, facile quis ab ipsa historia separabit, si antiquiores scriptores, Apostolorum ætati proximos, & consentientia ipsorum testimonia, consulat: simplicem mox deprehendet historiam, nullo fabularum fuco deturpatam. Jacobi mors traditur *Act.* XII. Petrum ac Paulum Romæ Neronis jussu fuisse interemtos, adeo constans totius antiquitatis traditio est, ut quo fundamento in dubium vocari possit, ego non videam. Reformati quidem negant, Petrum viginti quinque annis Romæ vixisse; aliqui etiam, putantes quod hac ratione fortius se Papistis opponant, eum Romæ mortuum, imo Romæ unquam fuisse, negant: Doctiores autem diligentius

tius antiquitatis tabulis excussis, id minime in dubium vocant. Sed sive Romæ, sive alibi obierit Petrus, omnes eum pro testimonio Iesu mortem crucis, juxta prædictionem Domini, *Ioan.* xxi. 18, 19. sustinuisse consentiunt.

Atque ita quidem omnibus Viri Doct. conjecturis & exceptionibus ad argumentum meum respondi, prolixius & operosius quam initio destinaveram: Sed quia validissimæ sunt, quæ à viro sagacis & acuti ingenii excogitari potuerunt, distinctius & fusius aliquanto ad singulas respondendum putavi, ut liquido appareat, nihil alicujus momenti adferri posse, quo argumentum meum pro veritate religionis Christianæ convellatur.

CAPUT III.

De Comparatione argumentorum quibus Legis, & quibus Euangelii divinitas comprobatur.

UT argumenti hujus robur Vir Doct. penitius perspiceret, quæsivi an Vir Doct. æqualibus argumentis apud Ethnicos & incredulos Mosis divinam missionem adstruere possit? Et jure id quæsivi. Oportet enim ut Vir Doct. Mosen agnoscens prophetam divinum, argumentis gravibus, quæ vim habent Mosis divinam missionem persuadendi ad fidem istam perductus sit. Si ergo religionis Christianæ veritas adstruatur argumentis solidioribus, omniaque quæ Legis divinitatem suadent argumenta validius concludant pro religione Christiana, rationi consentaneum est, ut qui argumentis illis persuasus Legem agnoscit divinam, iisdem fortius de divinitate Euangelii persuadeatur.

Validioribus argumentis divinitas Euangelii quam Legis adstruitur.

Vir Doct. respondet, *se contra Ethnicum Mosis prophetiam esse divinam, Deique existentiam, demonstrare non posse: quia demonstratio est probatio rei per causam.* Verum ego de demonstratione non quæsivi: Ea enim in rebus fidei locum non habet; sed rationes graves, quæ viro cordato, pio ac veritatis studioso convincendo sufficiunt; licet à pertinaci & contradictiones quærente rejici possint; (quia fides est obsequiosus assensus.) & qualibus argumentis cordatus Iudæus de sua religione non dubitat, etiamsi non sint præcise demonstrativa. Miror autem, Virum Doct. hic tam rotunde fateri, quod Ethnicus *ad legem Mosis solida ratione convinci nequeat, sed aliquibus congruentiis, quæ non multi roboris sunt ad humanum intellectum convincendum.* Inde enim sequitur, legem Mosis penitus esse inefficacem, ut gentes ad verum Deum convertat; & ut gentes ad Dei cognitionem convertantur opus esse medio illustriore ac efficaciore. Quod non leve pro religionis Christianæ divinitate argumentum est, quæ doctrinæ veritate ac argumentorum quibus ea confirmatur efficaciâ totum pene orbem ad unius veri Dei cultum & fidem permovit.

Non hic locum habet demonstratio.

Sed quid Vir Doct. exinde concludit? *Cum Ethnicis, qui nobiscum in nullo conveniunt, non esse disputandum; sed Iudæis tantum esse disputationem cum solis Christianis, qui Mosis prophetiam cum Iudæis agnoscunt esse divinam; & sola restat disputatio, an ea quæ in Lege* Mosis

Non potest Iudæus recusare disputationem cum Ethnico.

Mosis & Prophetis revelata fuerunt sint jam adimpleta, ut in Euangelio refertur? Et an talis nova revelatio divina sit? sicut ab utraque parte de antiqua revelatione conceditur. Sed si hæc argumentandi ratio valeat, ego similiter concludere debeo, Christiano non esse disputandum cum Iudæo. Quia sicut Ethnico non est convenientia cum Iudæo in fide Legi adhibita; ita neque Iudæo convenientia est cum Christiano in fide Euangelio præstita. Et sicut Lex Christiano & Iudæo est communis; ita & recta ratio omnibus, Christiano, Iudæo & Ethnico, communis est. Et eodem jure quo Vir Doct. negat Ethnico quicquam cum Iudæo esse commune, etiam ego negare possum Iudæo quicquam commune esse cum Christiano. Non enim nuda verba, sed eorum sensus genuinus, Lex est. Atqui Christianus contendit, genuinum ac plenum Legis ac Prophetarum sensum juxta ultimam Dei intentionem petendum esse ex Euangelio, ac D. Iesu ipsiusque Apostolis potestatem datam, sensum illum, involutius sub Legis ac Prophetarum verbis latentem, plene ac clare revelandi: Quod Iudæus negat. Et in eo, uti Vir Doct. etiam concedit, tota controversia inter Christianos & Iudæos consistit. Ex Lege ergo etiam & Prophetis Christiani Euangelii divinitatem comprobant; sed non ex sola; verum ejusmodi argumentis, quibus Iudæi suæ Legis divinitatem comprobant: Quæ in præcedentibus fusius retuli. Recte ergo & optime disputatio inde inchoatur, si comparatione instituta inter argumenta quibus Legis & quibus Euangelii divinitas adstruitur, comperiatur validiora esse pro Euangelio quam pro Lege, aut eadem quæ pro Lege concludunt validius concludere pro Euangelio, indeque inferatur, nullam esse causam cur Iudæi, qui illis moti argumentis Legem ut divinam recipiunt, Euangelium respuant. Quo evicto, commodius convenientia inter Legem & Euangelium ostendi potest.

Quæstio est, de robore argumentorum, an sint fortiora pro Lege, an pro Euangelio.

Præterea, hic non agitur, an Iudæus cum Ethnico disputare velit, vel non; sed de argumentis ipsis, quibus Iudæus permotus suam amplectitur & retinet fidem, an in se sint clariora iis, quæ pro religione Christiana afferuntur. Hoc ab Ethnico recte utente ratione sua dijudicari potest: hoc à Iudæo, à Christiano ad examen revocari debet. Nisi credat Vir Doct. eam debere esse hominum de æterno statu negligentiam, ut quisque cæcâ mente amplecti debeat religionem sibi à parentibus traditam. Quæ opinio in Virum Doct. vix cadere potest, quandoquidem tanto animi studio & in suam & in alienas religiones tam acriter inquisivit, uti ex hoc ipsius scripto patet. Rogo, si Ethnicus idololatriæ pertæsus & suæ religioni diffidens adiret Virum Doct. ut ab illo fundamentum fidei Iudaicæ edoceretur, eam amplexurus, si in ea, quod rationi suæ veritatis studiosæ posset satisfacere, reperiret; an cum hujusmodi viro ad proselytismum festinante sermonem habere, argumenta pro Legis divinitate proponere, & dubiis respondere dedignaretur, quia nondum penitus cum eo conveniret? anne igitur recusare posset, argumentis illi persuadere, quod Lex Mosaica fuit θεόπνευστος, quia nondum credidit? Quid hoc aliud esset, quam nolle proselytum facere, quia nondum plane est proselytus? Quid si idem homo diceret, clariora sibi videri argumenta pro revelatione Euangelica, quam Mosaica, nonne itidem respondere, & contrarium argumentis, quantum posset, demonstrare conaretur? Adeo ut quicquid prætexat Vir Doct., etiam cum iis qui de veritate revelationis Mosaicæ dubitant, disputationem prorsus evitare cum ratione ne Iudæus quidem possit.

Us

Discrimen inter propagationem religionis Christianæ & Mahometanæ.

Ut autem argumentum meum à mirabili Euangelii propagatione desumtum Vir Doct. evertat, dicit, *Mahometanos eodem argumento contra Christianos & Judæos uti; quod nempe eorum religionem vastissimæ regiones & numerosissimæ gentes receperint, & quidem intra brevius multo temporis spatium, quam religio Christiana propagata est.* Verum quis hic non videt maximum discrimen? Religio Christiana prædicata est à paucis hominibus, vilibus, abjectis, nulla autoritate, nulla dicendi arte instructis, nulla eruditione claris. Primus illius autor ac fundator cruci tanquam blasphemus & seditiosus erat affixus. Doctrina seu religio ipsa omnes alias, ut falsas, damnabat, & per nullam earum salutem obtineri posse urgebat. Præcepta proponebat carni ingrata, molesta, ac dura, sui ipsius abnegationem, crucifixionem carnis & concupiscentiarum, fidem in crucifixum ut Dominum cæli ac terræ: Promissa continebat & hominibus incredibilia, ut resuscitationem ex morte: & quæ percipi non poterant; nempe non hujus vitæ bona, aut fælicitatem in hoc mundo, aut aliqua carni grata; verum post hanc vitam demum obtinenda, & spiritualia, quibus caro neutiquam afficitur. Et quod magis est, prædicebat crucem & afflictiones in mundo, omnesque suos professores quibusvis persecutionibus & cruentissimæ morti quotidie exponebat.

Qualis sit religio Christiana.

Et quomodo propagata.

Et tamen hæc religio ita à paucis hominibus prædicata, non artificioso sed simplici admodum docendi modo, sine ullis armis, ulla vi aut coactione, brevi temporis spatio per omnem fere orbem est propagata, omnisque generis homines, tam sublimes quam abjectos, tam doctos quam indoctos, ad sui fidem traxit, adeo ut desertis patriis religionibus, in quibus nati ac educati erant, hanc amplexi sint, non tantum nulla spe commodi mundani allecti, sed nec gravissimorum tormentorum ac mortis metu deterriti; adeo ut plurimi, ne eam abjurarent, mortem alacri animo subierint. Profecto mirabilis illa Euangelii vis nulli alii causæ adscribi potest, quam miraculis ac prodigiis, quibus de veritate annuntiationis Apostolicæ homines plene fuere convicti. Ut enim ad ejusmodi doctrinam à talibus hominibus, & eo quo dictum est modo prædicatam, amplectendam mundus permoveatur absque miraculis, moraliter impossibile est. Ideoque conclusi, ex mirabili illa Euangelii propagatione veritatem miraculorum, quæ in ejus confirmationem facta narrantur, validissime comprobari: ita quidem, ut si quis miracula illa facta neget, eo ipso majus miraculum statuere debeat: Quoniam majus foret miraculum, totum mundum, aut saltem magnam mundi partem, ad fidem Christianam absque miraculis sola Apostolorum prædicatione esse perductam, quam ipsa illa miracula quæ facta narrantur.

Quomodo Mahometana propagata.

Vir Doct. Videns hoc indissolubile esse argumentum, neque simile pro veritate miraculorum Mosis posse adduci, nihil ad hoc respondet: solummodo objicit, *Mahometanos idem Christianis pro suo Alkorano posse objicere.* Sed tanta inter Mahometicæ & Christianæ religionis propagationem est dissimilitudo, ut vix in animum inducere possim Virum Doct. hoc serio & ex animo, sed disputandi tantum gratia, dicere. Non enim miraculorum patratione & simplice Alcorani annuntiatione, comitante miraculorum testimonio, à paucis hominibus inermibus prædicatâ obtinuit religio Mahometis; sed vi ac armis, uti ipsi gloriantur, ab hominibus prædonibus, quos sibi in societatem adscivit Mahometh, propagata. Fundator illius non fuit crucifixus; sed militiæ dux ac bellicosus: non prædixit suis crucem; sed vi ac armis subjugavit gentes, ut iis domi-

 netur,

netur, earumque divitiis fruatur. Doctrina non fuit adversa carni: licet enim varia contineat præcepta sanctitatis, quod necesse fuit ne homines, quibus aliquis sensus virtutis vel religionis relictus erat, à se alienaret; tamen, ut ad se multitudinem alliceret, varia etiam carni blandientia concessit; quale inter alia est indultum polygamiæ, quod concedat sectatoribus suis tot ducere uxores, quot quisque commode alere possit. Promissa non sunt carni ingrata, sed illius desideria excitantia, nimirum de epulis & mulierum gregibus unicuique assignandis ad voluptates venereas. Talem religionem armis late propagari, & gentibus per arma subactis imponi, atque ita inter multos dispergi, non mirum. Verum quid hoc commune habet cum modo quo religio Christi sancta & carni adversa per paucos homines viles & abjectos sola miraculorum efficacia, cum doctrinæ sanctitate conjuncta, propagata est?

Plurimi fuere Christiani, etiam ante Constantinum.

Sed objicit Vir Doct. *quod in primis seculis ante Constantinum pauci tantum & miseri fuerint Christiani: Constantinum autem dogma id amplectentem Christianismum sua autoritate & imperio amplificasse, & in varias regiones introduxisse.* Fuisse Christianos primis seculis miseros in terra, fateor: Quotidie enim ad tormenta, supplicia ac mortem rapti fuere. Paucos vero fuisse miror quo fundamento Vir Doct. asserat, cum contrarium clamet tota antiquitas, & scripta non tantum Christianorum, sed & Ethnicorum. Paulus de se testatur, quod ipse solus ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum propagaverit Euangelium Christi. Tertullianus in Apologetico suo ita loquitur ad gentes: *Vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum*; *nullamque esse* ait *gentem quantamcunque, unius tamen loci & suis finibus contentam, sive Mauros, sive Marcomannos, sive ipsos Parthos*, quæ numero Christianis possit conferri. Et ad Scapulam præsidem Carthaginensem: *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fæminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda à te ferentibus se tibi?* Cyprianus ad Demetrianum ait, *nimium & copiosum esse populum Christianum.* Qui tamen ambo diu ante Constantinum vixerunt: gentibus autem, si falsum fuisset, id objicere neutiquam potuissent, aut fuissent ausi. Et ne forte hæc, utpote à Christianis prolata, minoris apud Virum Doct. sint autoritatis, age videamus locum ex epistola Plinii ad Imperatorem Trajanum, in qua consulit Imperatorem, qua ratione cum Christianis sit procedendum. *Visa est mihi*, inquit, *res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis illius contagio pervagata est.* Quid expressius, & quidem ab homine Ethnico, dici potest? Qui etiam addit, *prope desolata fuisse templa, & sacra solemnia diu fuisse intermissa, & rarissimos victimarum inventos esse emtores.* Sed soli lucem fænerarer, si id operosius adstruere contenderem.

Post Constantinum non eadem fuit Christianorum pietas, qua ante.

Jam itaque ante Constantini imperium, in mediis cruciatibus & suppliciis, Christiana religio se per omnes regiones, & cujusvis ætatis, sexus, & ordinis homines diffuderat: Licet negandum non sit, rerum imperio tempore Constantini ad Christianos delato etiam multos non sincere, sed commodorum terrenorum spe Christo nomen

dedisse:

dedisse: quo tempore etiam Christianismus multum à priore puritate defecit, Episcopis de quæstionibus subtilibus, & potissimum de summis sedibus acriter inter se contendentibus, plebe in partes divisa, & pietate passim exulante aut proterve conculcata. Quæ causa videtur, quod Deus primo Gothorum aliarumque gentium septentrionalium, deinde Mahomethanorum immissione Christianorum impietatem punire ac coërcere voluerit. Ita videmus argumentum meum ne levissime quidem à Viro Doct. convelli, sed plane manere inconcussum.

CAPUT. IV.

Collatio traditionis Judaicæ cum Christiana.

Controversia inter Judæos & Christianos.

UT tanto magis Virum Doct. adstringerem, quæsivi, an illum possit excogitare argumentum, quo Legis suæ divinitatem adstruat, quod non multo illustrius Evangelii divinitatem evincat? Vir Doct. ut argumentum hoc, quo se pressum sentit, declinet, dicit, hunc non esse quæstionis nostræ statum, sed illum solummodo, *an ex Vet. Test. cui Judæi fidem præstant, & præstare per suam religionem tenentur, probari possit, Evangelii doctrinam esse veram, & cum illo compatibilem? An Deus, qui primum dixit, possit sua veritate divina indemni hæc quæ in Evangelio dicuntur, etiam dixisse?* Non nego hanc esse capitalem inter Judæos ac Christianos controversiam. Sed quæritur de modo probandi. Nullam esse inter Vetus & Novum Testamentum repugnantiam Christiani contendunt. Quæritur autem de genuino Vet. Test. sensu. Christiani contendunt Deum, sicuti Mosi legem dedit, & Prophetis sua vaticinia revelavit; ita & primo per J. Christum, deinde per ipsius Apostolos novam mundo dedisse revelationem, priore multo perfectiorem, & in qua sensum Legis & Prophetarum, involutius antea & obscurius expressum, perspicue plene & clare secundum ultimam suam intentionem enarravit.

Quo ordine sit tractanda.

Prima ergo ordine ac præcipua quæstio est, an J. Christus ejusque Apostoli missi sint à Deo, & potestatem habuerint sensum Legis & Prophetarum mysticum aperiendi, in quo Vir Doct. concedit, tandem totum nostrum negotium consistere. Unde autem argumentatio ad id probandum procedere debeat, inter nos dissentimus. Vir Doct. urget, probationem illam desumi debere ex sola Lege, quia *illa unicum sit religionis Christianæ fundamentum.* Verum valde in eo errat. Est quidem Lex etiam religionis Christianæ fundamentum, si eam accipias cum pleniore illius explicatione per Christum & Apostolos: Verum si literam tantum Legis respicias, non est præcipuum neque unicum: Sed miracula à Christo & in Christi gratiam à Deo Patre facta, ad quæ Christus & Apostoli semper tanquam præcipuum suæ missionis argumentum provocant. Proinde disputationem inchoare velle ex Lege & Prophetis, & exinde exigere probationem, quod Deus Christum & Apostolos cum potestate docendi miserit, est præcipuum disputationis argumentum declinare. Verum hic est genuinus & naturalis disputationis nostræ ordo: Ut primo inquiratur, an J. Christus, illiusque Apostoli à Deo sint missi? Quo excusso;

cusso, sequitur secunda disquisitio, an quæ docuerint, Legi ac Prophetis repugnent, nec ne? Et an verba Legis & Prophetarum eum admittant sensum, quem Apostolorum explicatio illis tribuit? Saltem, quoniam Vir Doct. à me religionis Christianæ probationem exigit, haud æquum est, ut mihi præscribat rationem & ordinem argumentandi: sed meum est argumenta seligere, ponderare, & quo ordine ac methodo in probatione mea unumquodque urgendum sit. Itaque ordine primum adhuc argumentum meum, quod hactenus fuse ab objectionibus Viri Doct. vindicavi, urgeo: Et quoniam Judæi nullum pro suæ Legis divinitate adferre possunt, quin validius concludat pro religione Christiana, etiamnum infero, nullam esse causam cur Judæi, qui hisce argumentis moti Mosen agnoscunt Prophetam esse divinum, iisdem non fortius moveantur, ut credant J. Christum esse Prophetam à Deo missum.

Traditio sola parentum non est sufficiens probatio.

Sed tandem Vir Doct. argumentum suum, quo Legis Mosaicæ divinitatem adstruxit, contendit tale esse, ut pro nulla religione, nec ipsa Christiana, simile produci possit, desumtum à continua patrum suorum in filios in hanc usque ætatem propagatione, quos credibile non est, filios suos decipere voluisse. Quod argumentum ego vocavi *imbelle*; non quod nullam ei ad probandum efficaciam inesse credam; sed comparative sum locutus, respectu habito ad argumenta quibus Christiana religio confirmatur, quæ multo esse validiora contendo: adeo ut illud cum hisce collatum imbelle sit. Uti tota argumentatio mea, quæ comparativa est, ostendit. Alias fateor isti argumento suam inesse efficaciam, sed non comparandam cum efficacia argumentorum quibus confirmatur Euangelium: præterea quam infirmum, quam periculosum sit traditionis argumentum, si sine delectu, sine judicio, sine diligente tam rerum quam testimoniorum examine & æstimatione, admittatur quodcunque sub nomine traditionis per manus majorum ad nos pervenit, satis ostendunt ineptæ & vanæ illæ traditiones, quas similiter à patribus acceperunt Judæi, quarum quasdam non tantum ridiculas, sed &, ut mox ostendam, impias (ignoscat vocabulo huic Vir Doct.) esse, liquido probari potest.

Comparatio inter Mosen & Christum.

Ita ergo Vir Doct. argumentum suum instituit: *Traditio nostra probatur in sua origine esse vera, quia à principio parentes dixere, quod viderant & audiverant omnia, quæ de Mose in Bibliis narrantur; eos autem non esse mentitos, quia non est credibile omnes patres filios decipere voluisse.* Ut comparationem instituam inter hanc Judæorum traditionem, & eam quæ Christianorum est, inchoandum à personis, qui primi utriusque religionis fuere fundatores. Judaicæ fundator fuit Moses, homo educatus in aula regis Pharaonis, ibique procul dubio, tanquam reginæ filius, instructus omni sapientia Ægyptiorum & prudentia politica: Christianæ fundator fuit Jesus Christus, & illius jussu ac mandato Apostoli, homines externo adspectu viles, nullis scientiarum disciplinis imbuti, nullo natalium aut adoptionis splendore conspicui: Iesus Christus à fabro fuit educatus, & fabri filius reputatus: Apostoli fuere piscatores. Moses populum eduxit ex Ægypto, eoque beneficio eum sibi obnoxium habebat: Christus & Apostoli vixere inter homines sibi inimicissimos, à quibus Christus est crucifixus, Apostoli verberati, ejecti, & quavis contumelia affecti.

Minus dubitari potest de J. Christi divina missione, quam Mosis.

Quæro nunc; Si de alterutrius mirabilibus factis dubitari à quoquam possit, in quem magis alicujus artis, qua res non prorsus veras nec tantas ignaro populo persuasit, cadere possit suspicio; an in virum doctum, aulicum, potentem, liberatorem populi è dura

dura servitute, & omnia pro nutu suo moderantem: an in pauperculum, contemtum, doctoribus populi invisum, magistratui exosum, & omni humana ope ac favore destitutum? Nec solum ea in autoribus & utriusque religionis fundatoribus est differentia, sed & in ipso populo, qui hæc accepit & posteris tradidit: Tempore enim Mosis populus diuturna & durissima servitute fractus, non poterat non esse rudis & ignarus valde, &, uti est oppressæ plebis animus, paratior ad quævis magnifica de liberatoribus suis credenda, & de iis posteris suis majora tradenda; quam ii, qui jam libertati assueti, patriis institutis imbuti, legi quam divinam habebant addicti, nullo magno beneficio ab hoc suo Messia in præsente hac vita affecti, nullo mundano splendore vel fælicitate moti, & diversa plane exspectantes; quibus igitur nihil aliud nisi rerum ipsarum claritas argumento esse posset, ut vel ipsi crederent, vel aliis pro veris narrarent. Honorem novimus gentibus ex fundatorum suorum vel divinitate vel splendore quæsitum, & inde fabulosas de origine sua traditiones apud eos obtinuisse. De gente Hebræa quicquam hujusmodi nec dico, nec credo, verum contrarium: Hoc tamen negari non potest, instituta inter utramque religionem comparatione, uti nunc facimus, quod hæc etiam suspicandi occasio à populo Christiano longius absit, & qui historiam Mosaicam veram esse credit, de Euangelica minus possit dubitare.

Quicquid opponi potest Ethnico à Judæo, validius Judæo opponi potest à Christiano.

Quod addidi, verisimile non esse, parentes filios suos velle circumducere fraude, quam ipsis sciunt esse exitiosam, sed tamen posse quempiam objicere, fieri potuisse, ut Iudæorum parentes aut cum Mose conspirantes, aut à Mose decepti, ut legibus suis, quas liberis suis salutares fore credebant, autoritatem conciliarent, eas ut à Deo acceptas filiis tradiderint: Respondet Vir Doct. *Hunc esse casum moraliter impossibilem, ut tam numerosus populus, una cum liberis ac fœminis unanimiter in ejusmodi fraudem conspiret.* Fateor, si ita, prout eum Vir Doct. proponit, consideretur. Verum qui id objicit, non dicet totum illum numerosum populum, sed illius primores, qui quidem aliquo, sed non admodum ingenti fuere numero, & à quorum autoritate ac ductu reliqui pendebant, fraudem illam concepisse, reliquos autem in credendo nimis fuisse faciles. Si dicat Vir Doct. non potuisse hoc fieri, quia toto populo inspectante hæc facta sunt, & *Judæorum parentes non à Mose, sed à Deo intuitiva notitia fuisse edoctos, eosque continua traditione id in filios propagasse.* Responderi posset, totum illud niti unica relatione Mosis, in cujus libris hæc historia asservatur; qui si deperditi essent, forsitan & tota illa traditio non fuisset inter Judæos. Si quis ergo objiceret, uti Ethnici faciunt, non fuisse illa vera miracula quæ Moses fecisse dicitur, sed sua sagacitate Mosen fucum fecisse Israëlitis, eaque ipsos in majus extulisse, ut ferme fieri solet; Mosen autem ea ut miracula divina & valde amplificata scriptis consignasse, quæ à quibusdam consciis asservata, post eorum, qui cum Mose desertum peragrarunt, obitum, vulgata sint, & à credula plebe pronis animis excepta, & postea continua traditione propagata: Nihil à Judæo ad objectionem hanc Legi oppositam retundendum reponi potest Ethnico, quin majore soliditate idem afferre possit Christianus contra Iudæum pro Euangelio.

Traditio historiæ Euangelii certior est quam Legis.

Recte dicit Vir Doct. semper recurrendum esse ad primam traditionis originem. Inquiramus ergo primo utriusque traditionis originem: de illius propagatione in posteros, sequente capite dicturi. Quando autem de traditione loquor, non intelligo traditionem oralem, quæ fallaci hominum memoriæ commissa ad posteros est propagata: sed tradi-

tionem ſcripto conſignatam, & libris S. Scripturæ comprehenſam, ac fideliter conſervatam. De ſuæ traditionis origine ait Vir Doct. nullam *traditionem gloriari poſſe, præter Iudæorum, quod continua ſucceſſione à parentibus qui viderant & audiverant, & ab alio decepti non ſunt, in filios ſit propagata; reliquas autem tantum levibus congruentiæ rationibus ſtabiliri.* Sed vero nihil hoc ad religionem Chriſtianam, quæ non levibus congruentiæ rationibus, ſed validioribus & clarioribus quam ipſa Moſis lex ſtabilita eſt. Primi Chriſtiani miraculorum Chriſti & Apoſtolorum æque ac primi Judæi miraculorum Moſis fuere teſtes oculati. Non magis ergo potuere decipi quam Iudæi. Adde, quod miracula à Moſe eſſe facta nemo teſtetur niſi Iudæi, qui ſcripta Moſis ſervant. A Chriſto eſſe miracula facta non tantum teſtantur Chriſtiani, ſed & agnoſcunt Iudæi infenſiſſimi ipſius hoſtes; verum non ſpiritu divino, ſed magiæ, & nomini Dei tetragrammato, quod Chriſtum furto ſuſtuliſſe ſomniant, adſcribunt. Atqui non levis hiſtoriæ probatio eſt confeſſio adverſariorum. Non potuere ergo, etiam juxta Viri Doct. argumentationem, primi Chriſtiani decipi in iis, quæ ipſi oculis ſuis viderunt. Accedit, quod Iudaica traditio ſit antiquior, proinde obſcurior quam Chriſtiana, etiam magis interrupta temporibus captivitatis Babylonicæ, aliiſque, de qua mox pluribus. Chriſtiana vero, utpote omnibus populis communis, iſtam interruptionem pati non potuit, ſed ſi opprimeretur in una gente, conſervata fuit in altera, imò in multis ſimul.

Traditio pluribus gentibus communis non tam facile poteſt corrumpi, quam uni peculiaris.

Nec juvat, quod traditio Iudaica ſit à patribus in filios: Quia ſicut ab una parte non facilis eſt ſuſpicio falſitatis à patribus in filios propagatæ; ita ab altera parte nihil proclivius eſt, quam liberos cæca credulitate recipere, & à tenera ætate alte imbibere opiniones parentum traditione ſibi inſtillatas. Sed quando religio propaganda eſt ad extraneos, & religio, quam ex parentum traditione hauſerunt, ut falſa & exitioſa abjicienda, tum præjudicium pro parentum traditione, & contra novitatem ejus quæ commendatur, omnia ſollicite inquirere & inveſtigare, & ubique fraudem metuere docet. Præſertim ſi religio quæ commendatur ſit ingrata carni, multa contineat communi hominum opinioni ac deſiderio plane contraria, nec niſi maximo cum fortunarum ac bonorum, carceris & exilii, quin & præſentiſſimo mortis periculo recipi poſſit. Præterquam enim quod extraneorum omnia ſuſpecta ſint, hic tam multa concurrunt, quæ animos ab iſta religione alienos reddunt, ut niſi evidenter convincantur de annuntiationis veritate, fidem neutiquam adhibituri ſint. Itaque traditio ita de gente in gentem propagata miraculorum veritatem (uti antea fuſius probavi) validiſſime adſtruit, & omnem à ſe falſitatis ſuſpicionem amovet. Nec obſtat, quod gentes, & præſertim Romani, aliquoties novos Deos receperunt: Illi enim ſuis Diis quos colebant alios novos adjunxerunt, quia fælicitatem quandam in hac vita ab ipſis ſperabant: Sed non rejiciebant Deos quorum cultui jam olim erant aſſueti, nedum, cum certa exſpectatione crucis & afflictionis propter novorum Deorum receptionem ſuſtinendæ. At religio Chriſtiana, uti jam aliquoties diximus, Deos gentium validiſſime impugnavit & ſuſtulit, nullamque in terra ſuis profeſſoribus fælicitatem promiſit, ſed crucem & afflictionem exſpectare juſſit, fælicitatem autem demum poſt hanc vitam. Unde & gentes eam ut ſtultam riſere, & ut in Deos ſuos impiam execratæ ſunt.

Judæorum traditio fuit corrupta ſub Jeroboamo.

Ut oſtenderem, Iudæos in ſola patrum ſuorum traditione ſecuros eſſe non poſſe, ex S. Scriptura oſtendi, ipſos aliquoties parentum traditione pravam imbibiſſe doctrinam, præſertim

præsertim in generali illa decem tribuum sub Jerobeamo defectione. Respondet Vir Doct. quod *tum decepti fuere à Jerobeamo aut falsis prophetis, qui non erant eorum parentes, recipientes doctrinam, quam in sua origine parentes non se certo & evidenter scivisse dixerint.* Concedo: Sed & qui decepti à Jerobeamo eam doctrinam receperunt, illam etiam liberis suis tradiderunt, ut legi Mosis non repugnantem, ipsique liberi hanc doctrinam à parentibus per traditionem haustam pertinaciter aliquot sæculis retinuerunt. Unde liquet, & Judæos per parentum, ab aliis in populo suo deceptorum, traditionem etiam posse seduci. Si enim populus jam revelatione divina illuminatus, & doctior factus, potuit à Jerobeamo decipi, non impossibile dicet Ethnicus, etiam rudiorem populum, & è tenebris Ægyptiacis vixdum emergentem, à peritiore Mose decipi potuisse. Hoc igitur urgeo, ut videns Vir Doct. quam fallax sit argumentum patrum traditio, si ejus fundamentum, prima origo, non inquiratur, & totius rei circumstantiæ accurata trutina ponderentur. Hoc si non fiat, par Viri Doct. erit decem tribuum responsum; idemque utrisque patrum traditionem jactantibus fundamentum. Quo jure enim dicere potest, patres in decem tribubus liberos suos decepisse; in tribu vero Juda patres filios suos decipere non potuisse? An prius ipsi fuerint decepti, non arguo; perinde enim utrimque est. Velim mihi rationem det Vir Doct. cur falsa traditio in decem tribus populi potuerit irrepere, in duas reliquas vero non potuerit. Hoc saltem non pendet ex eo, quod patres liberos suos decipere non potuerunt: in quo unica argumentationis Viri Doct. vis consistere videtur.

CAPUT V.

De Judæorum Lege Orali.

Lex Oralis alia est à lege scripta.

ALiud objeci Judæis exemplum, nimirum quod parentum traditione etiam receperunt Legem oralem; quam tamen nec à Deo Mosi, nec à Mose Israëli traditam, ac proinde non à primis illis parentibus ad posteros propagatam, sed posterioris ævi esse commentum, validissimis argumentis comprobari potest. Hic Vir Doct. multa de legis oralis natura disserit, juxta communem Judæorum sententiam; sed nullo argumento, verum conjectura admodum levi, eam adstruere conatur; nempe dicit, quod *non constituat aliam legem, sed illius executionis seu modi agendi explicationem:* Quod exemplis *circumcisionis, immaculatarum victimarum, fimbriarum in vestibus*, aliisque illustrat, *qua tantum in lege generatim præcepta sint, non autem modus præcise in iis observandus in ea est expressus; qui cum non dependeat ex naturali ratione, necessario eam traditionem à Mose Judæi habuere.* Eodem plane modo quo à Pontificiis Ecclesiæ suæ traditiones solent stabiliri. Verum 1. Ex hac Viri Doct. descriptione liquet, hanc vere esse aliam legem à scripta, illique superadditam. Quod enim lex scripta non definivit, ac proinde quod diversis modis sine ulla Legis transgressione ab hominibus fieri poterat, illa determinavit, & ad certum observandi modum restrixit; ita ut, nisi exacte omnes

Et posterioris ævi commentum.

tionem scripto consignatam, & libris S. Scripturæ comprehensam, ac fideliter conservatam. De suæ traditionis origine ait Vir Doct. nullam *traditionem gloriari posse, præter Iudæorum, quod continua successione à parentibus qui viderant & audiverant, & ab alio decepti non sunt, in filios sit propagata; reliquas autem tantum levibus congruentiæ rationibus stabiliri.* Sed vero nihil hoc ad religionem Christianam, quæ non levibus congruentiæ rationibus, sed validioribus & clarioribus quam ipsa Mosis lex stabilita est. Primi Christiani miraculorum Christi & Apostolorum æque ac primi Judæi miraculorum Mosis fuere testes oculati. Non magis ergo potuere decipi quam Iudæi. Adde, quod miracula à Mose esse facta nemo testetur nisi Iudæi, qui scripta Mosis servant. A Christo esse miracula facta non tantum testantur Christiani, sed & agnoscunt Iudæi infensissimi ipsius hostes; verum non spiritu divino, sed magiæ, & nomini Dei tetragrammato, quod Christum furto sustulisse somniant, adscribunt. Atqui non levis historiæ probatio est confessio adversariorum. Non potuere ergo, etiam juxta Viri Doct. argumentationem, primi Christiani decipi in iis, quæ ipsi oculis suis viderunt. Accedit, quod Iudaica traditio sit antiquior, proinde obscurior quam Christiana, etiam magis interrupta temporibus captivitatis Babylonicæ, aliisque, de qua mox pluribus. Christiana vero, utpote omnibus populis communis, istam interruptionem pati non potuit, sed si opprimeretur in una gente, conservata fuit in altera, imò in multis simul.

Traditio pluribus gentibus communis non tam facile potest corrumpi, quam uni peculiaris.

Nec juvat, quod traditio Iudaica sit à patribus in filios: Quia sicut ab una parte non facilis est suspicio falsitatis à patribus in filios propagatæ; ita ab altera parte nihil proclivius est, quam liberos cæca credulitate recipere, & à tenera ætate alte imbibere opiniones parentum traditione sibi instillatas. Sed quando religio propaganda est ad extraneos, & religio, quam ex parentum traditione hauserunt, ut falsa & exitiosa abjicienda, tum præjudicium pro parentum traditione, & contra novitatem ejus quæ commendatur, omnia sollicite inquirere & investigare, & ubique fraudem metuere docet. Præsertim si religio quæ commendatur sit ingrata carni, multa contineat communi hominum opinioni ac desiderio plane contraria, nec nisi maximo cum fortunarum ac bonorum, carceris & exilii, quin & præsentissimo mortis periculo recipi possit. Præterquam enim quod extraneorum omnia suspecta sint, hic tam multa concurrunt, quæ animos ab ista religione alienos reddunt, ut nisi evidenter convincantur de annuntiationis veritate, fidem neutiquam adhibituri sint. Itaque traditio ita de gente in gentem propagata miraculorum veritatem (uti antea fusius probavi) validissime adstruit, & omnem à se falsitatis suspicionem amovet. Nec obstat, quod gentes, & præsertim Romani, aliquoties novos Deos receperunt: Illi enim suis Diis quos colebant alios novos adjunxerunt, quia fælicitatem quandam in hac vita ab ipsis sperabant: Sed non rejiciebant Deos quorum cultui jam olim erant assueti, nedum, cum certa exspectatione crucis & afflictionis propter novorum Deorum receptionem sustinendæ. At religio Christiana, uti jam aliquoties diximus, Deos gentium validissime impugnavit & sustulit, nullamque in terra suis professoribus fælicitatem promisit, sed crucem & afflictionem exspectare jussit, fælicitatem autem demum post hanc vitam. Unde & gentes eam ut stultam risere, & ut in Deos suos impiam execratæ sunt.

Judæorum traditio fuit corrupta sub Jeroboamo.

Ut ostenderem, Iudæos in sola patrum suorum traditione securos esse non posse, ex S. Scriptura ostendi, ipsos aliquoties parentum traditione pravam imbibisse doctrinam, præsertim

præſertim in generali illa decem tribuum ſub Jerobeamo defectione. Reſpondet Vir Doct. quod *tum decepti fuere à Jerobeamo aut falſis prophetis, qui non erant eorum parentes, recipientes doctrinam, quam in ſua origine parentes non ſe certo & evidenter ſciviſſe dixerint.* Concedo: Sed & qui decepti à Jerobeamo eam doctrinam receperunt, illam etiam liberis ſuis tradiderunt, ut legi Moſis non repugnantem, ipſique liberi hanc doctrinam à parentibus per traditionem hauſtam pertinaciter aliquot ſæculis retinuerunt. Unde liquet, & Iudæos per parentum, ab aliis in populo ſuo deceptorum, traditionem etiam poſſe ſeduci. Si enim populus jam revelatione divina illuminatus, & doctior factus, potuit à Jerobeamo decipi, non impoſſibile dicet Ethnicus, etiam rudiorem populum, & è tenebris Ægyptiacis vixdum emergentem, à peritiore Moſe decipi potuiſſe. Hoc igitur urgeo, ut videns Vir Doct. quam fallax ſit argumentum patrum traditio, ſi ejus fundamentum, prima origo, non inquiratur, & totius rei circumſtantiæ accurata trutina ponderentur. Hoc ſi non fiat, par Viri Doct. erit decem tribuum reſponſum; idemque utriſque patrum traditionem jactantibus fundamentum. Quo jure enim dicere poteſt, patres in decem tribubus liberos ſuos decepiſſe; in tribu vero Juda patres filios ſuos decipere non potuiſſe? An prius ipſi fuerint decepti, non arguo; perinde enim utrimque eſt. Velim mihi rationem det Vir Doct. cur falſa traditio in decem tribus populi potuerit irrepere, in duas reliquas vero non potuerit. Hoc ſaltem non pendet ex eo, quod patres liberos ſuos decipere non potuerunt: in quo unica argumentationis Viri Doct. vis conſiſtere videtur.

CAPUT V.

De Iudæorum Lege Orali.

Aliud objeci Judæis exemplum, nimirum quod parentum traditione etiam receperunt Legem oralem; quam tamen nec à Deo Moſi, nec à Moſe Iſraëli traditam, ac proinde non à primis illis parentibus ad poſteros propagatam, ſed poſterioris ævi eſſe commentum, validiſſimis argumentis comprobari poteſt. Hic Vir Doct. multa de legis oralis natura diſſerit, juxta communem Judæorum ſententiam; ſed nullo argumento, verum conjectura admodum levi, eam adſtruere conatur; nempe dicit, quod *non conſtituat aliam legem, ſed illius executionis ſeu modi agendi explicationem:* Quod exemplis *circumciſionis, immaculatarum victimarum, fimbriarum in veſtibus*, aliiſque illuſtrat, *quæ tantum in lege generatim præcepta ſint, non autem modus præciſe in iis obſervandus in ea eſt expreſſus; qui cum non dependeat ex naturali ratione, neceſſario eam traditionem à Moſe Judæi habuere.* Eodem plane modo quo à Pontificiis Eccleſiæ ſuæ traditiones ſolent ſtabiliri. Verum 1. Ex hac Viri Doct. deſcriptione liquet, hanc vere eſſe aliam legem à ſcripta, illique ſuperadditam. Quod enim lex ſcripta non definivit, ac proinde quod diverſis modis ſine ulla Legis tranſgreſſione ab hominibus fieri poterat, illa determinavit, & ad certum obſervandi modum reſtrixit; ita ut, niſi exacte omnes

Lex oralis alia eſt à lege ſcripta.

Et poſterioris ævi commentum.

pet

per eam præceptæ circumstantiæ observentur, homo transgressor legis constituatur. Quod ex ipsis quæ Vir Doct. profert exemplis manifestum est. Quæ de Turcarum circumcisione scribit, etsi vera sint (quod mihi vix persuadeo) nihil ea faciunt, ad adstruendum legem oralem esse necessariam, ad executionem præcepti de circumcisione: solummodo evincit, oportuisse ut Judæi sciant, quid voce circumcisionis significetur, antequam præceptum hoc exequi possint. Nullus ergo hic est novus modus præcepto non contentus, sed quicquid hic Vir Doct. recenset, ipso præcepto circumcisionis continetur. Sed si ritum quempiam lege scripta non contentum Vir Doct. necessarium urgeret, exinde, consentanee suo argumento, deduceret legis oralis necessitatem: Sed & ego exinde inferrem, legem illam esse aliam à lege scripta, & aliquid determinare, quod lex indeterminatum reliquit. Fimbrias debere pendere ex quatuor vestis angulis præceptum esse divinum Vir Doct. ait, sed lex non definivit, quales eæ esse debeant. Sed respondeo: Si id definivit lex oralis, jam quid definivit, à lege non definitum, atque ita novum legi scriptæ præceptum superaddidit. Nam secundum legem sufficit fimbrias annectere vestibus, & quidem hyacinthini coloris, *Num.* xv. satisfecit ergo legi, quicunque fimbrias vestibus suis annexuit. Si vero lex oralis varias de illarum longitudine, textura, annectendi modo, similibusque adjunxerit, illi neutiquam satisfieri potest, nisi omnia ista rigide observentur: ac proinde, qui legi scriptæ satisfecit, peccare potest contra legem oralem. Idem in reliquis exemplis ostendi posset. Atque inde liquet, legem oralem novam esse legem, aliquid præcipientem ultra legem scriptam, & definientem quod lex scripta non definivit.

Inde 2. infero, quod hæc tam frivola adinventio argumentum sit evidentissimum, legem illam oralem non esse profectam à Deo, aut Mose; sed esse posterioris ævi commentum, quando à sinceritate cultus divini recedentes, eam collocarunt in superstitiosa ceremoniarum observatione, in qua dum exacti & eximii esse cupiverunt, ceremonias amplificarunt, & circa minimas in earum observatione circumstantias novas leges excogitarunt; atque ita suas inventiones & præcepta observantes, majorem sibi adscripserunt sanctitatem, quam si iis neglectis cultum veræ pietatis sincere Deo exhibuissent. Quod jam temporibus Esaiæ inolescere cæpit; qui propterea nomine Dei ipsis exprobrat, quod *Deum timeant mandato & doctrinis hominum*, *Esa.* XXIX. 13. Quæ superstitio, post exortum Pharisæorum, mirum in modum aucta est, qui circa externa valde fuerunt severi ac superstitiosi, animo intus pravis cupiditatibus æstuante. Atque ita ipsis accidit, quod Papistis contigisse Vir Doct. ait, quod si non *in idololatricas*, saltem *stultas superstitiones paulatim degenerarint.* Et hæ traditiones à posterioris ævi Rabbinis collectæ constituunt legem illam oralem, non vero mandata Dei, Mosi, ut Judæi volunt, in monte dierum quadraginta spatio data, & per Mosen postea coram Aarone, ejus filiis, septuaginta senioribus, ac tandem populo, enuntiata, & per varias traditiones conservata, donec tandem circa annum post eversum templum septuagesimum in Thalmud sunt congesta.

1. Nulla ejus mentio est in Lege. Non enim traditiones hasce esse à Deo, evidentissimis argumentis Christiani comprobant, quas Virum Doct. legisse quidem nullus dubito, sed & solidi nihil quod iis respondeat habere persuasus sum. Ego ex multis duo aut tria tantum seligam. 1. Nusquam in Lege aut Prophetis ulla vel minima Legis hujus oralis mentio fit, nec cum commen-

commendatur Israëli Legis divinæ observatio, nec quando violatæ legis arguuntur, nec etiam quando ad illius observationem à transgressionibus suis revocantur. An credibile est, Deum nunquam Legis illius oralis, sine qua lex scripta, secundum Judæos, observari nequit, imo quæ, uti ajunt, scriptæ legis anima est, siquidem in rerum natura exstitisset, mentionem facturum fuisse? Hinc est quod & quidam inter Judæos, Karaim dicti, legem eam non recipiant, sed solam scriptam agnoscant.

2. In dubiis Moses debuit consulere Dominum.

2. Siquidem Moses in monte legem illam oralem accepisset, in dubiis quibusdam casibus, quos etiam Vir Doct. allegat, nempe blasphemi illius, & lignorum collectoris in die Sabbathi, filiarum Zelophad, & eorum qui tempore Paschatis impuri erant super cadavere, non necesse habuisset consulere os Domini; cum Lex oralis, quam jam in monte accepisse fingitur, eum de omnibus instruxisset, & casus hos dilucide solvisset.

3. Lex scripta fuit neglecta: quomodo autem oralis conservata?

3. Quod magis stringit. Legimus legem scriptam adeo neglectam à Sacerdotibus fuisse, ut ferme memoria illius in populo perierit: tempore nimirum regis Josiæ; cum enim jussu pii regis templum repurgaretur, in illius repurgatione repertum fuit exemplar legis diu neglectum: cumque regi ac populo lex prælecta, omnesque comminationes divinæ auditæ essent, rex vestimenta sua scidit: 2. *Reg.* XXII. 10. & 2. *Paral.* XXXIV. 14. *& seqq.* Evidenti documento, quod non tantum ipsum Mosis autographum (uti quidam volunt) desideratum fuerit, sed tota legis memoria in populo interierit, nullumque præ manibus fuerit exemplar, unde Legis cognitionem haurire possent. An credibile quidem est, homines, adeo negligentes in Lege scripta asservanda, legem illam oralem tam operosam, & tanta præceptorum ac regularum mole constantem, & tantum memoriæ hominum concreditam, fideliter conservasse? Præsertim cum ipse Vir Doct. fol. seq. affirmet, *homines illius temporis oneroso Thalmudis studio caruisse:* Qua ratione igitur lex illa oralis fuit servata?

4. De scripta lege sola dicitur, quod sit lex

4. Moses, postquam toto Levitici libro varia præcepta dedit, *cap.* XXVI. *&* XXVII. ita concludit: *Hæc sunt judicia atque præcepta & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israël in monte Sinai per manum Mosis.* Et librum Numerorum similiter claudit: *Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Mosis ad filios Israël in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.* Quod si alia essent mandata Mosi à Deo tradita, dici debuisset, hæc sunt pars mandatorum, aut, hæc sunt mandata, quæ Deus scribi voluit per Mosen, ad distinctionem eorum, quæ per oralem solummodo traditionem conservari voluit. Quin & ipse Moses morti vicinus, valedicturus populo, legem in libro scriptam Sacerdotibus tradidit, jussitque quovis anno septimo coram toto populo legi, *ut audiant, & discant, & timeant Dominum Deum, custodiantque & observent omnia verba legis hujus*; *Deut.* XXXI. 9, 10, 11, 12. An quis aliam oralem credere potest esse legem, ejusdem cum hac autoritatis à Deo per Mosen latam, cujus nulla in tam solenni actione à Mose jam in æternum populo valedicente fieret mentio, nulla habita ratio, nulla conservandæ cura, sed populi negligentiæ & socordiæ prorsus commissa? Quid hoc aliud est, quam æternæ eam oblivioni tradere?

5. Non bene consuluisset Deus, ne obliteraretur.

5. Ac tandem, an credibile esse potest, Deum omniscium, quique omnium futurorum eventus certo præscit, ac proinde etiam periculum, quod nempe per dispersionem Judæorum lex oralis facile obliterari posset, prævidit, isti periculo matura illius scriptione

obviam non ivisse; sed quod illius temporis Rabbini, hac in parte Deo sapientiores, illam ex variis chartis in unum corpus compingendo eam ab interitu vindicaverint? Hæc omnia legis illius oralis vanitatem evincunt, & nuperum tantum Rabbinorum esse commentum tantum non demonstrant. Eam tamen hodierni Judæi, ut à patribus ab ipso Mose acceptam, & ad hoc usque tempus in liberos continua traditione propagatam, ut divinam recipiunt. Et hoc potissimum respectu argumentum à traditione sumtum, alias validum & fortissime concludens, *imbelle* vocavi: Quoniam figmentum legis oralis similiter traditione patrum ad se delatum crepantes, infidelibus totum suum de traditione argumentum suspectum reddunt.

Traditio quædam impia Judæorum in Hispaniâ.

Addo aliud: Judæi in Hispaniâ (referente id in colloquio ipso Viro Doct.) parentum suorum traditione edocti credunt licere sibi, metu inquisitionis Hispanicæ, Christianam religionem, quam in corde ut falsam damnant, profiteri, seque eam veram agnoscere declarare, idque juramento manu cruci imposita confirmare, suillam edere, aliaque præcepta legis, ex quorum observatione Judæi esse agnoscerentur, transgredi. Atqui hoc quam maxime impium est & horrendum. Licet enim Christianæ religionis professio revera veritatis sit professio: horrendum tamen crimen & impietas in Deum est maxima, si Judæus, credens religionem Christianam esse falsam, tamen eam, & (quod pessimum est) cum juramento quidem, profiteatur esse veram, seque Judæum neget, & ut negationem suam confirmet, præcepta legis, quæ divina agnoscit & æterna, ac proinde etiamnum ipsum obligantia, violare non vereatur. Quæ enim major & apertior erga Deum irreverentia cogitari potest? Et tamen traditio parentum id licitum docet, eaque traditione freti, in media illa abnegatione securi sunt, seque nihil Legi adversum quo Deum offendant committere credunt. Uti ipse Vir Doct. vivum nobis ac præsens exemplum est. *pag.* 102. Atque huc respexi, cum duriore vocabulo utens quasdam traditiones impias vocavi. Alterutrum hic necesse est Vir Doct. dicat, aut Judæos Hispanos huic suorum patrum traditioni auscultantes recte facere, & peccaturos siquidem illi immorigeri essent, ac proinde recte facere quod legem abnegent, peccaturos quod legem profiteantur; quod sane dicere horrebit: Aut, traditioni parentum, eo ipso tantum quod à patribus tradita sit, tuto Judæos acquiescere non posse; sed traditionis originem esse inquirendam, & examinandum utrum patres justa ratione permoti traditionem illam filiis communicarint. Quod in negotio apostasiæ sub Jerobeamo & sequentibus regibus bene observavit.

Traditio parentum non est Judæo sufficiens argumentum rejiciendi Evangelium.

Hoc itaque cum à quovis veritatis ac gloriæ divinæ, & salutis suæ studioso faciendum sit, facile nunc animadvertit Vir Doct. quam debile sit argumentum ipsius, quo in initio hujus ultimi quæsiti rationem reddit, cur iisdem argumentis, quibus moventur Judæi ut Mosen agnoscant prophetam à Deo missum, non & similiter moveantur ad recipiendum Jesum Christum: nempe, *quod à tempore quo Evangelium cepit non interrupta traditione à parentibus suis receperint, ea non ita fuisse, ut enarrantur & creduntur à Christianismo.* Sane non negant Judæorum patres, doctrinam, quæ in Evangelio traditur, à Christo publice in Judæa esse prolatam, aut Jesum multa in Judæa prodigia ac signa fecisse, aut tandem ipsum crucifixum esse: Sed negant ex mortuis resurrexisse, negant esse Messiam à Deo populo suo promissum: Non quia ea quæ recensui vera negant: sed quia eorum quædam Messiæ non competere, quædam, nempe prodigia & signa, cum

non

non certo & indubitato indicare credunt. Quod resurrectionem attinet, non testantur, sibi compertum, eum non resurrexisse; aut sibi evidentibus documentis constare, prædicationem de ipsius resurrectione esse confictam: videl. quod Christi cadaver viderint, postquam Apostoli eum à mortuis resuscitatum prædicarunt: aut quod sibi compertum sit, Apostolos cadaver Christi furto abstulisse dormientibus sepulchri custodibus: quæ fabula, antea à militibus Sacerdotum persuasione disseminata, sua absurditate evanuit: Non enim, etiamsi voluissent, cadaver Christi è sepulchro armatis militibus septo vi auferre potuissent; multò minus fraude, somno sepultis militibus: Quis enim credat omnes milites, cadaveri custodiendo missos, simul in somnum incidisse, & quidem adeo profundum, ut amotionem saxi à sepulchro non audiverint? Sed demus, somno indulsisse: An omnes ita fatui, ita capitis negligentes fuerunt, ut nemo inter illos, cum alios dormientes videret, juxta saxum illud quod sepulchrum clausit procumbere vellet? Si illic se solum reclinasset, quantumvis somnolentus, securus dormire potuisset, & tuta fuisset custodia. Quis credat, discipulos momentum istud, quo somno oppressi fuere milites, ita exacte observare potuisse? Quis tandem credat, discipulos istius furti suspectos fuisse, & nusquam coram Iudæorum tribunali istius reos actos? Nihil horum sibi certo compertum testantur Iudæorum patres. Quid igitur? Quod Iesus fuerit populi seductor: Quod se falso Messiam venditaverit, similiaque. Verum nunc posterorum officium est, exquirere sedata mente ac pio salutis studio, an traditio illa in sua origine sit vera? an patres sui jure Iesum dixerint impostorem? Fieri enim posset, quoniam hic non perhibent testimonium rei à se certis documentis infallibiliter exploratæ, sed judicium proferunt de homine Iesu Christo, quod non sit Messias, ut in judicio hoc erraverint: Quam traditionem si filii cæca obedientia recipiant, eo quod à patrum traditione ipsis recedere sit nefas; una cum parentibus in eundem errorem ut abripiantur necesse est. Quod si obtinere debeat, necesse est ut omnes homines in erroribus & falsa religione, in qua à parentibus educati sunt, consenescant; & de ea deserenda aliaque, licet veriore, amplectenda cogitare, erit nefas. Quid ergo de veritate religionis Christianæ aut Iudaicæ disputamus? Quis fructus & finis ejusmodi disputationis? Apage igitur ficulneum illud à sola traditione parentum desumtum argumentum, Viro Doct. indignum, & res cum re, ratio cum ratione certet; & inquiratur, an ullæ justæ sint rationes, propter quas Iudæorum parentes Iesum Christum jure rejecerint, & morti tradiderint.

CAPUT. VI.

Quæ & quanta sit certitudo, libros Veteris Testamenti incorruptos ad nos pervenisse.

HActenus collatione instituta inter argumenta, quibus certitudo traditionis de veritate ac divinitate Legis ac Euangelii in sua origine comprobatur, evicisse me credo, nulla posse pro Lege afferri argumenta, quin validius militent pro Euangelio, quam pro Lege; Restat nunc ut illius propagationem ad nos usque, per libros sacros, quibus ab initio utraque conscripta, & in quibus ad nostram usque ætatem conservata est, inter se conferamus.

Euangelium nititur solidioribus argumentis quam Lex, licet à solis Christianis, Lex vero à Judæis, Christianis & Mahumethanis, recipiatur.

Hic primo Vir Doct. magnam Legis præ Euangelio prærogativam colligit, ***ex generali, non Judæorum tantum, sed & Christianorum & Mahumethanorum confessione, qui omnes, solis Paganis exceptis, unanimiter librorum Mosis divinitatem agnoscant. Soli autem Christiani Euangelium, à Judæis & Mahumethanis rejectum, recipiant. Non igitur quod ab duabus hominum partibus in dubium vocatur, recte comparari posse cum eo libro, qui ab omnibus ut verus & divinus, absque dubio & disputatione religiosissime recipitur.*** Sed quoniam ipse Vir Doct. agnoscit, hanc rationem, quantumvis speciosam, esse tantum congruentiæ, non evidenter concludentem, licet librorum Mosis dignitatem commendantem, non est quod operose eam refutemus; quia præter speciem, qua homines simpliciores, superficiem tantum non ipsam quæstionis medullam considerantes, capi possunt, nihil habet. Potest siquidem contingere, ut id, quod ab aliquibus tantum recipitur, solidiore nitatur fundamento, quam id quod ab omnibus receptum est: Quando nimirum quod aliqui tantum recipiunt, aliquatenus dependet ab eo quod universale est omnium, illique testimonium perhibet veritatis: Tum enim istud recipere nequeunt, nisi simul generale illud cui hoc perhibet testimonium veritatis simul recipiant: Licet quando utrumque in se & solitarie consideratur, & argumenta quibus utrumque nititur inter se conferantur, validiora militent pro hoc, quam pro illo. Et ita se res habet cum Lege & Euangelio. Evidentiora minoribusque exceptionibus obnoxia sunt argumenta, quibus Euangelii, quam quibus Legis divinitas adstruitur. Interim Euangelium præter ista argumenta etiam à Lege sibi autoritatem confirmat, & Legi divinitatis testimonium perhibet. Etiamsi itaque omnia alia argumenta deessent, solum Euangelii testimonium, quod Christianus divinum agnoscit, suffecerit Christiano ut Legem agnoscat divinam. Hoc autem argumentum Judæo, Euangelium ut fabulosum rejicienti, in testimonium veritatis Legis inservire nequit. Itaque ea argumenta, quibus solis Judæus permotus Legem recipit, conferenda sunt cum illis, quibus Christianus persuadetur de divinitate Euangelii: & si fortiora sint aut fortius concludant pro Euangelio, quam pro Lege, iterum concludo, Judæum nullam posse dare rationem, cur cum argumentis illis inductus Legem recipiat ut divinam, Euangelio fidem deneget.

Vir

Traditio Judæorum in captivitate Babylonica potuit interruptionem pati.

Vir Doct. pergens, ex non interruptâ traditione parentum in filios probat codicem Legis incorruptum ad hanc ætatem usque perdurasse. Verum difficile valde est, istam nunquam interruptam traditionem, non supposita Novi Testamenti divinitate, solide adstruere. In captivitate siquidem Babylonicâ tanta populum oppressit calamitas, ut traditionem Legis interruptionem esse passam, haud mirum videri debeat. Civitas & templum solo fuere æquata, tota terra Judæa misere desolata, populus in captivitatem abductus, ut de conservanda Lege frustra sollicitudinem suscepisse videri possit. Auget difficultatem, quod legamus tempore regis Josiæ, non adeo multis ante captivitatem istam annis, tantam pro conservatione Legis in populo fuisse socordiam, ut cognitio Legis plane obliterata fuerit; & cum in repurgatione templi exemplar Legis diu deperditum repertum, & coram rege ac populo lectum esset, rex præ animi consternatione vestimenta sciderit. An ergo ita improbabile videri debet, sub rege impio, & in gravi adeo populi calamitate, non eâ cura ac diligentia Legem conservatam, qua alias sub rege pio & tempore fælici conservari potuisset? Quis credat, populum in ipsâ urbis direptione, in captivitatis dispersione, in septuaginta annorum calamitate & servitute, de codicibus conservandis valde fuisse sollicitum, qui domi, cum fluerent res ejus, cum sui essent juris, cum quotidianus ad cultum Dei necessarius esset illius libri usus, tam negligentes eâ in re fuerint, ut unicum tantum prostaret Legis exemplar, quod quam diu desideratum fuerit, non constat, sed solummodo quod regnante Josia sit repertum. Et sane probabilitate non caret illa multorum sententia, quod non exstiterit post reditum ex captivitate ullum perfectum ac integrum exemplar, quod Legem Mosis ac scripta Prophetarum ita plene & integre exhibebat, prout ante eam exstiterunt; Et quod Esdras omnia monumenta, quæ inter varios dispersa, & per particulas conservata erant, summa cura ac industria collegerit, ex iisque corpus illud Bibliorum, quod nunc habemus, concinnaverit.

Puncta non fuere literis addita à Mose.

Plura occurrunt in hodierno Bibliorum codice, unde satis evidenter colligitur, Pentateuchum per omnia non esse talem, qualis à Mose est conscriptus. Primo enim non puto Virum Doct. negaturum, quod puncta vocalia à Mose literis non fuerint apposita. Contendunt inter se eruditi, an Esdras ea addiderit, uti communiter credunt Judæi: an vero à Masorethis Tiberiensibus circa annum Christi quingentesimum, textui addita sint: Qua in sententia Doctis. Rabbi Aben Esram fuisse doctiores critici Christiani ex ipsius scriptis evincunt. Quicquid autem de hac controversia sit, conveniunt utrique, antiquiorem illis non esse adscribendam originem, quam temporibus Esdræ. Non ergo puncta vocalia à Mose sunt apposita. Atqui certum est, pro diversa punctorum additione etiam sensum admodum esse diversum. Quo itaque argumento Judæi certi sunt, se ubique genuinam Mosis lectionem habere, neque in quoquam ab ea aberrare? Si dicat, parentum traditionem: Confugit ad principium incertum ac dubium: Unde enim constat, parentes hanc lectionem à Mose accepisse, & ab ipsa Mosis ætate ad usque Tiberienses, aut saltem Esdram, ita per omnia incorruptam & invariatam servasse, uti à Mose tradita fuit? Hoc affirmant Judæi, quia ita affirmare libet, non quia certo aliquo argumento ad id affirmandum inducuntur.

Quædam in Pentateucho occurrunt à Mose non scripta.

Secundò: certum est in hodierno Pentateuchi textu quædam occurrere, quæ à Mose scripta non esse, evidenter ostendi potest: Quale est inter alia *cap.* XXXVI. *Genes.* ubi nar-

narratur filiorum Esau genealogia: illam enim à scriptore Mosis ætate longe posteriore additam fuisse, evidenter evincitur ex *vers. 31. Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi: &c.* Nondum enim tempore Mosis reges erant in Israël. Huic unum tantum, brevitatis causa, addam: Prima nempe *Deuteronomii* verba: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moses ad omnem Israël trans Jordanem.* Quæ locutio etiam occurrit *cap.* IV. 41, *&* 46. Apparet enim hæc verba scripta esse ab autore qui Jordanem transivit, & cujus respectu verba Mosis trans Jordanem prolata esse dicuntur. At Moses Jordanem non transivit. Adde his versus duodecim postremos *Deuter.* seu *caput* XXXIV. quo describitur mors Mosis: Quos à Mose non esse scriptos celebris inter Judæos Doctor Aben Esra agnoscit, idque *secretum duodecim* (sc. versuum) vocat.

Quomodo mutatio illa fieri potuisset. Ex his, similibusque locis, evidenter liquet, aliquid historiæ Mosis à scriptoribus posterioris ævi fuisse additum: Et licet illud non magni videatur momenti, tamen in lectore suspicionem posset gignere, in aliis locis, ubi id tam clare animadverti ac detegi non potest, similiter quid fuisse additum, quod fortasse majoris sit momenti: Saltem certitudo illa tanta non est, quanta Christianorum, quod libri Novi Testamenti incorrupti ad ipsos pervenerint: Quia, uti dixi, in una gente facilior fieri potuit mutatio, in exemplaribus paucis, & præsertim in collectione variarum laciniarum à diversis conservatarum, & à Synedrio magno in unam compagem & volumen conjunctarum: quam in multis exemplaribus, in diversas regiones statim dispersis: quoniam mox maxima exemplarium esset apparitura varietas: Quæ tamen non reperitur: ut in sequentibus ostendam.

Occurritur objectioni. Respondet Vir Doct. *oportuisse ergo ut Esdras ex suo cerebro confinxerit tot Dei cum Mose & populo colloquia: quomodo tot circumstantias mentiri auderet coram integro sapientum & prophetarum senatu? quomodo omnes in eandem fraudem convenirent?* Sed vero objectio hæc non infert, Esdram colloquia illa Dei cum Mose confinxisse: Verum ex laciniis multis integrum Bibliorum volumen collegisse. Alia autem res est, Esdram mentitum fuisse; alia, volumen Veteris Testamenti ex codicibus minus perfectis, & servantium incuria vel calamitate corruptis, consarcinasse, adeoque unius codicis lacunas ex aliorum voluminum fide, quamvis suo stilo, replevisse. Quicquid autem hujus sit: longe aliud est, dicere, Esdram, vel quemvis alium, hanc Mosis & legem & historiam finxisse: aliud, quod Novum Testamentum depravationis vel mutilationis nunquam tantum adiit discrimen, quantum codex Veteris Testamenti in illa gentis Judaicæ generali dispersione, & septuaginta annorum captivitate: quod non tanta sit certitudo, neque tam evidentia argumenta, quod textus Hebraici integritas illibata permanserit, quam Novi Testamenti, in quo nulla hujusmodi extant vestigia vel calamitatis, vel incuriæ.

Ulteri. Objicit porro Vir Doct. quod *Esaiæ, aliorumque prophetarum libri in captivitate Babylonica servati fuerunt, qui tamen tanti haberi non debebant, quanti Legis divinæ scripta.* Verum qui hanc objectionem faciunt contra Legem, idem etiam sentiunt de Prophetis: varios nimirum prophetarum sermones in populo fuisse distributos, multaque eorum fuisse apographa: postea illos in unum fuisse collectos, insertis historiis, quarum occasione sermones hi habiti fuere, aut habiti fuisse credebantur: atque ita ex iis inter se col-

se collectis volumen esse enatum. De qua sententia jam nihil addam. Sufficit hoc ad solutionem argumenti.

Tandem objicit Vir Doct. quod *liber iste, quem nunc habemus, contineat claram & expressam prophetiam de hac populi captivitate, cum circumstantiis adeo individualibus, ut magis rem præteritam, quam futurum rerum eventum significare videatur.* Verum in sequentibus, ubi de prophetia ista ex professo agendum erit, ego ostendam, ex circumstantiis ejus, & phrasiologia linguæ Hebrææ, quæ pluribus in locis in Prophetarum scriptis occurrit, quæ ibi prædicuntur, in captivitate Babylonica fuisse impleta; itaque tempore Esdræ revera jam fuisse præterita. Ubi similiter Danielis prophetia explicabitur. Sed & si id concedatur, inde tamen neutiquam evincitur, collectionem ex variis laciniis in unum Bibliorum codicem ab Esdra non esse factam. *Tertia.*

CAPUT VII.

Major est certitudo libros Novi Testamenti incorruptos ad nos pervenisse, quam libros Veteris Testamenti.

CONsideremus nunc quæcunque Vir Doct. Novi Testamenti scriptis objicit. Primo quidem argumento generali omnia Novi Testamenti scripta simul in dubium revocat, quoniam *omnia scripta sunt lingua Græca; cum tamen Euangelium primo & principaliter fuerit pro Judæis: Et lingua Græca nunquam Romanis aliisque Europæis non adeo fuerit communis, quam Latina, & Asiaticis Judæis plusquam Hebræa, sed iis solis, qui Græcia habitabant civitates, peculiaris fuerit.* Unde colligit, *videri totum Euangelium à Græcis fuisse compactum.* Verum omnibus, qui leviter tantum antiquitatis cognitione imbuti sunt, notissimum est, linguam Græcam temporibus Apostolorum non tantum per totam Græciam, sed & Asiam, quin & Ægyptum, fuisse receptam, & in communi fuisse usu: Adeo ut ipse Cicero in oratione sua pro Archia poëta dicat; *Græca legi in omnibus ferme gentibus, Latina suis finibus, & exiguis sane, continetur.* Idem, etsi alia antiquitatis monumenta deessent, Doctorum Christianorum scripta, qui non in Græcia tantum, sed & in Asia & Ægypto vixere, ut Origenis, Clementis Alexandrini, Eusebii, Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni & Nysseni, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, & Alexandrini, Chrysostomi, aliorumque, quorum recensere nomina longum foret, omnia Græca lingua exarata, evidentissime comprobatum reddunt. Quin & in ipsa civitate Roma linguæ Græcæ usus fuit vulgatissimus, etiam fæminis, & quidem in quotidiano sermone, uti ex Iuvenale discimus, *Sat.* VI. *Cur N. Test. Græca lingua sit scriptum.*

Se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est:
De Sulmonensi mera Cecropis: omnia Græce,

Cum

Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Cum itaque aliquo sermone historia & doctrina Euangelii esset conscribenda, eaque Iudæis quidem primo, attamen & omnibus hominibus & nationibus destinata esset in salutem, convenientissimum fuit eam conscribi lingua omnibus populis maxime communi; quæ illo tempore fuit Græca, satis communis Iudæis, saltem extra Iudæam habitantibus, omnibusque populis imperio Romano subjectis, ut merito universalis ferme totius Romani orbis lingua dici potuerit. Hanc ob causam & epistola ad Romanos Græce scripta est, quia & Romanis nota erat, & peregrinis Romæ degentibus notior quam Romana: & argumentum Epistolæ tale, ut quæ ad reliquas mitteretur Ecclesias dignissima foret. Ad particularem Romanum epistola Pauli Græce scripta non extat. Philemon, cujus servum antea fugitivum cum epistola remittit Paulus, Romanus non fuit, quod vel ipsum nomen indicat. Et ridiculum est, Græcos fabulam, tanquam rem in Iudæa vere gestam, conscripsisse, & plurimos ex Iudæis ei fidem adhibuisse, & ob illius testimonium crucem, afflictiones, quin & mortem sustinuisse. Apage istiusmodi nænias.

Scriptores N. Test. spiritu divino fuerunt afflati. Addit Vir Doct. *Scriptores Euangeliorum non esse commotos à Spiritus Sancti afflatu:* Quod ex duobus indiciis colligit: 1. *Quia Lucas dicit, se historiam Euangelii scribere voluisse, quia plures eam conscripserint: & quidem, non ut omnes homines eam scirent, sed ut Theophilus de iis, quæ jam crediderat, amplius informaretur:* 2. *Quod scribat, non quæ ipse viderat, sed ab aliis audiverat, nulla de revelatione divina facta mentione. Quod etiam nullus ex Apostolis in suis Euangeliis vel aliis scriptis asserere ausus est. Contra omnium prophetarum stylum, & præsertim Mosis, qui semper scribit, Dixit Dominus Mosi, aut, Dominus mihi dixit.* Resp. Primum argumentum Lucam solum ferit: Sed ut primo de omnibus simul dicam, & tum plenius quod Lucæ objicitur diluam; dico, non requiri in historico, qui res gestas alterius scribit, ut se à Deo ad scribendum speciatim incitatum, aut quæ scribit, sibi à Dei spiritu dictata asserat: Sufficit, ut exactam rerum quas scribit cognitionem habeat. Tales autem fuere Euangelistæ: referunt illi dicta ac facta Iesu Christi; ea ex vero referre sufficit, ut comprobentur esse divina: quoniam ipse Iesus doctrinæ suæ sufficiens divinitatis perhibuit testimonium. Nec Moses, quando historias patriarcharum toto Geneseos libro describit, sibi eas à Deo dictatas, imo nec ab iis qui viderunt, aut à testibus ocularis habuerunt, aut alia via exploratas se habuisse affirmat. Solummodo quando leges Dei ad populum refert, ait, ita sibi dixisse Dominum. Simili modo loquuntur Apostoli, coram Senatu Iudæorum, *Act.* IV. v. & alibi. Consentaneè missioni suæ, qua Dominus eos misit, ut Euangelium ubivis terrarum prædicarent, *Matth.* XXVIII. 18, 19. *Marc.* XVI. 15. *Ioan.* XX. 21. Et Apostolus Paulus epistolas suas inchoans ordinarie se vocat *Apostolum Dei, vocatum Apostolum per voluntatem Dei, Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem.* Quin se ac reliquos Apostolos, *ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. *Corinth.* IV. 1. adeoque, *necessitatem sibi incumbere Euangelizandi, & væ sibi esse nisi euangelizet*; *ibid. cap.* IX. 16. Quod tantumdem est, ac si

ac si diceret, se scribere & prædicare quæ à Deo habet. Quin & id disertis verbis affirmat, *Epist. ad Gal. cap. 1. 12. Neque enim ab homine accepi Euangelium, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi.*

De Euangelio Lucæ.

Ut itaque ad Lucam revertar: Ad fidem Euangelio ejus conciliandum sufficit, quod exacte omnia ab iis qui oculati testes fuerunt inquisiverit, nihilque nisi penitus exploratum scripserit. Quod ait, *sibi visum esse* Euangelium scribere, non arguit, purum tantum fuisse motum humanum; nam & diligentiam humanam Deus exstimulare potest, suppeditando argumenta & considerationes illi movendæ efficaces. Quodque Lucas in gratiam præcipue Theophili, viri, ut apparet, primarii, scripsit, Deus etiam, ut omnium saluti inserviret, direxit. Addo; unicum Euangelium Matthæi sufficere, ut plenam dictorum ac gestorum Jesu Christi habeamus cognitionem, quantum ad salutem satis est: Verum divinam benignitatem abundantius hominum saluti prospicere cupientem plurium diligentiam excitasse, ut ita plurium consentientibus testimoniis totus orbis plenius de historiæ Christi veritate, ac doctrinæ ipsius divinitate confirmaretur.

Euangelia fictitia non infringunt autoritatem eorum quæ in N. Test. extant.

Pergit Vir Doct. quod *multa, præter quatuor, fuerint Euangelia fictitia; & plures Euangelia scripsisse, etiam ex Luca liquere.* Sane in initio plures Christi res gestas conscripsisse, mirandum non est: fuere enim tam eximiæ, omnesque in tantam admirationem rapuerunt, ut plures illarum splendore ad eas conscribendas excitati sint. Verum quoniam qui audita tantum, & ex rumore percepta narrant, facile veris falsa quædam addere possunt, ea tantum recepta sunt ut genuina, quæ à duobus Apostolis, Matthæo & Joanne, & duobus viris qui in Apostolorum comitatu longo vixerunt tempore, Marco nim: & Luca, ac proinde omnia certissime explorata habuere, conscripta sunt. Quod Euangelia attinet, quæ Thomæ, aliisque adscribuntur, manifestum est ea Apostolorum ævo non exstitisse, sed à nugatoribus quibusdam posterioris ævi, supposito Apostoli alicujus nomine, esse conficta. Verum primi Christiani, qui ipsis Apostolorum temporibus vixerunt, diligenti exploratione facta, hæc quatuor ab autoribus, quorum nomina præferunt, vere esse scripta indubitatò deprehenderunt. Neque ulla justa dubitandi causa, quod hac in re decepti sint, allegari potest. Quomodo enim credibile est, viros adeo salutis suæ studiosos, ut quotidie gravissimas afflictiones, quin & mortem pro Euangelio sustinerent, tam socordes fuisse, & salutis suæ negligentes, ut temere sibi tanquam divinos, & fidei per quam salvi esse debebant regulam, obtrudi passi sint libros, de quorum αὐθεντείᾳ evidentibus documentis persuasi non essent, & eo quidem tempore, quo supposititia à genuinis facile discerni potuissent? Et hæc traditio ab ipsis constantissime per omnes populos & ætates consensu invariato est propagata. Recentiores fabulas, quæ à credulis quibusdam receptæ sunt, Thalmudicis annumeramus fabulis, quæ passim inter Judæos recipiuntur. Euangelium Joannis quo tempore, qua occasione, aut ubi locorum scriptum sit, nihil scire refert, modo à Joanne Apostolo scriptum constet, de quo inter Christianos nunquam dubitatum fuit.

De depravationibus quæ dicuntur in Euangeliis contigisse.

Aliud addit Vir Doct. argumentum; quod Euangelio Joannis fuerit, juxta Doctorum Christianorum sententiam, aliunde inserta historia de adultera à Judæis coram Christo accusata: & Euangelio Lucæ historia de angelo Christum in horto confortante (quam paulo ante Vir Doct. perperam affirmavit in Euangelio Joannis exstare) & de sudore

Christi sanguineo. De genealogia Christi, quod obiter insinuat, in sequentibus suo loco dicetur. Quod vero de historiis Euangelio intrusis adfert, dico paucis: Quod historiam de angelo confortante & sudore Christi crassiore instar grumorum sanguinis in terram decidente, in aliquot exemplaribus olim fuerit desiderata, non ex eo profluxisse, quod in quibusdam primi ævi exemplaribus lecta non fuerit; sed quod quidam audaculi, qui eam majestate Christi indignam judicabant, temerario ausu eam erascrint: Quod sane Euangelii veritati, codicum antiquiorum fide constanter asservatæ, præjudicare nequit. Historia de adultera etiamsi inserta fuisset, nihil illa momenti ad fidem Christianam habet: Et si velimus à Joanne scriptam non esse, liquet historiæ puritatem in plurimis exemplaribus, in quibus ea desideratur, conservari. Sane exigui nimis momenti ea historia est, quam ut inde argumentum ad probandam in Euangelio depravationem deduci possit.

De Euangelio Matthæi. Progreditur porro Vir Doct. & ait: *Autographum Matthæi, quod Hebraico idiomate scripsisse fertur, periisse, & exstare tantum translationem ab incerto autore factam.* Esto: translatio illa jam Apostolorum tempore exstitit, & approbationem obtinuit: Non autem historia aut doctrina ullam, etsi alia enuntietur lingua, mutationem patitur: sed eadem pluribus linguis eodem sensu enuntiari, scribi & legi potest. Exinde autem liquet, quod ante dixi, Græcam linguam omnibus ferme populis fuisse communem: Ideo Matthæi Euangelium in totius mundi usum mox in linguam Græcam est translatum: Qua translatione approbatâ, ipsum exemplar Hebræum, quod solis ex Judæis conversis inservire tantum posse videbatur, non ea qua Græcum cura ac diligentia asservatum fuit.

De Marci. Quæ Marco objicit adeo exilia sunt, ut refutationem vix mereantur. Esto, Marcus Euangelium Matthæi maxima sui parte compilaverit, quid in eo peccatum? modo nihil Marcus scripserit, quod non plene exploratum habuerit. Sive Romæ sive alibi à Petro dictatum fuerit, non minuit illud illius autoritatem: circumstantia ea est adeo exilis, ut referri non mereatur. Quæritur solummodo, an Marcus in comitatu Petri vixerit, & ex ipsius ore de omnibus quæ scripsit certus esse potuerit. Et quod Papias, Irenæus, & Clemens illius meminerint, Euangelii ipsius antiquitatem & γνησιότητα probat. Alium in finem hæc testimonia non allegantur, nisi ut de antiquitate ejus, ac genuino autore constet; Non vero, ut per istorum doctorum testimonia ipsi Marco autoritas quædam concilietur. Perinde uti Judæi per traditionem patrum suorum sibi constare ajunt, libros quos habent ab ipso Mose esse scriptos: non autem ea traditio Mosi aliquam, quam per se non habet, autoritatem conciliat.

De Epistola ad Hebræos. De Epistolæ ad Hebræos autore variant Christianorum sententiæ, aliis eam Paulo, aliis Lucæ, aliis Barnabæ, aliis Clementi adscribentibus. Cujuscunque ex his quatuor sit, antiquissima est, & Pauli ævo scripta; siquidem hi tres Pauli coætanei fuere: Ejus antiquitatem etiam probat Clementis quæ exstat ad Corinthios Epistola antiquissima, siquidem verba ex hac epistola desumta in Clementis epistola occurrunt: quæ causa fuisse videtur, quod aliqui eam Clementi adscripserint. Sed cujuscunque ex tribus illis fuerit, dubitandum non est, quin doctrinam in ea contentam, præsertim de typorum Veteris Testamenti impletione in Iesu Christo, ex ore Apostolorum, præsertim Pauli, habuerit: Et quia doctrinam, quam toties ex Apostolorum ore hause-

hauserant adeo egregie explicat, ideò etiam à primis Christianis ut per omnia illi conformis, recepta est.

De Apocalypseos libro non necesse est multis disserere: Continet ille non dogmata fidei, sed visiones quasdam propheticas, ænigmaticas & obscuras, Ecclesiæ Christianæ statum in hisce terris concernentes. Quod quidam olim eum Cerintho adscripserint, id non fecerunt certa quadam ratione inducti, sed ex mera tantum conjectura; quia Cerinthus dogmata quædam sua ex Apocalypsi adstruere conabatur, illisque ea perperam intellecta Cerinthi dogmati aliquatenus favere videbantur. Verum si talis paucorum conjectura ad librum quempiam reprobandum, aut genuino suo autori abjudicandum suffecerit, nullus liber à censura immunis erit. Causam autem nullam justam esse eum Cerintho adscribendi, arguit primorum Christianorum, qui eum Ioannis Apostoli fœtum agnoverunt, traditio: Quibus antiquissimi, quorum scripta habemus, Doctores Christiani, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, &c. consentiunt. Quibus alias non addam rationes. Verum, ut dixi, liber hic nulla dogmata fidei, verum ænigmaticas tantum & obscuras quasdam prophetias continet; ita ut, licet ille abesset, fides Christiana nullum esset passura detrimentum. *De Apocalypsi.*

Quid vero Vir Doct. Epistolis Apostoli Pauli objicit? An aliquis eas ipsi abjudicavit, & ignoti esse autoris asseruit? Nemo. Bene est, quod hæ, perinde uti Euangelium Matthæi, Joannis, Lucæ, & Acta Apostolorum, ipso non refragante, genuinorum autorum nomina præferant.

Tandem Vir Doct. Novo Testamento objicit, variantes quæ in diversis codicibus reperiuntur lectiones, quas verbis Isaaci Vossii *de ætate mundi cap. 2. adeo multiplices esse* ait, *ut si quis omnes inter se committeret codices, quot verba, totidem pene inventurus sit discrepantias.* Verum si quid Viro celebri ad opinionis suæ stabilimentum excidat quod hyperbolen sapit, an putat Vir Doct. ex ejusmodi verbis, contra experientiam cuivis obviam prolatis, solidum posse deduci argumentum? Omnes antiquiores codices hodie summa diligentia sunt excussi, variantes lectiones maxima sedulitate excerptæ, textui vulgari appositæ, & omnium oculis expositæ: Inde quam ἀυξητικῇ hyperbole usus sit D. Vossius, liquido constat: quod in istiusmodi casu in Viro magno facile excusari potest. Tum maxima variantium lectionum pars adeo nihil facit ad immutationem sensus, ut quocunque modo legatur, sensus per omnia idem sit: veluti si Latine quis legat, *enim*, vel *nam*: *igitur* vel *ergo*: *dicebat*, vel *loquebatur*: ac similes: Quæ sensum aliquatenus immutant, rariores: nullæ vero, quæ dogma necessarium creditu ad salutem concernunt, aut aliter credendum esse vel levissimam suspicionem ingenerare possint. Quod mihi vel maximum ac certissimum providentiæ divinæ circa Novi Testamenti codicum conservationem argumentum est. Ejusmodi autem variantes lectiones etiam in diversos Legis codices irrepserunt; Quod ex collatione codicis Samaritani cum vulgari Iudæorum codice, ex antiquis Masorethatum libris, ex Iudæorum Orientalium & Occidentalium, Ben Aser & Ben Nephthali lectionibus, atque ex manuscriptis optimæ notæ exemplaribus, quorum nonnulla diversas codicis Hilleliani lectiones exhibent, doctissimi Critici ostendunt. Quin & ipsa Græca LXX interpretum versio documentum est satis evidens, in exemplari Hebræo, unde versio hæc *De variantibus N. Test. lectionibus.*

 facta

facta est, multis in locis aliam fuisse lectionem, quam in hodiernis Iudæorum codicibus.

Explicantur verba quædam I. Vossii. Quod vero Vir Doct. ex Vossio citat, quod ***Deus nullam habuerit curam eorum, qui descripsere Novi Fœderis libros***, verba Vossii non bene intellexit. Hoc enim hic non affirmat Vossius, sed tanquam consequentiam absurdam ex eorum quos oppugnat opinione deducit. Illi enim contendunt, Hebræum codicem mansisse plane invariatum, idque peculiari providentiæ divinæ adscribunt. Inde colligit Vossius, quod sequeretur, quoniam tanta est lectionum varietas in N. Test. quod Deus ergo nullam eorum, qui Novi Fœderis descripsere libros, curam habuerit: Quod ipsi absurdum est; quod nempe Deus continuo adfuerit Iudæorum librariis, nullam vero eorum qui Novi Fœderis descripsere libros curam gesserit; cum tamen magis interesset eos servari incorruptos, quam Veteris Testamenti. Qui sensus ex tota ejus collectione manifestus est. Sed Vir Doct. qui verba Vossii truncavit, illationem quam Vossius ex aliorum sententia colligit, tanquam sententiam Vossii proponit.

De cautione in Iudæorum Synagogis adhiberi solita. Quod Vir Doct. addit, de exactissima cautione quæ hodie in Iudæorum Synagogis adhibetur, ne ulli in codices sacros irrepere possint errores, aut lapsus; arguunt quidem, Iudæorum exemplaria post inventam Masoram non facile ullam posse pati immutationem: Verum ea non potest abolere variantes lectiones, quæ ante inventam Masoram in codicibus Hebræis jam apparuerunt. Multo minus difficultates illas tollere, quæ circa collectionem librorum sacrorum in unum volumen, temporibus Esdræ, à pluribus observatæ sunt.

Hyperbole Viri Doct. Quibus omnibus inter se collatis, & comparatione inter certitudinem librorum Veteris & Novi Testamenti accurate instituta, non dubito, quin unusquisque mecum admiraturus sit præjudicium Viri Doct. quod per hyperbolicas expressiones contra Novi Testamenti libros, & pro volumine Pentateuchi seu Legis, in scripto suo indicavit contra Novi Testamenti libros; hisce verbis. ***Nullus liber, nulla fere Apostolorum epistola, neque acta Apostolorum, absque contentione à primis & posteris Christianis accepta fuere: quantumvis multa sint solutiones, variis temporibus ab insignibus viris excogitata, quibus ha Euangelii macula abluerentur.*** Pro Lege vero: ***Est liber Mosis ita perfectus, & purus, atque ab erroribus alienus, ab ejus conditore per tot sæcula variis in nationibus servatus, ut cætera naturalia, qua Deus non corruptioni exposita creavit; ut cæli, sol, & astra: quæ à sua formatione non majore providentia incorrupta servantur, & subsistunt, quam divina Legis libri, qui nunquam aliquam mutationem experti fuerunt.*** Profecto, addo ego, miraculum ergo esse, quod ipsum volumen manu Mosis conscriptum interire potuerit: nisi forte & illud alicubi à corruptione, perinde atque sol ac astra, immune latere, suo tempore denuo in lucem protrahendum, Iudæi asserere cupiant.

Euangeliis tota religio Christiana continetur. Tandem & argumento quod Novi Testamenti libris objecit, & in plures Veteris Testamenti libros retorqueri posse videt, occurrere conatur; quod nempe multorum librorum, qui in Veteris Testamenti volumine extant, genuinos autores assignare non possint Iudæi: Cui ita respondet: ***Totam religionem consistere in libris Mosis; in reliquis nullum fidei seu legis dogma statui. Novi Testamenti autem libros omnes religionem Christianam constituere, fidei dogmata instruere, pro quibus quatuor Euangelia minime suffice-***

sufficerent, præsertim si Paulus non scripsisset, ex quo totam Christianam Theologiam effluxisse ait; *cum tamen Petrus eam difficilem, & non nisi multa cum cura legendam putaret.* Verum valde fallitur Vir Doct. Nam & similiter tota religio Christiana, omnia illius dogmata fidei & præcepta vitæ, ad salutem necessaria, quatuor Euangeliis, imo unico Matthæi Euangelio, continentur: Neque ex Epistolis Apostolorum, imo nec Apostoli Pauli, ullum dogma ad salutem creditu necessarium proferetur, quod non antea in Euangelio clare expressum exstat. Judæos, qui varia Euangelio objiciebant, Apostolus Paulus pluribus in Epistolis refellit: & in illis disputationibus multa occurrere non diffiteor obscuriora, propter stylum Pauli concisum, & nonnullis in locis abruptum, & quod non semper exacte & distincte indicet, quænam verba adversarii objectionem, quæ vero suam contineant solutionem: Verum solutiones objectionum non continent nova fidei dogmata antea inaudita; sed eorum veritatem ab adversariorum cavillationibus vindicant. Ausim itaque dicere, etiamsi sola quatuor exstarent Euangelia, nos perfectum habituros canonem seu regulam fidei ac morum: Neque Stephanus protomartyr imperfectior fuit Christianus, quam qui postea vixere, eo quod epistolas Paulinas non viderit. Verum tanta est erga genus humanum benignitas divina, ut quæ in Euangeliis plene ac perfecte tradita sunt, etiam in Apostolorum Epistolis sæpius repeti, & à variis objectionibus vindicari, ad majorem fidelium in fide confirmationem ac constantiam, singulari providentia voluerit.

Hæc quidem fuse dicta sufficiunt ad solutionem omnium, quæ Vir Doct. religioni Christianæ objecit circa primum argumentum, quo se permotum ait, ut Mosen agnoscat Prophetam & Legislatorem divinum, desumtum à continua patrum traditione ad hanc usque ætatem continuata.

Quæ Religioni Christianæ objicit circa secundum argumentum, desumtum à prædictionibus futurorum, in quibus dixi D. Jesum Mose multo esse superiorem, revera nullius sunt momenti; nempe, quod *scripta sint post res gestas; facile autem sit, scribere quædam esse prædicta, & proportionatam historiam contexere, in qua illa quasi futura pranuntientur.* Primo enim, jam ante argumentis validissimis historiæ Euangelicæ veritatem comprobavi; ita ut hæc objectio, nisi primo eversis omnibus illis argumentis, in eam torqueri nequeat. Sed porro, licet quædam jam gesta sint, ante Euangelicæ historiæ conscriptionem, plura tamen post illius conscriptionem sunt impleta, consentaneë prædictionibus quæ in Euangelio exstant. Matthæus Euangelium suum non multis post adscensionem Christi, pluribus vero ante Hierosolymorum excidium annis conscripsit: in illo tamen excidium illud cum omnibus suis circumstantiis adeo graphice describitur, ut expressius non possit. Varia statum Ecclesiæ Christianæ concernentia, quæ ibi leguntur, eventus comprobavit. Tum & prædictio Christi, de calcatione Hierosolymorum à gentibus, etiamnum hodie impletur. Ne quid de Apostolorum prædictionibus addam. Verum Vir Doct. facile videbat, ex Christi prædictionibus, & præsertim de sua resurrectione, argumentum insolubile peti pro divinitate doctrinæ quam annuntiavit; cujus ictum cum nullo alio effugio se declinare posse videbat, voluit historiæ veritatem in dubium vocare. Verum illa in antecedentibus tam valide asserta est, ut verbum addere supervacuæ futurum esset operæ.

De prædictionibus D. Jesu & Apostolorum.

QUÆSITUM PRIMUM.

CAPUT I.

De necessitate Fidei in Iesum Christum.

HActenus argumenta, quibus Vir Doct. divinitatem Legis Mosaicæ comprobat, fortius pro Euangelio quam pro Lege concludere ostendi: Restat nunc ut ab objectionibus Viri Doct. vindicem responsiones meas ad ipsius quæsita, quæ proprie continent objectiones contra Religionem Christianam. Hic varia occurrunt, non directe disputationem nostram concernentia: Quia tamen ad illam aliquatenus referri possunt, & Vir Doctissimus disputationi suæ tanquam fundamentum substernit privatas aliquot quorundam Christianorum opiniones, quibus & me imbutum credidit; ut disputatio nostra omni ambiguitate careat, & presse rem ipsam à fundamento excutiamus, etiam de illis sententiam meam clare ac dilucide explicabo.

Fides in Christum necessaria est ad salutem illis quibus Christus est revelatus.

De necessitate fidei in Jesum Christum, de qua sententiam meam requirit Vir Doct. ita sentio. A tempore revelati Christi & promulgati Euangelii fidem in Jesum Christum unicuique ad consecutionem salutis æternæ esse necessariam; utpote unicum à Deo ordinatum medium ad salutem. Hinc sequitur, omnes qui fide in Christum carent, etiam destitui medio quod Deus ordinavit in hominum salutem. Eorum autem duo considerari possunt genera: Alii quidem Euangelium sibi prædicatum rejecerunt, salutemque in Christo sibi oblatam respuerunt: Alii, quia Euangelii vox nunquam eorum auribus insonuit, in merâ vivunt ac invincibili ignorantiâ; & quia Christum ignorant, in eum nec credunt, nec credere possunt. Priores, quia non ex ignorantiâ peccant, si Euangelium ipsis legitime sit annuntiatum, etiam reos se faciunt pœnarum incredulis constitutarum. De posterioribus Euangelium tacet; itaque de his pronuntiandum videtur, quod iis quæ in Euangelio sunt patefacta, quodque justitiæ ac misericordiæ divinæ maxime consentaneum est.

Qui non credunt defectu revelationis non videntur puniendi ut increduli Euangelio.

Primo itaque certum mihi est, Deum neminem, qui ex merâ ignorantiâ, defectu videl. revelationis, in Christum non credit, propter illius fidei carentiam puniturum pœnis in incredulos constitutis: Non enim permittit illius justitia, ut ab homine exigat absolute impossibilia, ipsumque ob ea non præstita puniat. Quare nec gentes ante Christi adventum punientur, quod fide obscurâ ac figurativâ in Christum caruerint; nec quotquot post Christum vixerunt sine ullâ Euangelii revelatione, quod fide expressâ ac distinctâ, qualis nunc exigitur, in Christum non crediderint. Imo, ut ingenue quod sentio enuntiem, aliam nunc gentium ad quos Christiani excurrunt, quam earum quibus olim per Apostolos eorumque coadjutores Euangelium est annuntiatum, rationem esse credo: Non tantum, quia Apostoli miraculorum maxime stupendorum gloriâ auditorum animos

animos percellebant; sed & vitæ integritate morumque sanctitate doctrinæ Jesu Christi sanctissimæ bonum inter eos, quibus prædicabant, odorem conciliabant: Cum hodierni præ imperitiâ doctrinam divinam sæpe frigide defendant ac comprobent, & moribus turpissimis ac vitâ maxime contaminatâ gentium animos à doctrinâ sanctâ avertant; ex profitentium quippe moribus judicium de doctrina faciunt, quod vel non sit tam sancta quam prædicatur; vel quod qui eam prædicant nec ipsi ex animo illi fidem habeant. Quæ duo maxima sunt à Christianis ipsorum fidei objecta impedimenta; quæ sicut Deus malis ejusmodi Christianis imputabit; ita dubitandum non est, quin gentium culpam aliquatenus coram Deo justo judice imminuant. Quousque autem Deus propterea gentibus indulturus sit, quia Euangelium tacet, nec à nobis definiri potest. Hoc solum dicere possumus, Deum justum ac καρδιογνώστην nihil cuiquam in pœnam imputaturum supra merita.

Quis status gentium, quibus non est prædicatum Euangelium.

Quæri ergo posset, quis gentium, quibus Euangelium prædicatum non est, sit futurus status? Hic nihil certi à nobis definiri potest, quia Euangelium tacet: solummodo generatim dicitur, gentes quæ *sine lege peccarunt, etiam sine lege judicandas*; & *servum qui non cognoverit voluntatem Domini, nec secundum eam fecerit, paucioribus plagis vapulaturum.* Dicam tamen meam sententiam, quam ut articulum fidei haberi nolo, sed ut opinionem justitiæ ac misericordiæ divinæ meo judicio maxime consentaneam. Si qui inter gentes honeste secundum naturæ legem vivunt, credibile mihi est, munificum ac benignum Deum non inhonoratam relicturum eorum probitatem, eosque aliquam in futuro sæculo habituros partem. Qualis autem & quanta ea futura sit, penitus mihi ignotum est. Quia autem Christus humanum genus morte sua cruenta Patri reconciliavit, adeo ut redemtio per Christum unicum sit ad salutem perveniendi medium, credo Deum ex superabundanti gratia, qua Christum humani generis redemtorem constituit, etiam illis, qui inter gentes juxta rationis dictamen vitam instituunt, redemtionem Christi applicaturum, ut ita non aliter quam beneficio Christi, licet defectu revelationis sibi ignoti, ac propterea nec ab ipsis crediti, salutis sint futuri participes. Nec id absurdum videatur, Salvatoris sacrificium iis etiam applicari, qui revelationis defectu eum ignorant: Licet enim quicunque eum rejiciunt per infidelitatem redemtionis fructu priventur: nec is, secundum Euangelii legem, aliis quam eum vivâ fide recipientibus destinetur: nihil tamen obstat, quin Deus ex immensitate gratiæ ac bonitatis suæ, ultra conditiones Novi Fœderis, mortis Christi beneficium etiam extendat ad illos, qui honeste secundum naturæ legem viventes Christum sibi nunquam revelatum ignorant: Quoniam tales, si revelatus ipsis fuisset Christus, eum verisimiliter recepissent: ac proinde per gratiosam Dei imputationem, Fœdere Novo non comprehensam, censentur, si non plene, aliquatenus saltem, ac si eum recepissent, vel saltem ab eo alieni non fuissent.

Prærogativa Christiani præ gentili.

Si quæras, quæ ergo sit prærogativa Christiani præ ejusmodi gentili? Dico, magnam eam esse & eximiam: Gentilis quippe, qui forte servatur, non servatur vi fœderis divini, sed superabundanti gratia fœdere divino non inclusa; proinde nec spem firmam vitæ æternæ, qua in omnibus vitæ hujus mutationibus ac molestiis sustentetur, concipere potest; sed solummodo generatim sperare in benignitate divina: præterquam quod definiri nequeat, qualem & quantum salutis gradum Deus illi sit assignaturus,

turus. Christiano autem ex vi fœderis divini in Christo erecti salus confertur; unde & certissima salutis spe, indubitatis Dei promissis nixa, hic sustentatur, qua mundum omniaque in mundo superare potest: Et speciatim vitæ æternæ præmium & corona immarcessibilis ipsi promissa est; ut nulla ipsi dubitatio superesse queat, quod salutem æternam per fidem in Christum vitæque sanctitatem, præceptis Christi consentaneam, obtinere possit. Hæc fusius paulo proposui, non ut essent argumentum disputationis inter nos (ita enim à principali nostro scopo nimis aberraremus) sed ut sententiam meam de necessitate fidei in Jesum Christum Viro Doctissimo plenius explicarem.

De statu infantium in infantia morientium. Ex hisce jam facile colligit Vir Doct., me nullos infantes, sive Christianorum, sive Judæorum, sive gentilium, in infantia & ante rationis usum morientes, ad inferorum cruciatus ablegare: Hoc enim Dei benignitati ac justitiæ è diametro adversatur: sed contra potius, omnibus partem salutis in futuro sæculo adscribere. Licet enim plerique salutem solis Christianorum infantibus, & quidem baptizatis, alii non omnibus sed solis electis adscribant; convenientius tamen est benignitati ac misericordiæ divinæ, magisque cum verborum Scripturæ, in quibus de infantium salute agitur, generalitate congruit, omnibus omnino infantibus, ex quibuscunque parentibus prognatis, & ante usum rationis morientibus, salutem adjudicare. Verum hi non sunt articuli fidei, sed opiniones probabiles, quæ salva fide salutari in utramque partem ventilari possunt. Prout inter Judæos multæ ejusmodi ventilantur quæstiones, & inter quas Vir Doct. recenset quæstionem de Messia Ben-Ephraim misero & in prælio miseranda morte occubituro. Hisce ita generatim præmissis, pressius nunc ipsam causam principalem examinemus.

CAPUT II.

Officia Messiæ sub Veteri Testamento non fuisse plene revelata; sed sub typis & umbris.

Explicantur quædam mea verba non recte intellecta. Agnoscit mecum Vir Doct. fidem nostram accommodatam esse debere divinis promissis. In eo ergo consentimus, neque necesse est contra Virum Doct. probare, claræ revelationi respondere debere fidem claram & distinctam. Unde etiam consequitur, sufficere ut obscuræ revelationi adhibeatur fides obscura & involuta; & ut obscura & involuta fides eliciatur, etiam sufficere obscuram & involutam revelationem. Possem ergo omnia, quæ Vir Doct. hic habet, intacta præterire: Verum quoniam verba mea de ratione revelationis qua Messias olim Israëli revelatus fuit, & fidei, quæ consentaneè isti revelationi illo tempore & in illo statu sufficiens fuit, non bene intellexit, & plane contra mentem meam interpretatur, paucis id mihi expediendum est. Credebam me mentem meam in secundo meo scripto *pag.* 19. satis clare ac distincte explicuisse: Nempe, hoc me voluisse, *Credendum esse, Messiam à Deo promis-*

promissum venturum, licet Deus expresse non præcipiat, credetis Messiam venturum esse: &, vel minus distinctam, vel distinctiorem in ipsum fidem fuisse requisitam, pro ratione clarioris vel minus claræ de ipso revelationis. Vir Doct. in hoc tertio suo scripto, *Quæst. I. Num. III. pag. 52.* longe aliam mihi responsionem, seu argumentationem, tribuit, non prout ego argumentatus sum, sed prout ipse credidit debere fieri argumentum meum, ut sic facile illi respondere posset. Concipit ergo hunc argumenti mei sensum: *Quod Messias adeo clare revelatus fuit Israëli quando venit, ut eum esse non possit in dubium vocare: Ergo non erat necesse fidem in eum esse præceptam.* Verum hanc non esse genuinam verborum meorum interpretationem liquet vel ex ipsa Viri Doct. cui respondi quæstione. Quærit enim: *Cum fides in Messiam redemtorem futurum non minus necessaria fuerit à mundi exordio, quam in Deum creatorem, imo magis, &c. Quare Deus fidem in seipsum sæpissime & clarissime Israëli commendaverit in universo Vetere Testamento, & fidem in Messiam nusquam commendaverit, in quâ consistebat tota salus?* Ego respondi: Fidem nostram debere esse accommodatam revelationi divinæ. Unde duo deduxi. Unum, ad obligationem fidei sufficere revelationem veritatis, etiamsi Deus nullum addiderit credendi præceptum. Alterum: Fidem nostram esse vel distinctiorem, vel minus distinctam pro ratione revelationis divinæ. Istud illustravi duobus exemplis: Primo Dei, qui se Israëli adeo clare manifestaverat, ut ejus existentiam in dubium vocare non possent; ideoque obligatos fuisse Israëlitas credere Deum esse, etiamsi nusquam Deus præceperit, credetis Deum esse. Deinde & exemplo Messiæ, quem se missurum Deus prædixerat per Prophetas: ergo consentaneë isti prædictioni obligati fuere Israëlitæ credere, Messiam ad sui redemtionem venturum, etiamsi Deus nusquam expresse præceperit, credetis Messiam venturum esse. Sed & porro alterum explicare volui, ostendendo diversam rationem fidei ante adventum Messiæ, & post ejus adventum, pro ratione clarioris vel minus claræ revelationis officii ipsius. Olim officium Messiæ non fuisse Israëli plene ac perspicue revelatum; ideoque nec tunc expressam in ipsum fidem fuisse necessariam: Nunc autem munera Messiæ distincte ac clare esse revelata: ideoque Deum nunc distinctam & claram in Messiam fidem exigere. Sic respondi presse ad Viri Doct. quæsitum. Verum Vir Doct. longe aliam mihi attribuit responsionem: quasi voluerim dicere: Sicut Deus olim ita manifeste se revelavit Israëli, ut ejus existentiam, etiamsi maxime vellet, in dubium vocare non posset: Quod similiter nunc Messiam, quando venit, adeo clare Israëli revelaverit, ut eum esse non possit in dubium vocare: Ergo necesse non erat fidem in eum esse præscriptam. Quæ est argumentatio longe à mente mea aliena. Ego enim contra ea, quæ Vir Doct. ex quorundam Christianorum sententia supponit, dico; fidem distinctam in Messiam futurum à mundi exordio non fuisse necessariam; idque adstruo. Vir Doct. sibi imaginatur, me velle ostendere, quod necesse non fuerit fidem in Messiam præscribere, quia, quando venit, eum Deus adeo clare Israëli revelavit, ut ejus existentiam in dubium vocare non possit. Atqui sic nihil ad rem respondissem, sed plane extra oleas, ut ajunt, vagatus fuissem. Nam Vir Doct. quærebat de tempore ante adventum Messiæ sub Vetere Test. De illo tempore respondi, & quis fidelium sub Veteri Testamento status fuerit ostendi. At Vir Doct. concipit, me respondere de tempore sub Novo Testamento, cur necesse non sit nunc præscribi fidem claram ac distinctam in Messiam: Aut si concipit me loquentem de tempore

Veteris Testamenti, orationem mihi tribuit plane incongruam. Quomodo enim ego ex eo, quod Messias quando venerit adeo clare se revelavit Israëli, ut ejus existentiam in dubium vocare non posset, inferre possem; Ergo necesse non fuit fidem in eum esse præscriptam olim, cum nondum venisset neque se manifestasset? Incongrua hæc sunt, & plane contra intentionem meam. Præterea attribuit mihi responsionem, menti consentaneam Judæorum, non Christianorum. Judæi enim, & ipse Vir Doct. passim in hoc suo scripto, urgent, Messiam quando venerit ita clare se revelaturum, suamque majestatem ac gloriam manifestaturum, ut nemo eum ignorare possit. Christiani vero docent, licet Messias rationem muneris sui clare revelaverit, docueritque se regem esse non terrenum sed cælestem, adeo ut nemo Euangelium legens ambigere possit, quin regnum inibi descriptum sit cæleste: licet etiam Messias documentis illustribus comprobaverit se esse regem illum cælestem, quæ sufficiunt cuivis cordato, eaque sine præjudicio ac malevolo affectu consideranti, persuadendo: Non tamen docent, Messiam ita clare regnum suum cæleste Judæis conspiciendum exhibuisse, ut, etiamsi maxime vellent, id in dubium vocare minime possent. Norunt enim Judæos olim Messiam rejecisse, & hodiernos adhuc in infidelitate & rejectione Messiæ pertinaces esse vident. Sed voluit Vir Doctissimus mihi hanc assertionem adscribere, ut ita ex propria mea confessione deduceret, Dominum Jesum, quem nos colimus, non esse Christum seu Messiam, utpote qui se ita clare non manifestaverit, ut Judæi in dubium vocare non potuerint, eum esse verum à Deo ipsis promissum Messiam. Verum hæc obiter, ut Vir Doct. ex hac mea pleniore explicatione quid voluerim plene ac dilucide percipiat. Nunc pergamus.

Quo sensu Christus sedeat in solio Davidis. Agnoscit mecum Vir Doctiss. fidem nostram accommodatam esse debere divinis promissis: Verum contendit, Deum officia Messiæ sub Veteri Testamento non obscure sub figuris & umbris, quod contendimus Christiani, verum plene clare ac perspicue revelasse; quia revelavit manifeste regem terrenum, qui regnum Israëlis restituet, & sessurus est in throno Davidis, quod postremum Christiani agnoscimus. Atqui, inquit, *An David habuit thronum in cælo?* Sed vero, *solium Davidis* non proprie significat sedem regalem Davidis, sed illius imperium; nec, *sedere in solio Davidis* significat proprie, sedere in eadem sede regali in qua David sedit; in ea enim, quoniam jam diu interiit, Messias sedere non potest; sed idem imperium obtinere, quod David obtinuit. David autem obtinuit imperium in populum Dei, qui illo tempore erat Israël secundum carnem ex Abrahamo oriundus. Quicunque ergo imperium obtinet in populum Dei, quem Deus pro populo suo agnoscit, obtinet imperium & sedet in throno Davidis, licet multa in imperio illo sint immutata, quin & ipsa imperii sedes translata. Sedes enim imperii mutari & transferri potest, imperio manente eodem. Sic sede imperii per Constantinum Roma Constantinopolin translata, idem mansit imperium Romanum: Quod pluribus in regnis & imperiis contigit. Multa in regno mutari possunt, & nonnunquam ipsa regiminis forma; manente tamen eodem populo idem manet imperium: ut in imperio Romano, primo per Reges, deinde per Consules, Decemviros, &c. ac tandem per Imperatores ac Cæsares administrato, evidentissime apparet. Quod si tamen Vir Doctiss. contendat, magnum inter hæc duo regna esse discrimen: Non negabo: at tantum tamen non est, ut prorsus aliud debeat dici regnum; saltem ut Davi-

dis

dis regnum non possit dici typus regni Messiæ, per Davidis regnum adumbrati: Quod sufficit, ut Davidis regnum vocari possit: Perinde uti ipse Messias aliquoties vocatur David, quia per Davidem est præfiguratus; *Ezech.* XXXIV. 24.

Et typice hæc esse accipienda obiter ostendi, quia Prophetæ non minus Messiæ miserandam mortem, quam imperium prædicunt: illa autem cum imperio glorioso in terris consistere nequit. Occurrit Vir Doct. huic objectioni, aitque *cap.* LIII. *Esaiæ*, quod à Christianis huic rei probandæ ordinarie allegari novit, *nihil de Messia morte prædicere. Quia per servum Dei, uti ab Esaia passim, intelligatur populus Israël.* Verum caput illud attente legenti manifestum est, de uno singulari homine, non de populo sub unius persona repræsentato, sermonem esse. In *Psalmo* XLIV. longe alius est sermo: Loquitur enim propheta aliquando de se solo in numero singulari, tanquam populi parte, seu principe: plerumque autem in plurali sub persona totius populi. Esaias autem *cap.* LIII. solummodo de uno homine singulari, quem opponit populo integro, qui eum videt *despectum & virorum novissimum.* Deinde neutiquam populo Israëlis, peccatori, & propter gravissima sua peccata è terra sua ejecto & inter gentes disperso, ulla cum specie attribui potest, quod sit *justus*, quod *affligatur propter aliena peccata*, quod *animam suam posuerit* אשם, & quæ alia illius generis in capite illo occurrunt. At inquit Vir Doct. *Vix ulla in Novo Testamento capitis hujus mentio facta fuit ad comprobandum Messia mortem prædictam; cum tamen nullum illustrius ex Veteri Testamento potuisset adduci.* Resp. Locum hunc manifeste adductum, & Jesu Christo applicatum *Act.* VIII. 32, 33. Nec necesse est, locum hunc sæpius produci: sufficit, semel allegatum esse, & Jesu Christo applicatum. Et cum ipse Vir Doct. agnoscat, totum negotium, prout in Euangelio describitur, in capite hoc graphice depingi, nescio quid majus desiderare queat, ad probandum caput hoc de Messia agere; cum prophetiæ sensus optime ex illius impletione dignoscatur, quique antea obscurus & involutus fuit, per impletionem clarus evadat & manifestus, ut de eo amplius ambigi non debeat. *Sensus Esa.* LIII.

Addit Vir Doct. *Licet locus hic de Messia exponatur, nihil tamen inde concludi posse pro illius morte; quia per mortem & sepulchrum nonnunquam labores & flagella significantur; ut Ezech.* XXXVII. 12. 2. *Corinth.* XI. 23. *Significari ergo labores & pericula, quibus Messias ante perfectam regni revelationem, utpote bonus Judæus, in defensionem divinæ legis & populi fortasse exponendus erit.* Verum explicatio ista hic locum habere nequit, quia expresse *vers.* 8. *abscissus de terra viventium* dicitur: quod non de periculis mortis, sed de morte ipsa necessario explicari debet. Potest quidem aliquo sensu de eo, qui se ultro morti offert, licet non moriatur, dici, quod se in mortem tradiderit, id est, ad mortem obtulerit: nequaquam vero è terrâ viventium excisus dici potest. Et si de periculis tantum mortis hic agatur, qua ratione Vir Doctiss. asserere potest, *totum negotium, prout in Euangelio describitur, hic graphice depingi?* In Euangelio enim non tantum summi labores & pericula mortis, sed ipsa cruenta Jesu Christi mors prolixe narratur. *In eo prædicitur mors Messiæ.*

Non opus est pluribus hic Viri Doct. objectionem refellere, *quod in fine capitis dicatur, videbit semen & prolongabit dies, quod de mortuo nullo sensu dici potest.* Quia hæc non de Jesu Christo adhuc mortuo, sed ex morte in vitam æternam suscitato dicuntur; *Quomodo dicatur visurus semen.*

Nec de posteris secundum carnem ex ipso orituris; sed de semine spirituali, seu vere fidelibus, & per fidem in Dei filios adoptandis, accipienda sunt. Et quia hæc in illum, qui terrenum adepturus est imperium, minime quadrant, ideo nos Christiani, quibus Prophetiæ hujus impletionem, videre & innotescere contigit, urgemus, Messiæ destinatum imperium cæleste; & hæc optime, prout ipse Vir Doct. agnoscit, in D. Jesum Christum quadrare, eumque graphice depingere, qui mortem sustinuit, & ex ea suscitatus ad regnum cæleste evectus est. Fuitque hic duplex ejus status per illustrissimos in Veteri Testamento typos, præcipue vero per Davidem patrem ipsius, adumbratus, qui non nisi per varios labores, ærumnas ac afflictiones, quas à populo suo sustinuit, regnum Israëlis consecutus est.

Duo Messiæ à Judæis excogitati. Huic Esaiæ loco addere possemus *Psal.* XXII. *Zachar.* IX. 9. XII. 10, 11. Qui omnes, testibus etiam Rabbinorum præcipuis, de Messia expositi sunt. Deditque ea expositio aliis occasionem duos excogitandi Messias; quia hæc adeo clare illius afflictionem & mortem prædicunt, ut regi glorioso, qualis exspectatur Messias, minime convenire queant. Et licet hoc non sit de fide Judaica, sufficit mihi, adeo clare regis, quem Judæi secundum prophetias exspectant, prædici mortem, ut vel Rabbinorum eruditissimi id negare non possint: ideoque ut id cum sua exspectatione concilient, duos excogitasse Messias, unum filium Joseph occidendum, alterum filium Davidis gentium victorem & gloriosum.

CAPUT III.

Rationes ob quas Deus regnum spirituale Messiæ non clare, sed sub typis & umbris per Prophetas prædici voluerit.

A Prophetis non clare revelari Messias revelare debuit. CONveniens fuisse, ut Deus non clare ac plene statum Messiæ regni, sed involutius & sub umbris per Prophetas olim revelaverit, contra Viri Doctiss. assertionem, qui id Deo minus convenire contendebat, adstruxi, primo hac allata ratione: Quia *si Deus gratiam revelandam jam ante per Prophetas clare revelasset, nihil novi Messias revelare potuisset*, &c. Respondet Vir Doctiss. *Non est idem, prædicere, quod officium Messias facturus est, ac id ipsum officium facere.* Sed nec ego hoc contendi. Locutus sum solummodo de doctrina Messiæ, quæ claram regni cælestis revelationem, & modum eò perveniendi continet: Si jam ea per Prophetas clare & aperte, sine involucris & umbris prædicta fuisset, uti Vir Doctiss. in omnibus suis scriptis fieri debuisse contendit, quid quæso Messias, cum adveniret, porro revelare potuisset, quod non jam per Prophetas plene revelatum fuerit? Fateor, doctrinam suam miraculis confirmare, aliaque quæ muneris ipsius administrationem spectant, peragere potuisset; non vero doctrinam, Prophetarum doctrina perfectiorem, proponere: ideoque non dixi, nihil Messiæ reliquum fore, quod agat aut exsequatur; sed, *quid porro Messias, cum venisset, revela-*

revelaturus fuisset? Atque id etiamnum contendo ac urgeo: Omnia enim cum jam antea revelata forent, nihil ulterius revelari potuit.

Neque hic quicquam Deum misericordiæ suæ adversum fecisse contendo; eò quod, licet Regem promisisset terrenum, multo illustriorem miserit, nim: cælestem. Respondet Vir Doct. *Hac quidem vera fore, siquidem & à Prophetis secundum literam prædicta implesset, & simul celestia promisisset: Sed prædicta à Prophetis nullatenus efficere, & invisibilia promittere, quæ ab hominibus nulla experientia probari possunt, Israëli omnino fuit extraneum.* Summa responsionis huc redit, Jesum Christum non esse Regem cælestem, qui in cælo imperium in omnia obtineat, & cultoribus suis vitam æternam in cælo est largiturus: Id enim si crederent Judæi, non gravate admitterent, Prophetias sublimiore sensu impletas, cælumque Hierosolymis terrenis præferrent. Hoc autem contra Judæos denuo probare, supervacaneum foret, cum jam in præcedentibus abunde factum sit, ubi Religionis Christianæ veritatem contra Viri Doct. objectiones adstruxi. Unum tantum hic addam: Invisibilia, quæ Jesus Christus promisit, certissima experientia in sua ipsius persona esse comprobata: Quoniam ex morte est suscitatus, in cælum exaltatus, donatus gloria ac majestate, in testimonium omnibus in ipsum credentibus, quod eâdem gloria sint coronandi. *Non id adversatur misericordiæ Dei.*

Negat hic Vir Doctiss. *genus humanum fuisse sub ira ac maledictione divina; neque hoc à Christo in quatuor Evangeliis revelatum, sed postea esse excogitatum*: & contrarium probare conatur exemplo Enochi & Eliæ; tum Mosis, Davidis, totiusque populi Israëlis, cui Deus vult ab Aarone ejusque filiis benedici, nec non à Bileamo: Additque hic quædam de sententia Doctorum Christianorum de justitia divina quæ satisfactionem exigat, aliisque. Ad quæ postrema primum paucis dico; me semel dixisse, neutiquam me alligatum privatis Doctorum quorundam opinionibus (non magis quam Virum Doct. privatis alicujus Doctoris Rabbini sententiis) sed solam Scripturam Sacram fidei meæ regulam agnoscere; aliorum autem opinionibus extra Scripturam nolle teneri. Hisce præmissis pauca reponam, non omnia quæ ex fundamentis Christianismi, à Judæis non agniti, reponi possent, sed ex principiis nobis cum Judæo communibus. Ac primo quidem, quando loquor de ira ac maledictione Dei, me proprie intelligere reatum, quem homines peccatis suis contraxerunt, qui illos exponit iræ ac maledictioni divinæ. Ab illo autem reatu homines per Christum liberatos ipsa Euangelii doctrina est. Ut multa non congeram, videatur *Joan.* III. 5. ubi ipse Salvator Nicodemo dicit, *Nisi quis renatus fit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum calorum:* Illis verbis clare satis innuens, omnium hominum eum esse statum, ut regeneratione indigeant; & sine ea aditum ad regnum cælorum esse occlusum. Alibi dicit, *se venisse, ut quærat quod perierat*, *Matth.* XVIII. 11. Perierant ergo quos quærebat. *Matth.* I. 21. dicit Angelus Josepho, quod *Jesus esset salvaturus populum suum à peccatis suis*. *Joan.* I. 29. vocatur *agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ipse autem de se dicit, *Matth.* XX. 28. *se venisse, ut ponat animam suam redemtionis pretium pro multis.* Ne alia plura nunc allegem. Et ab hoc doctrina nihil diversum Apostoli in scriptis suis docuerunt. *Genus humanum fuisse sub ira Dei, docet Euangelium.*

Exempla Enochi & Eliæ, etiamsi concederetur eos Servatore non indiguisse, in computum venire nequeunt quando agitur de toto humano genere: & recte de toto humano genere dicitur, quod illi applicari potest duobus aut tribus forte exceptis. Idem dicere possu- *Occurritur exceptioni.*

possumus de Mose & Davide: quanquam Moses specie quadam incredulitatis, David adulterio & homicidio reatum coram Deo contraxerunt. Populum Israël Deus, cum in terram Canaan introducturus esset, *benedictum* pronuntiari voluit per Bileamum, quia terræ Canaan possessionem eo tempore illi tradere decreverat, omnesque se illi opponentes vires irritas reddere: Inde vero minime sequitur, omnes in populo isto Deo fuisse gratos, aut favorem Dei semper sensisse: Paulo enim post, ob fornicationem cum filiabus Moab & idololatriam cum Baal Phegor commissam, quidam è principibus populi sunt suspensi; & viginti quatuor millia è plebe interierunt, *Num.* xxv. Multo minus, populum idololatram, è terra sua ob gravissima scelera ac flagitia ejectum, Deo semper fuisse ac mansisse benedictum: Omnes quippe legis maledictiones in eum sunt effusæ. *Maledictio autem Dei & benedictio Dei* (verba sunt Viri Doct.) *eodem tempore circa idem subjectum suapte natura sunt incompatibiles.* At tempore adventus Christi populi status valde fuit corruptus; ac proinde iræ divinæ reatum contraxerat. Non autem contradictoria sunt, Deum ob peccata hominibus irasci; non tamen statim prorumpere ad pœnam; verum media salutis ipsis offerre; ut iis rite utentes iram divinam plene effugiant, & intensissimo illius amore, omnibusque beneficiis fruantur.

Promissa Dei non fuissent Israëli inutilia, si Messias sit rex cœlestis

Contra objectionem Viri Doct. *Quod promissa Dei fuissent Israëli inutilia & nullatenus expetenda*, dixeram, misericordiam divinam, & rationem regiminis divini circa populum Israël, requisivisse ut Deus regnum cœleste non aliter quam sub cortice regni terreni promitteret, consentaneè promissis Lege speciatim & clare contentis; ut ita regni illius exspectatione erigerentur, neque animis deficerent. Hic respondet Vir Doct. 1. *Eventum contrarium docuisse, quia amore regulæ, quam tot encomiis Deus extulerat, Israël Christum rejecit.* Sane id non tam factum est amore Legis divinæ, quam quod terreno regno inhiantes, & eâ spe pleni, ad illa Legis & Sacræ Scripturæ loca, quæ alia de Messia prædixerant, nollent animum intendere. Addit 2. *Poterat Deus utrumque Israëli præstare, & terrena bona, & sublimiora cælestia, ne Israël promissionibus falleretur.* Poterat sane Deus Judæos vivos, postquam bonorum temporalium omnimoda fruitione saturati, essent omnibus inspectantibus in cælum assumere. Sed an ideo hoc Israël à Deo requiret? Potuisset Deus jam ab initio Israëlem ita direxisse gratia sua, ut nunquam peccasset, atque ita semper in flagranti Dei gratia mansisset, neque captivitatis mala expertus fuisset; Deum tamen id noluisse certissimum est. Agnoscit in sequentibus Vir Doctissimus, siquidem Christus Judæos vivos secum in cælum assumsisset, quod in ipsum jure credere potuissent, licet nullum regnum terrenum erexisset. Habent ergo & fundamentum in Jesum ut Messiam credendi, modo constet ipsum in cælis regnare, & in se credentes ejusdem gloriæ cælestis participes facturum. Atqui promissiones ipsius confirmatæ sunt ipsius resurrectione, aliisque eam consecutis; ut in antecedentibus latius ostensum est. Nec minor est Viri Doct. error, quod velit *Deum tempore Messiæ ita Judæorum corda circumcisurum, ut immorigeri esse nequeant.* Maximum id impedimentum est serio considerandi Messiam qui jam venit, & ex signis quibus est descriptus eum agnoscendi: Quia enim non in se deprehendit operationem illam divinam animum ac cor ejus intus immutantem, tempus illud nondum advenisse sibi totus persuadet. Verum de eo in sequentibus fusius. Quam solidam ex Lege spem de vita æterna Israël peccator, ac præceptorum Legis graviorum transgressor concipere queat, in sequentibus expende-

pendetur. An vero ſpem præcipuam in illa ponat, an vero in terrena liberatione, facile dignoſcetur, ſi ingentes animorum motus in ipſis ad quoſvis rumores de novo exorto Meſſia conſideremus. Non jam recenſebo antiquiores impoſtores, Barchochebam, aliosque: videatur ſolummodo recens exemplum in Sabbatha Sevi, impoſtore illo Smyrnenſi, cujus fama plurimorum animi ita fuerunt erecti, ut nil aliud niſi regnum jam jam erigendum ſpectarent, & omnia illi poſthaberent.

Ex hiſce liquet, Deum in Prophetiis Meſſiæ regnum ut terrenum deſcribentem, ſeſe accommodaſſe populi ſui genio, ac proinde miſericorditer admodum Deum cum ipſo egiſſe, quod talis regni ſpe ipſos in obſequio legis continuerit; & tandem cum per varias afflictiones ſenſim multi eorum præparatiores evaſiſſent ad plenam regni cæleſtis revelationem recipiendum, clare abſque typis id revelaverit, atque ita majus illis præſtiterit, quam ſecundum literam per Prophetas promiſiſſe videri poteſt. Sed ſi omnia tam clare, & ad literam, in Lege promiſſa ſunt, quæ populo Dei ſunt exſpectanda: proferat Vir Doctiſſimus locum, ubi clare & diſertis verbis promittitur vita æterna Legis obſervatoribus.

CAPUT IV.

Occurritur objectionibus in contrarium.

VAria hic objicit Vir Doctiſſimus, quæ ſingula debito ordine conſiderabimus. Primo. Quod *in mediis afflictionibus Iſraël à Prophetis monebatur ut Legem ſervaret.* At hoc eſt quod ego contendo: Simul & erigebatur promiſſis de futuro Rege Meſſia. Sed, ait Vir Doct. *ſolummodo ut de circumſtantia aliqua liberationis.* Imo, inquam ego, ut de eo quod maxime in liberatione ſpectandum erat, & in quod præcipua liberationis exſpectatio ſpectabat. Hinc nata illa Meſſiæ elogia, quod *ſpes Iſraëlis* vocetur: quod plures ex Rabbinis ſcribant, *propter Meſſiam omnia, quæ in cælis & in terris ſunt, eſſe creata.* Verum, inquit, *eventus contrarium docuit; pauci enim Chriſto adhæſerunt; populus autem integer eum rejecit.* Reſp. Plurimos ex Judæis Chriſto fidem dediſſe teſtis eſt hiſtoria Actorum Apoſtolicorum: adeo ut Jacobus Apoſtolus dicat Cap. XXI. 20. quod *aliquot myriades Judæorum* in Chriſtum crediderint. Etiam ex primoribus aliquot in Chriſtum credidiſſe, non tantum Nicodemum & Joſephum Arimathæënſem, ſed & plures, teſtis eſt Joannes in ſuo Euangelio Cap. XII. 42. Qui Euangelium rejecerunt, affectu quodam carnali fuere occæcati, & nil niſi regnum terrenum ſpectarunt; quod cum à Chriſto erigi non viderent, in eum credere recuſarunt. Imo ait Vir Doctiſſ. *hoc fecere propter gloriam Dei.* Reſp. Me non negare, quod gloriam Dei ſpectaverint: ſed affectus quidam carnalis in cauſâ fuit, quod gloriam Dei iis promoveri crediderint, quibus non promovebatur; cæde ſcilicet illius, qui gloriam Dei maxime illuſtrem faciebat, & per quem Deus, quod antea ſub typis & umbris obſcure innuerat, clare & plene in lucem produxit.

Reſponſio ad aliquot objectiones.

De dissensionibus inter Christianos. Sed ait Vir Doct. *Nunquam tot difficultates, dubia, & varias intelligentias perpessum esse verbum Dei, quam sub Euangelio. In Ecclesia Israëlis nullas enatas sectas, nisi jam depravato seculo, & de rebus ad Legis essentiam non pertinentibus: A nascente autem Ecclesia Christiana fuisse sibi contraria Euangelia, dissidia inter Apostolos, & perpetuo in Ecclesia Christiana dissidia de rebus maximi momenti.* Resp. Euangelia optime inter se conspirare, si quis ea conferre velit, evidentissime deprehendet. Apostolos inter se circa fidei dogmata dissensisse nunquam probabitur. Una & uniformis ipsorum fuit fides. Post Apostolorum obitum varias inter Christianos sectas enatas indubium est: Verum illæ ex Euangelio, aut illius obscuritate, aut à Veteri Testamento discrepantia, ortum non habuere; sed hominum vitio introductæ sunt. Atqui dissentientes inter viros ejusdem nominis opiniones veritati religionis quam profitentur (& fortasse aliqui non nisi nomine tenus) nequaquam officit. Hoc enim si esset, religio nec Hebræa, nec Christiana, nec alia quæpiam potest esse vera; quippe quæ diversas sectas & produxit utraque, & aluit. Non exspectandum ut omnes, qui eandem religionem profitentur, & in ejusdem religionis professione nati sunt, sincere fidem & obedientiam præstent religioni quam à parentibus hauserunt: Non omnes sunt veri Israëlitæ, qui sunt ex Israële; nec omnes vere pii, & vitiorum puri, qui maxime conspicua Ecclesiæ membra sunt. Pravi, turbulenti, ambitiosi, maligni, in omni societate reperiuntur, qui res quietas turbare, dissidia alere, novitate aliqua inter cæteros eminere amant. Sed & ubi hujusmodi pacis perturbatores non reperiuntur, non desunt tamen, qui sincere veritatem quærentes (ita est ingenium humanum) in diversas abeant sententias. Hoc in legibus quibusvis interpretandis semper locum habuit, & habebit: multo ergo magis in iis quæ spectant æternam cujusque salutem, in quibus homo in hominem nullum jus habet ac potestatem. Idem ergo Euangelio evenisse, mirum non est. Præsertim postquam varii Philosophi doctrinæ Christianæ nomen tradiderunt: illi enim, vitio hominibus familiari, nimio erga proprias quas à magistris hauserant opiniones amore præoccupati, Philosophiæ suæ dogmata in religionem Christianam invexerunt; utque ea fælicius aliis persuaderent, Scripturæ verba ad sua placita detorquere inceperunt: inde inter Doctores dissensiones de Scripturæ sensu enatæ, plebe interim fide simplici Euangelio unice adhærente; nisi forte Episcoporum suorum autoritate etiam in partes traheretur. Inde variæ in Ecclesia Christiana sectæ enatæ. De præceptis autem, ac promissis divinis, aliisque in Euangelio revelatis, sine quorum cognitione salus obtineri nequit, contentio inter illas non fuit. Quod evidens signum est, non Euangelium, sed homines Euangelii simplicitatem propriis suis opinionibus vitiantes, dissensiones in Ecclesiam invexisse.

De dissensionibus Ecclesiæ Israëliticæ. Quod Ecclesia Israëlitica in principio variis opinionibus agitata non fuerit, causa fuit crebra Prophetarum, spiritu divino agitatorum, apparitio, quorum autoritati omnes auscultare tenebantur. Interim ingens illud sub Jerobeamo schisma Ecclesiam mire divulsit, ut nunquam postea in unam coaluerit: Multi in populo falsi fuere Prophetæ, misere populum, ac nonnunquam regem ipsum, seducentes. Et hæc quidem habemus in illa gentis Israëliticæ compendiosissima, quæ ad manus nostras pervenit, historia, indicia satis manifesta de dissentionibus in religione, etiam circa maxima ac præcipua. Adeo ut plane mirandum sit, Virum Doctiss. affirmare, *nullas in Ecclesia Israëlitica natas esse*

esse soclas, nisi depravato jam saeculo: Nisi istam sæculi depravationem tempore Jerobeami velit inchoatam. Quod si tam justam & copiosam Ecclesiæ Israëliticæ haberemus historiam, quam Christianæ habemus; non dubitandum, quin de dissensionibus, disputationibus, sectis religiosis, multa alia legeremus, quorum memoria in tantâ scriptorum penuriâ prorsus intercidit. Quis enim dubitare potest, cum populus ille jam huic jam illi cultui se applicuit, quin multa orta sint jurgia, contentiones, ac schismata de religione? Nisi dicere malit Vir Doct. integrum populum, se ad regis exemplum prono & cæco animo componentem, Deum vel Baal, aliosve Deos, prout ipsi libuerit, veneratum. Quod non credo Virum Doct. de integro populo dicturum: Saltem de Synedrio, quod in populo perpetuum & infallibile fuisse in sequentibus contendit, id affirmare nequit: credibile autem non est, Synedrium infallibile in oppugnandis idolis nullos è toto populo habuisse sequaces. Quod si tamen hoc Viro Doct. forte incredibile non sit, an id causæ ipsius, unanimem populi Hebræi in cultu Dei & Scripturæ intelligentia consensum asserentis, profuturum sit, ipse viderit. Tandem deficientibus Prophetis exortæ sunt sectæ Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum, inter se contendentes de rebus non exigui, sed maximi momenti; adeo ut Sadducæi mortuorum resurrectionem negaverint: Uti apud Iosephum legere est. Nec hodie inter Rabbinos disputationes de sensu Legis & Prophetarum cessant. Solummodo in eo unanimes sunt, ut Christum rejiciant, & circumcisionem, aliasque quasdam ceremonias, præsertim multas traditiones à Mose non præceptas, observent. Adeo ut Ecclesia Judaica à dissensionibus se liberam gloriari minime queat.

Pleniorem vero ac clariorem Dei cognitionem Euangelium attulisse, manifestum est Legem cum Euangelio sedatâ mente conferenti. Habemus in Euangelio claram remissionis peccatorum ac vitæ æternæ piis ac sincere resipiscentibus factam promissionem: præcepta pietatis clara, quæ Legis quidem scopo consentanea sunt, non tamen in Lege clare exstant, sed ex præceptorum quorundam generalitate solummodo per consequentiam eliciuntur; uti in sequentibus plenius ostendetur: præcepta ac instituta animum purgantia, non carnem tantum mundantia: ac denique regnum Dei per Messiam erigendum ita plene ac nude in Euangelio est descriptum, ut de ejus verborum sensu nulla dubitatio superesse queat; & quale illud regnum sit ex Euangelio plene constare possit. Nec obstat, quod quidam Christiani aliquod Christi regnum terrenum somnient. Hoc enim non contendunt ex verbis Jesu Christi, aut Apostolorum, quæ satis clara sunt: Sed quod simplicitatem verborum Christi deserentes, ea quæ typice à Prophetis prædicta sunt, plane secundum literam implenda cum Judæis sentiant.

Euangelium clariorem Dei cognitionem attulit.

Secundo objicit, *Ea quæ sunt de necessitate salutis Deus neque hyperbolice, neque figurative aut obscure hominibus enuntiavit.* Concedo. Sed addo, quamdiu ea tantum obscure & figurative Israëli fuere enuntiata, Israël non fuit obligatus sensum illum sublimiorem sub figura latentem agnoscere: nec illum credere obstrictus fuit, nisi postquam illum Deus per Jesum Christum ejusque Apostolos clare revelavit, & sub Prophetiis fuisse contentum aperuit: neque is sensus literali fuit contrarius, sed sublimior, cujusque literalis typus fuit. Typus autem antitypo, sicut nec umbra corpori, contrarius haudquaquam est. *At satius fuisset*, inquit Vir Doct. *non prædixisse, & postea facere quod ipsi placuerit; siquidem ea figurative prædicta in causa fuerunt, quod postea veris & figuratis fides ab*

Obscure enuntiata non sunt necessaria creditu.

 Israële

Israële non praestaretur. Resp. Cum constet magnam Israëlis partem fidem adhibuisse Evangelio, manifestum est non figurativam praedictionem, sed aliud quid in causa fuisse, quod alia Israëlis pars fidem non adhibuerit: de quo mox.

CAPUT V.

Quod sensus Scripturae spiritualis Judaeis prius sit revelatus quam Gentibus.

Sensus Scripturae spiritualis Judaeis prius est revelatus quam gentibus.

SEd contendit Vir Doctiss. quod hac ratione *Deus Israëli literam mortiferam dederit, gentibus vero spiritum qui vivificat.* Ad quod cum respondissem, Israëli hanc factam praerogativam, ut spiritus vivificans ipsi sit datus, antequam daretur gentibus; cum vero eum Israël contumaciter rejecerit, & in litera absque spiritu haerere maluerit, Deum, spreto Israële, illum communicasse gentibus: Multis Vir Doct. per digressionem satis prolixam probare contendit contrarium. Dicit itaque, se *per spiritum intelligere verum & spiritualem literae sensum.* Et ego idem intelligo: Sed istum gentibus revelatum probare non potest, neglectis Judaeis: Quin imo Judaeis primo eundem revelatum constat passim ex Actis Apostolorum. Contra Judaeos Apostoli D. Jesu resurrectionem & regnum caeleste comprobarunt ex Prophetarum oraculis, quorum mysticum sensum validissimis argumentis adstruxerunt.

Etiam à Christo dum in terris viveret.

Sed *spiritualis sensus non fuit à Christo dum viveret revelatus*: Et rationem reddit Vir Doctiss. in antecedentibus: *Quia si hoc clare docuisset, ut postea Paulus & condiscipuli, statim lapidaretur, ut Stephanus, nec tertium praedicationis annum adimpleret.* In quo sane gentis suae malitiam prodit, quod hominem innoxium & sanctum ob doctrinam veram ac divinam, quam miraculis manifestissime confirmavit, lapidibus obruituri fuissent. Verum longe errat Vir Doctiss. si credat, aliam D. Jesu in terris adhuc degentis, aliam Apostolorum, à Jesu in caelis gloriose regnante in omnes gentes & in totum terrarum orbem missorum, fuisse doctrinam. Quod enim observationem rituum legalium attinet, ad quos nunc sermonem suum deflectit Vir Doctiss. nusquam Apostoli docuerunt, illicitum esse Judaeis observare ritus Legis Mosaicae; solummodo gentes, quibus nunquam eae latae fuerunt, iis alligatas noluerunt. Quod nec ipse Vir Doctiss. diffitetur. Consensus ergo summus fuit doctrinae D. Jesu, & Apostolorum. Dicet fortasse: Apostolos docuisse, Legis Mosaicae ritus, figuras tantum & umbram fuisse cultus spiritualis. Sed vero, D. Jesus, si non iisdem verbis, aliis tamen rem eandem docuit. *Joan.* IV. 21, 23. dixit mulieri Samaritanae, *horam advenire, & nunc esse, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*; *non* autem *in monte* Garisim, *neque Hierosolymis.* Quo ipso satis innuebat, ritualem illum cultum cessaturum. *Matth.* XV. 11. refutaturus Pharisaeorum criminationem, quod discipuli illotis manibus panem manducassent, ait, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore,* *hoc*

hoc coinquinat hominem. Verum quidem est, Dominum nihil directe dicere contra legem ciborum discrimen statuentem, sed contra Pharisæorum traditionem: attamen ea utitur verborum generalitate, quæ manifeste satis innuunt, legem illam non esse immutabilem, nec in ratione ac naturali honestate fundatam.

Lex ceremonialis in morte Christi abolita est.

Non tamen expresse docuit, legem illam cessaturam, inquiet forte Vir Doctiss. Verum id est: sed needum tempus quo lex ritualis cessare debuit, advenerat. Christus, qui complementum legis erat, prius occidi debuit, atque in vitam resurgere, ut omnes legis typi in ipso suum haberent complementum: Sic docet ipse Paulus, quem Vir Doctiss. sed perperam, semper Christo opponere cupit, quod Christus in morte *chirographum decreti* (hoc est, legem decreta, quæ ritus exigunt, continentem) *deleverit, & cruci affigens de medio tulerit*, *Coloss.* II. 14. Ipse morte sua novum Dei cum hominibus fœdus sancire debuit, antequam vetus antiquaretur. Hinc sanguis ejus in morte effusus, vocatur sanguis *Novi Fœderis*, *Matth.* XXVI. 28. Sanguis nimirum victimæ fœderalis, quo Novum Fœdus sancitum est; perinde uti olim sanguine victimæ fœdus cum Israële sancitum fuit. Nondum autem sancito Fœdere Novo Vetus vigorem suum obtinuit, cui & ipse Jesus Christus subjectus fuit, docente Paulo, quod *factus fuerit sub Lege*, *Gal.* IV. 4.

Non fuit illicitum Judæis fidelibus eam observare.

Ut autem pressius respondeam, dico, quod nec Christus, nec Apostoli docuerunt, legem proprie abrogandam, aut illicitum esse Judæo legem observare: Sed docuerunt Apostoli, eam gentibus, quibus (ipsis fatentibus Judæis) nunquam data est, non esse imponendam: Judæorum vero respectu sponte erat cessatura, quando Deus eversâ Judæorum Republica & destructo templo, cui cultus ille ritualis maxima sui parte erat alligatus, illi finem esset impositurus. Cum vero conversi ex Judæis, quorum quidam zelotæ erant legis, gentes ad rituum observationem constringendas urgerent, necesse habuere Apostoli iis se opponere, & aperte docere, gentes sine rituum Mosaicorum observatione per fidem in Jesum Christum & sinceram pietatem posse salutem æternam consequi. Ita ut hic nihil docuerint diversum à doctrina Jesu Christi. Ut vero tanto magis convincerent zelotas illos legis, docuerunt, ritus illos tantum umbras ac figuras esse cultus spiritualis ac perfectioris per Christum introducendi; quod procul dubio non ita aperte docuissent, nisi Judæorum zelus doctrinam illam ipsis expressisset: sed providentiæ divinæ acquiescentes, Judæos simul ac gentes per judicium Dei in populum Judæum, & templi eversionem, de voluntate Dei, ritibus illis finem imponentis, convicissent. Non enim necesse fuisset id docere vel Judæos, vel gentes, ante Reip. Judaicæ finem. Non Judæos: Quia legem ritualem proprie non abrogavit Dominus, neque Apostoli, contrariâ doctrinâ, nec Judæis observatu illicitam pronuntiarunt; sed prædicarunt fidem in Christum, & rituum finem brevi instare per Reip. eversionem prævidebant; itaque sponte brevi desituros ritus supervacuum erat coram Iudæis declarare non necessario esse observandos: Præsertim cum doctrina illa ita exosa esset futura Iudæis, ut illius prædicatores, uti Vir Doctiss. affirmat, mox lapidaturi fuissent. Non gentes: Sufficiebat enim gentes convertere ad fidem in Iesum Christum, nec illis rituum observationem imponere. Non enim quicquam integritati fidei ipsorum defuisset, sive scivissent, sive ignorassent, legis Mosaicæ ritus esse figuras ac umbram cultus spiritualis Euangelici: ad salutem sufficiebat fides in Iesum Christum, & observatio manda-

mandatorum ejus. Verum cum Iudæi, indigne ferentes gentibus salutem prædicari sine rituum Mosaicorum observatione, gentes ad eorum observationem constringere voluerunt, illorum conatibus obsistendum fuit, & aperte docendum, gentes iis non teneri, posseque sine illis salutem consequi. Inde sequebatur quidem, nec Iudæo necessariam esse eorum observationem ad salutem obtinendum, & sufficere fidem in Christum; non tamen eam Iudæo esse illicitam. Et hanc eorum doctrinam Deus tandem eversione templi & Reip. confirmavit, ritibusque jam languentibus finem imposuit.

Judæis prius fuerunt revelata figura quam gentibus.

Adeo ut Apostoli nihil diversum docuerint à doctrina Domini Iesu: nec etiam neglectis aut præteritis Iudæis sensum Scripturæ literalem solis revelaverint gentibus: Verum Iudæos gentibus ceremoniarum jugum imponere cupientes refutarunt; atque ita Iudæorum perverso pro Lege zelo provocati, ac tantum non coacti, docuerunt, quod res est, ritus legis Mosaicæ non esse perpetuæ observationis, sed ad tempus institutos, donec tempora perfectionis advenissent: Atque ita Iudæos refutando, iisdem ultimam Dei intentionem de lege rituali clare revelabant, ac simul gentium libertatem vindicabant. Omnes quippe disputationes de cessatione legis ritualis ipsis fuerunt cum Iudæis: illis ergo primo & præsertim doctrina hæc proposita fuit: Cujus vel ipsa Epistola ad Hebræos illustrissimum est documentum, in quo rituum adumbratio typica plenius ac distinctius, quam in ullo Novi Testamenti libro, explicata & deducta est. Quæcunque ergo revelata ac prædicata fuerunt, Iudæis primo, deinde gentibus revelata sunt: Imo totum Euangelium ad gentes non fuit translatum, nisi prius repudiatum à Iudæis. Et quoniam ipse Vir Doctiss. affirmat, Stephanum lapidatum, quoniam doctrinam hanc clare docuerat, quo jure conqueri potest, sensum Scripturæ spiritualem revelatum gentibus, occultatum autem esse Iudæis: Cum Stephano cædes illata fuit aliquot antequam ulli è gentibus Euangelium esset prædicatum annis?

Christus se Messiam esse prædicavit.

Vir Doctiss. ut porro evincat, spiritualem literæ sensum Iudæis non fuisse revelatum, addit; Quod *neque etiam discipuli hanc doctrinam claram & apertam conceperint.* Unde vero hoc probat? *Quia ex eis solus Petrus dixit, quod erat Messias: & ipse respondit: Quod caro nec sanguis hoc ipsi revelavit, sed Pater.* Unde concludit: *Non ergo hoc clare docuerat.* Primo de argumentatione hac, deinde de re ipsa dicam. Quod itaque argumentationem attinet, idem quod me Vir Doct. alibi, nunc ego ipsum deprecor, ut attente textum illum legat & expendat, quin imo totam Euangelii historiam: statim deprehendet, glossam suam textui manifeste esse adversam. Solum Petrum ait credidisse, quod Iesus esset Christus. Solus quidem Petrus respondit; verum non suo peculiari, sed omnium nomine, omnesque responsionem Petri, se audientibus & adstantibus clare enuntiatam, consensu suo approbarunt. Ex verbis autem Domini, *Caro & sanguis tibi hoc non revelavit, sed Pater*, concludere, ergo hoc non clare docuerat, est illatio ita aliena & à mente Domini, & à veritate historiæ Euangelicæ, ut alienius nihil concipi queat. Primo enim hoc Joannes Baptista aperte testatus est coram suis discipulis, ex quibus primos suos discipulos D. Iesus collegit: *Joan.* 1. 29. *& seqq.* idque ita notum fuit inter eos, ut alter alteri diceret, se invenisse Messiam: Hoc Andreas dixit fratri suo Simoni, *Ibid. vers.* 41. & Philippus Nathanaëli, *vers.* 45. Et cum Ioannes in carcere duos ad Iesum mitteret discipulos, qui nomine Ioannis Iesu testimonium

nium perhiberent, *Tu es qui venturus es*: Iesus, præsentibus suis discipulis ex miraculis quæ plurima & omnis generis edebat veritatem testimonii Ioannis comprobavit, *Matth.* XI. 2, 3, 4, 5. Quin & in toto Euangelio se coram discipulis Messiam ostendit, ipsique eum ut Messiam honoraverunt. Sensus itaque verborum Domini, *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*, hic est: Humana industria hanc tibi cognitionem non conciliavit; nec conciliare potuit: sed eam habes per revelationem cælestem, quam Pater tibi per me communicavit, & miraculis confirmavit; quæ cum tu attente consideraveris, & cum doctrina meâ contuleris, in animo tuo penitus es persuasus me esse Christum. Non itaque hæc de immediatâ, sed mediata Patris revelatione intelligenda sunt. Quod enim Pater per Filium revelat, ipse Pater revelare dicitur: Consentaneè iis quæ Dominus dicit *Matth.* XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et tandem, admittatur explicatio Viri Doctiss. ad summum inde concluderetur, D. Iesum ante ingenuam hanc Petri confessionem non aperte discipulis revelasse, se esse Messiam: At cum Petrum coram discipulis ob hanc confessionem beatum pronuntiat, dicitque id ipsi à Patre suo cælesti revelatum, sine ulla circuitione, planis ac rotundis verbis se Messiam omnibus discipulis præsentibus professus est. Quomodo ergo ait Vir Doct. Christum dum viveret id nunquam revelasse. Imo nullam aliam ob causam, quam ob ingenuam hanc confessionem à Iudæorum senatu damnatus, & Pilato traditus est, ut cruci affigeretur. Aperte ergo satis dixit, se esse Christum, seu Messiam.

Non tamen omnia regnum ejus spectantia discipuli tunc cognita habuerunt.

Sed tamen non omnia quæ regnum Christi spectant cognita habuere discipuli; somniabant adhuc regnum terrenum. Verum causa unica fuit præjudicium commune Iudæorum, quod ipsos ita fascinatos habuit, ut licet Iesus expresse prædiceret, oportere ut ascendat Hierosolyma, & multa patiatur à scribis & senioribus & principibus Sacerdotum, ut occidatur, & tertiâ die resurgat, hoc non intellexerint, nec crediderint; sed necesse fuit, ut eventu ipso erudirentur.

Negandum tamen non est, non omnem rationem regni Iesu Christi Apostolis ante mortem Iesu ejusque resurrectionem & adscensionem in cælum fuisse revelatam, præcipue quæ vocationem gentium spectant. Decreverat quippe Deus primo Euangelium annuntiari Iudæis, & illis ad fidem conversis, aut Euangelium ingrate rejicientibus, gentes ad ejusdem fidei & salutis communionem vocare: Hinc & Iesus ipse solis Iudæis Euangelium prædicavit: & Apostolos primo ad solos Iudæos ac Israëlitas, non tantum in Iudæa degentes, sed & per omnes gentes dispersos, emisit, ipsique in initio solis Iudæis Euangelium prædicarunt: Noluit enim Deus statim Euangelium ad gentes deferri; ideoque nec Apostolis, qui ex communi Iudæorum præjudicio credebant Iudæis solis tantum bonum destinatum, in initio revelavit, Euangelium etiam ad gentes propagandum; ut ita Iudæis solis convertendis toti intenti essent. Quod si statim etiam ad gentes dimissi essent, quam avide calumniandi & criminandi materiam Iudæi arripuissent, quod ipsi scilicet negligebantur, gentibus vero esset annuntiatum Euangelium; Cum nec jam, cum nihil docuerint aut revelarint gentibus, nisi prius Iudæis revelatum, eorum criminationem evadant, quod *litera spiritum Israëlem non docuerint, sed gentes.* Ita ingratis nunquam satisfit; & quod ipsi beneficium indigne rejiciunt, sibi collatum præfracte negant.

Quod non statim Apostolis fuit revelatum, etiam gentes vocandas.

Quæ porro Vir Doctiss. sarcastice adjicit de Spiritus Sancti revelationibus, qui *non omnia simul Apostolis revelaverit, qui balbutierit cum Ecclesia in infantili ætate*, similiaque scommata; ea alio loco apud me non sunt, quam apud Virum Doct. hominis Ethnici contra Mosen scommata forent; si simili modo Mosen, aut potius Deum cavillari velit, quod cum Mosi in monte spatio quadraginta dierum totam legem revelaverit, &, ut Iudæi nugantur, omnia illa Pharisæorum deliria, quæ lege orali comprehensa volunt, exacte patefecerit, quæ rationem exequendæ legis continent, tamen Moses ignoraverit, quid in negotio filiarum Zelaphaad esset statuendum: adderetque sarcastice, *hoc servabatur à Deo Mosi postea revelandum.* Rationem jam dedimus. Spiritus Sanctus omnia ad salutem necessaria Apostolis revelavit, illique prædicarunt Iudæis. Quamdiu Euangelium ad solos Iudæos propagandum fuit, necesse non fuit Apostolis revelari, gentibus idem prædicandum. Maturo jam tempore, ob Iudæorum ingratam Euangelii rejectionem, Spiritus Sanctus Apostolis patefecit gentes esse vocandas, easque neutiquam ad observationem ceremoniarum legalium, quod conversi ex Iudæis præpostero erga legem zelo urgebant, constringendas. Dices. Hoc non docuerunt fideles ex Iudæis. Resp. Eo ipso quod hoc gentes docerent, etiam Judæos docuerunt; nam: non quidem abrogandas esse ceremonias, verum earum observationem ad salutem consequendum non esse necessariam. Qui enim contra Iudæos docebant, gentes sine ceremoniarum legalium observatione salutem posse consequi, docebant, earum observationem non requiri, ut salutem adipiscantur. Et hoc zelotæ illi satis cognoverunt, ideoque acrius se gentibus opponebant, & ad ceremoniarum observationem constringere volebant.

Decretum Apostolorum fuit in gratiam Iudæorum.

At, inquit, *quædam fuere decreta pro gentibus, ut abstinentia à sanguine, suffocato, & immolatis idolis; pro fratribus autem Judæis nil prorsus decretum fuit.* Verum longe errat Vir Doctiss. Hæc non in gentium, sed Iudæorum gratiam decreta fuere: gentibus enim hæc ad tempus, donec gentilismus & idololatria passim in mundo vigerent, fuere imposita tanquam onus, ut aliquatenus zelotis pro lege satisfieret: ita enim expresse inquiunt Apostoli, *Act. xv. 28. Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris quam hæc necessaria.* Quis unquam audivit, impositione oneris alicui gratiam fieri? Pro illo autem illud decretum recte dicitur, in cujus gratiam alteri onus aliquod decernitur. Interim omnes aperte docebantur, externorum ejusmodi observatione sinceram ac genuinam, quæ Deo ad salutem placeat, obedientiam non absolvi; Sed requiri puritatem animi, fidem in Iesum Christum, actusque externos pietatis animo tali consentaneos.

Paulus non simulavit.

Ad ea quæ de simulatione Pauli adjicit, paucis dico: Quod semper Vir Doct. sibi Apostolos depingat per omnia Iudæis Hispanis similes, suorumque popularium crimina hominibus ab omni fuco & simulatione alienis impingat. Nulla in Paulo fuit simulatio, quod Timotheum circumciderit, & ceremonias Nazareatus observaverit in templo, aut Iudæis factus sit Iudæus: licet enim ceremoniæ legales non essent observatu necessariæ, non tamen erant illicitæ aut vetitæ Iudæo: nullius amplius erant usus & dignitatis apud Deum; sed nec earum observatione peccabat coram Deo Iudæus. Qui itaque docet, ritus illos non quidem illicitos, attamen nullius amplius esse pretii apud Deum; & tamen eos observat ut indifferentes, ne infirmioribus offendiculo sit, isne Simulare dicendus est?

Col-

Colligit Vir Doctiss. *me opinari, siquidem ipse nunc in Jesum Christum, ut verum Messiam, crederet, & simul, ut conscientiæ suæ satisfaceret, ceremonias legis observaret, quod nullius esset criminis reus, & optimus ac orthodoxus Christianus:* Verum qua sequela talis opinio mihi tribuatur, ego non video. 1. Enim, alia nunc est ratio observationis ceremoniarum, destructo jam per sexdecim sæcula templo, & ceremoniis jam in Ecclesia Christiana plane exoletis, quam in initio, stante adhuc templo, & plurimis pro lege acriter zelantibus fidem Christianam amplexis. 2. Licet criminis aut impietatis non incusarem Virum Doctiss. non tamen eum orthodoxum, hoc est, etiam in hoc articulo recte sentientem, agnoscerem Christianum; sed ut infirmum tolerandum, non autem cum Inquisitoribus Hispanis flammis adjudicandum censerem. Audio esse, aut saltem ante paucos annos fuisse, Londini in Anglia Ecclesiam Christianorum, qui observant diem septimum, eumque, ut Legi Mosaicæ obedientiam præstent, pro Sabbatho suo observarunt; qui tamen nec pro Judæis, nec hæreticis, sed Christianis, at hac in re errantibus, habebantur. *Error est, ritus Legis adhuc observare.*

Sic & simul corruit, quod Vir Doctiss. addit; *Quo pretextu ea observari permittebantur?* Resp. Ut indifferentia; quorum observatio in Judæis tolerabatur, & simul, non necessaria esse aperte docebatur. Addit Vir Doct. *Talia non licebat agere, ut indifferentia, quia semper erant habita divina.* Resp. Fuerant etiam vere divina, sed ad tempus tantum instituta, donec adveniret corpus cui adumbrando inservierant. Observanda ergo, donec venisset ille Propheta, qui Mosis loco audiendus erat. Tolerabantur autem aliquamdiu in infirmioribus Judæis; sed brevi sponte erant evanitura, instante populi eversione, & templi destructione; tunc enim ceremoniæ, quæ jam languebant ac moriebantur, honeste sepulturæ sunt traditæ, & exinde penitus in Ecclesia Christiana evanuerunt: destructo nimirum templo, cui potissima cultus ritualis pars alligata erat, simul cultus illius finem advenisse, sibique cultum moralem absque ceremoniis, non ut cultui antiquo contrarium, sed ut ejus consummationem & perfectionem, placere, Deus declaravit. *Quomodo Judæis ritus Legis observare permittebantur.*

CAPUT VI.

De spe remissionis peccatorum & vitæ æternæ per Legem, aliisque.

Tandem è diverticulo in viam redit Vir Doctiss. & postquam quædam ad Judæorum excusationem dixit, quod non ex malitia, sed ex ignorantia invincibili D. Jesum rejecerint, quæ sequente Capite expendentur, refutare contendit, quod dixi, æquum non fuisse, ut propter sequentium infidelitatem Deus nullam antecedentium rationem haberet, qui promissionibus istis typicis de Messia maxime erigi, & in Legis observatione, pro statu in quo tunc erant, confirmari potuerunt.

Contra hæc contendit Vir Doctiss. *Quod promissio liberationis spiritualis nequaquam Israëli-* *Ex lege, sine respectu ad Messiam, vita æterna obtineri negatur.*

Israëlitarum animos conturbasset; quia nemo Judæorum servat, nec aliquando Legem servavit propter Messiam aut futuram redemtionem, sed propter vitam æternam consequendum. Resp. 1. Nemo Sadducæorum, qui tamen fat magno numero in populo Iudaico fuerunt, & quos resurrectionem mortuorum ac vitam æternam penitus negasse constat, spe vitæ æternæ consequendæ Legem observavit. 2. Non nego pios sub Vet. Test. vitam æternam sperasse: Eam autem ex pacto Legis, tanquam præmium juxta Legis formulam dandum, exspectasse, plane nego: Sed ex gratia divina, Legi non inclusâ, sed quam Deus propter Messiam piis exhibere voluit, licet illi hoc ignoraverint, aut saltem non nisi confuse & sub umbris in eam respexerint. Nam ex nullo promisso Legis, sine respectu ad Messiam, Judæi vitam æternam exspectare potuerunt. Quod argumentis aliquot ostendam.

Non exstat in Lege promissum expressum vitæ æternæ.

Primo: Nullum exstat in Lege clarum ac disertum vitæ æternæ promissum; sed omnia ejus promissa spectant vitam hanc terrenam, & fælicem in terra Canaan habitationem. Verum est, generalis vitæ promissio exstat in Lege: Atqui illa primo ac literali sensu significat vitam hanc præsentem in terra Canaan fæliciter degendam: Sub verborum generalitate quin vita æterna etiam comprehendi, atque ita ad sensum subliminiorem ea etiam extendi possit, non nego: Verum sensus ille non tam ex vi verborum fluit, quam ex gratiosa Dei extensione, qui cum decreverit gratiam in Messia majorem exhibere populo suo, ejusmodi verborum generalitate usus est, quorum sensum semper ampliare posset. Sed distincta ac specialia promissa Legis ultra hanc vitam præsentem non spectant. Quod vel ex ipsa Viri Doct. deductione in sequentibus evidentissime liquet. Quæ enim argumenta adducit, ad probandum ex Lege vitam æternam, magis ex analogia quadam & ratiocinatione à benignitate divina sunt desumta, quam ex Legis verbis ac claris promissis deducuntur. Uti illic ostendam.

Nec remissionis peccatorum.

Secundo: Variorum & gravissimorum, etiam juxta propriam Viri Doct. confessionem, peccatorum se Judæi constituunt reos. Lex autem talibus denuntiat pœnam mortis; nullum autem pro iis quo expientur constituit sacrificium, nec ullum habet remissionis ejusmodi peccatorum in Lege promissum. Atqui sine remissione talium peccatorum, vita æterna nullatenus obtineri potest.

Sensus Deut. xxx.

Dicet forte Vir Doct. promissum illud exstare *Deut.* xxx. Verum non est hoc promissum unicuique privato, sed toti populo factum, siquidem integer populus à Deo deficiat, & à peccatis suis ad Deum convertatur. Nec est promissum vitæ æternæ, sed restitutionis in terram Canaan, ex qua secundum comminationes Dei *Cap.* XXVIII. fuse denuntiatas, Deus populum idololatram ejiciet, & resipiscentem restituet; quemadmodum ipse Vir Doctissimus hoc in sequentibus ad Quæstionem secundam urget; inde enim argumentum desumit, Israëlem adhuc restitutionem in terram suam jure exspectare, si modo resipiscat. Nihil ergo hoc promissum facit ad spem vitæ æternæ.

Nam sacrificio minora tantum delicta sunt expiata.

Memini me in Judæi cujusdam disputatione legisse, quod promissum remissionis probare conetur ex solenni illa expiatione, qua Pontifex cum sanguine hirci pro peccatis totius populi immolati quotannis ingreditur in Sancta Sanctorum, ad peccata toto anno commissa expiandum; prout legimus *Levit. cap.* XVI. Verum res ipsa loquitur, non aliorum peccatorum expiationem hic promitti, nisi talium, quæ sacrificiis expiari poterant.

poterant. Cum vero graviora peccata sacrificiis expiari non potuerint, vel ipso Viro Doctiss. teste, *Num. XVIII. ad Quæstionem quartam*, ubi ita ait: ***Pro peccatis voluntariis, homicidio, stupro, adulterio, incestu, idololatria, & similibus, nullum à Deo præfixum est sacrificium***: Manifestum est, nec ea sacrificio hoc annuo fuisse expiata.

Sensus Esa. 1. 16. & Ezech. XVIII.

Addunt alii, promissa remissionis resipiscentibus facta, *Esa. 1. 16, 17, 18. Ezech. XVIII.* & alibi passim. Verum hæc sunt non tam promissa Legis, quam gratiæ Euangelicæ, quam Prophetæ illi jam propius prædicere, & quasi per transennam ostentare incipiebant. Promissa Legis proprie continentur libris Mosis: in illa itaque si remissionis æternæ promissum non exstet, nec Lege comprehendi dici potest. Prophetæ prænuntii fuere Euangelii: Quicquid ergo ultra Legem promittunt, proprie gratiæ Euangelicæ est, & Lege quid præstantius, & magis eximium.

Quo fundamento aliqui vitam æternam speraverint.

Posset nihilominus objici, sperasse plures vitam æternam. Agnosco: illiusque clariora habemus indicia temporibus insequentibus, quæ proxime adventum Domini nostri Jesu Christi antecesserunt, cum Judæi variis afflictionibus sub Antiocho aliisque tyrannis pressi, sensim maturescere inceperunt, & ad Euangelii receptionem præparari: Deficientibus quippe terrenis illis fælicitatibus in Lege promissis, animos ad sublimiora attollere cœperunt, vitamque aliam post mortem exspectare, cujus tunc inter fideles apertior & planior fuit traditio, quam in Lege disertis verbis contenta fuit. Interim & mansit illa terreni regni exspectatio, qua simul sustentabantur; neque illa, nisi per claram regni cælestis revelationem, ex animis Judæorum, imo nec Apostolorum ipsorum, evelli potuit.

Quod *nemo Judæum propter Messiam aut futuram redemtionem Legem servaverit*, non puto cum Viro Doct. reliquos affirmaturos Iudæos; quos certum est urgere, Messiæ adventum ob sua peccata differri, & quando debitam peccatorum pænitentiam egerunt, tum Messiam ad ipsorum liberationem adfuturum: Quin & idem Vir Doctiss. prolixe urget *Quæsiti tertii Num. IV. pag.* 102. Quod quomodo cum iis quæ hic dicit conciliari queat, ego non video.

Quam ob causam Judæi in Hispania occidantur.

Addit, ***nec nunc deficere Judæos in observatione Legis, quam per tot sæcula in hac diuturna captivitate constanter servant***; ***imo***, ut in sequentibus addit, ***incarcerantur, bonis temporalibus penitus destituuntur, & vivi propter divinæ Legis confessionem concremantur.*** Resp. Primo: Ipse Vir Doctiss. novit, in scripto suo fatetur, & in propria persona expertus est, persecutiones illas (quas ego toto animo detestor, & religionis Christianæ genio in tantum adversari credo ut nihil æque illi adversum esse queat) non ultro & sponte à Iudæis sustineri, quia se ingenue Iudæos fatentur; sed ipsos non tantum Legis omissione, sed & transgressione ac solemni abjuratione, & Christianismi simulatione ac aperta professione, eas evadere conari; quin & tormentis adigi, ut se Iudæos fateantur, neque mortem evadere, nisi tormentis animose resistentes in abnegatione Legis perseverent: Solos autem cremari qui tormentorum violentiæ succumbentes inviti professionem Iudaismi edunt, quique etiam, si Iudaismi abnegatione vitam redimere possent, alacri eum animo abnegaturi essent; uti plurium, qui frustra abjurationem illam obtulerunt, exemplo constat. Non cremantur tales pro legis professione, aut quia legem transgredi recusant; sed quia tormentis adacti se non esse Christia-

nos amplius negare nequeunt. Dissimiles plane magnanimo Eleasaro, qui vitæ redimendæ causa ne simulare quidem suillæ esum sustinuit, ne junioribus scandalum, legisque violandæ exemplum præberet.

Cogitationes Judæorum sunt carnales. Secundo: Quod in dispersione hac in observatione Legis constantes sint, nolo inficiari in plerisque etiam procedere ex spe vitæ æternæ; sed interim Messiæ exspectatio, & spes restitutionis in terram Canaan, animos eorum erectos habet, & in Legis observatione & constanti adhæsione perseverare facit. Utrumque itaque conjungunt, vitæ æternæ spem, & regni terreni per Messiam erigendi exspectationem; qua posteriore collapsa indubium mihi est, quin, fatentibus vel Iudæorum præcipuis, animis valde conturbarentur, & in amore Legis languescerent. Si idem antiquioribus, qui hodiernis est, Iudæis animus fuisset, omnino, si solus rex cælestis, & is quidem miserabili & ignominiosa morte, tanquam maleficus, occidendus fuisset promissus, Iudæorum animos in afflictionibus dejecisset; Nec eum, licet advenisset, recepissent, nisi ipsi oculis suis eum in cælum ascendentem conspexissent: Quod & ipse Vir Doct. hoc loco urget. Quin & tota Viri Doct. descriptio Messiæ cælestis, quem ait Deum potuisse promittere, nil aliud refert, nisi regnum terrenum, adeo alte opinio illa omnium Judæorum animis videtur infixa, ut etiam quando de regno cælesti loqui volunt, eam evellere nequeant. Ait enim, *Messia mortem, si à Romanis occisus fuisset, Judæi lamentarentur.* At quomodo lamentarentur mortem, ex qua Messias triduo post fuit resuscitatus, & post quadraginta dies ad cæleste regnum evectus, omniumque Dominus constitutus? Addit: *Potuisse Deum per Messiam in cælo collocatum, uti antea per Angelum in deserto, tanquam per instrumentum, omnia quæ Iudæi exspectant, effecisse; ut ita Deus populi ante & post Messiam viventis eandem habuisset providentiam.* Atqui providentia divina ante Messiæ adventum Israëli regnum terrenum exhibebat: quod maxime diversum est à cælesti: Ut itaque eadem sub Messia esset providentiæ divinæ administratio, (ut Vir Doctiss. urget) iterum requirebatur regnum terrenum. Ex quibus omnibus videmus, quam parum conveniens & inefficax fuisset, populum, adeo terreno regno affixum, aperta regni cælestis promissione erigere & in officio continere.

Promissis de regno terreno Deus populum non decepit. Non tamen Deus propterea dici potest *eos decepisse, aut quod voluerit, verba sua alio sensu ab illis intelligi, quam præ se ferunt:* Deus enim se accommodavit captui populi, locutusque cum eo est, perinde atque pater cum infantibus loqui solet, qui se eorum ætati accommodat; postea ubi adoleverunt plenius mentem suam, ad quam plene percipiendam antea idonei minime fuerant, aperit. Non enim populum voluit constringere, ut necessario verba sua de regno terreno accipiat: contra, si qui generosioris animi & altioris indaginis post accuratum omnium de Messiæ regno prædictarum circumstantiarum examen & inter se collationem, majus quid sub literæ cortice latere animadverterint (quales non paucos fuisse credo, præsertim ultimis Reip. Judaicæ temporibus; adventante enim sole prænuntia lux sensim augebatur) ac proinde excellentius quid exspectaverint, licet plene nondum perceperint quale istud esset, tantum abest ut illi Deo, tanquam à vero sensu verborum ipsius recedentes, ingrati fuerint; ut contra hæc ipsorum exactior notitia & exspectatio Deo quam maxime grata fuerit, utpote altius in genuinum & ultimum, quem intendebat, verborum suorum sensum penetrans.

Hæc

Euangelium legi non est contrarium.

Hac occasione quædam dixeram de fide, quæ piam animi docilitatem requirat. Regerit Vir Doctiss. ***hoc esse generalissimum & omnibus sectis commune.*** Sane jure merito omnes piam animi docilitatem requirere possunt: Quod & ipse Vir Doctiss. paulo post agnoscit: sed addit, ***non debere Judaos esse ita blandos & dociles, ut à constantia in ea quam receperunt vera fide, aliorum hominum suasione, imo ne Angeli (siquidem possibile foret) contraria doctrina amoveantur.*** Et hoc vere dicit: Qui enim semel vere persuasus est de doctrinæ suæ veritate & divinitate, nullis suasionibus induci debet, ut contrariam amplectatur, suamque ut falsam rejiciat. Verum hoc instituto ipsius male applicatur. Non enim Euangelium Legi est contrarium; sed explet ea quæ in Lege erant ut futura promissa; supplet, quod suo tempore erat addendum. Euangelium non asserit, Mosis Legem esse falsam & rejiciendam: Ejus divinitatem agnoscit & præsupponit: tantum docet, ritualia, quæ tempore separationis Israëlis à gentibus sunt instituta, & Israëli propria, sub Messia, quando omnes gentes (juxta Prophetas) denuo cum Israële in unum populum sunt coalituræ, sponte desituras & melioribus cessuras; perinde uti leges bellicæ tempore belli rigide quidem sunt observandæ, pace vero facta sponte cessant. Verum de hisce ad quartam quæstionem latius.

Clara revelatio de regno Messia tempore Mosis non fuit necessaria.

Addit Vir Doctiss. ***Fidem quam Deus ab hominibus exigit non obstare, quo minus Deus clare revelet id quod vult nos credere, aut cui vult nos obedire.*** Recte quidem. Cui etiam addo, quod ubi Deus exigit claram & distinctam fidem, ibi ratio & æquitas exigit claram & distinctam revelationem. Sed quid inde infert Vir Doctiss. ***Ergo clara & expressa revelatio de regno Messia cælesti Iudais tempore Mosis erat necessaria.*** Id vero neutiquam sequitur: quia clara ac distincta de illo fides tunc non erat necessaria: Sufficiebat obscurior ac involuta: obscuræ autem fidei obscura sufficit revelatio. Satis clara erat de Messia venturo promissio. Qualis vero esset futurus, quomodo populum Dei liberaturus, tunc clare erit credendum, quando clare fuit revelatum. Sed de alicujus Prophetæ revelatione, qui autoritatem suam à Deo acceptam miraculis testatur, non opus est ut ab alio Propheta prædictum sit. Quod Deus populum suum è servitute Ægyptiaca reducturus esset, ex prædictione Jacobi & Josephi constabat: Quod vero Moses is erat, per quem liberationem illam efficere Deus voluit, non ex illis prædictionibus, sed ipsius Mosis miraculis, persuasum erat. Parem in Christo rationem inveniemus, nisi quid illius conditio, nascendi locus & tempus, mortis circumstantiæ, & plurima alia ad illum spectantia etiam prædicta sunt: De Mose ne verbum quidem. Adeo ut, si Mosi propter miraculosa opera sua credendum sit, sine Prophetarum prædictionibus: quare itidem Christo ob sua etiam miraculosa opera credendum non est? Cum quæ de Messia prædicuntur plurima sensu literali, omnia sensu mystico & spirituali in eum, qualem se ipse manifestavit, optime conveniant. Et si ille à Doctoribus Judæorum in Scripturæ interpretatione differat, cui potius credendum? An Scholæ & Synagogæ, ubi nihil non humanum, adeoque errori obnoxium? An hujusmodi Prophetæ, qui miraculorum perspicua multitudine præsentem sibi adesse Dei Spiritum ubique testabatur? Quare concludo, aut Mosi esse renuntiandum, aut Christo credendum. Sed Vir Doctiss. ut prætextum habeat quod Judæi jure Jesum Christum rejiciant, semper urget, quod Deus, quando per Prophetam aliquid revelat, ita clare & evidenter convincere populum debeat, Prophetam illum à se missum, ut nemo etiamsi contumax esse

 velit,

velit, ejus missionem in dubium vocare queat; Ego vero affirmo sufficere ejusmodi probationes & argumenta, quæ viro probo, cordato, & rem recta judicii lance expendenti persuadendo sufficiunt; & naturam fidei, quæ voluntarium animi est obsequium, non permittere ut tanta sit evidentia, cui, etiamsi maxime velit, quod refragetur nihil reperire possit: Qualis evidentia in demonstrationibus Mathematicis reperitur. Talia autem argumenta, quæ hominibus probis ac cordatis persuadendis abunde sufficiant, ad Jesu Christi divinam missionem comprobandum à Deo esse exhibita, jam ante plenius ostendi.

Christus jure dicit, Ego dico vobis.

Objicit autem hic Vir Doctiss. D. Jesu, ***quod non dixerit cum Prophetis, Sic dicit Adonay: sed; Ego autem dico vobis: & fidem in se exegerit.*** Sed frustra. Dominus enim continuo affirmat, se ***nihil quicquam posse facere à se, nisi viderit Patrem facientem, Joan.*** v. 19. omnemque suam potestatem se à Patre accepisse, affirmat ***ibid.*** idem prolixe facit ***Cap.*** VII. VIII. X. & alibi, omniaque quæ facit ad Patris sui gloriam refert. Unde & diserte ait, ***Qui credit in me, non credit in me, sed in illum qui misit me. Ioan.*** XII. 44. Cum ergo ***Pater Filio tradiderit omne judicium, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem***, ut est ***Ioan.*** v. 22, 23. consentaneum etiam fuit, ut diceret, ***Ego autem dico vobis***, quatenus nimirum à Patre judicandi potestatem adeptus. Ita ut honor quem sibi tribui exigebat, non in ipso terminaretur, sed ad Patrem, qui ipsum potestate illa donaverat, referretur, adeoque gloriam Dei præ omnibus spectaverit. Nec magis hic reprehendi potest à Judæo D. Jesus, quam Moses, qui non semel dicit, ***mandatum quod ego præcipio tibi***, &c. ***Deut.*** XXX. 11.

CAPUT VII.

Quod Iudæi non ex ignorantiâ invincibili D. Iesum rejecerint.

Discrimen inter Judæos antiquos & hodiernos.

QUando Doctores Christiani Judæos malitiæ accusant, eo quod D. Jesum rejecerint, proprie respiciunt Judæos qui tempore conversationis Jesu Christi in terris, & immediate post eam vixerunt: qui non tantum innocentiam & sanctitatem vitæ, sed & innumera & vere stupenda, nunquam antea audita, miracula Jesu Christi viderunt; qui Apostolorum, hominum rudium & inexercitatorum, summam sapientiam, momento acquisitam, & divina miracula, quibus testimonium suum de resurrectione & adscensione Christi in cælum confirmarunt, oculis suis adspexerunt. Aliam scimus hodiernorum esse rationem, qui ipsi miracula illa non viderunt, quique per patrum suorum traditionem gravissimo erga Christianam religionem præjudicio imbuuntur. Prodigia coram conspecta validius movent, quam ex aliorum narratione solummodo cognita. Accedit, quod Christiani ipsi, aut saltem Christiano nomine ornati, multa Judæis scandala objiciant, quibus eorum animos, satis per se à religione Christiana alienatos, alieniores reddunt: Qui sicuti se gravis coram Deo criminis reos constituunt, ita Judæorum aversationi

ſationi corruptis ſuis moribus, cultu, & crudelitate, excuſationem aliquam afferunt.

In hominem miraculis clarum totus populus odium exercere poteſt.

Ut autem Judæos à malitiæ crimine vindicet, ait Vir Doct. ***Fere excogitari nequit, quod in hominem, qui mortuos ſuſcitat, cæcis viſum concedit, ægrotos ſanat, & infinita edit miracula, totus populus malitiam & odium exerceat.*** Sed quid juvat argumenta congerere, ut evincatur factum non eſſe, quod factum eſſe conſtat? Certum quippe eſt, non Chriſtianis tantum, ſed & ipſis Judæis fatentibus, Jeſum Chriſtum eſſe crucifixum, à Judæorum ſenatu ut blaſphemum condemnatum & Romanis traditum: Certum etiam eſt, miraculis ipſum claruiſſe: ſolummodo contendunt Judæi, miracula ejus non virtute divina, ſed vi magica eſſe effecta: De quo nihil nunc dicemus. Miraculis ac beneficiis ſuis multorum animos ſibi conciliaverat: ingenua ac libera ſua reprehenſione Scribarum ac Phariſæorum ac Sacerdotum à ſe alienaverat animos: qui omnes conſpirantes eum condemnarunt, ac autoritate ſua populum in partes ſuas traxerunt; adeo ut omnium beneficiorum ejus oblitus cæco impetu à primoribus ſuis inſtigatus, necem ejus expetiverit: Quemadmodum plebs ab ore Doctorum ſuorum pendere ſolet, & eorum judicio blaſphemiæ & hæreſeos condemnatos, licet vitæ integerrimæ & alias maxime dilectos, execrari ſolet ac diris devovere: Uti omnium temporum hiſtoriæ docent. Hinc eſt, licet Rabbini, vitia populi pro concione reprehendentes, libenter audiantur; nemo tamen eorum ſententia excommunicatum, licet antea maxime honoratum, diligere, aut illi charitatis officia exhibere audeat, ſed tanquam profanum horreat.

Quo ſenſu malitia Judæis tribuatur.

Sed objicit mihi Vir Doctiſſ. Apoſtolum Paulum, ***qui de ſe dicit, quod ex Zelo legis Chriſti ſequaces perſequeretur, & de Judæis, quod ex ignorantia Chriſtum crucifixere: quin & ipſum D. Jeſum, qui in cruce pendens ita Patrem oravit, Pater ignoſce eis, non enim ſciunt quod faciunt.*** Reſp. Quando malitia objicitur Judæis, mens non eſt, quod omnis abfuerit ignorantia, & quod Judæi in animo ſuo perſuaſi Jeſum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam promiſſum, nihilominus eum interfecerint. Quis ad illum malitiæ gradum prolaberetur? Sed quod cauſa ignorantiæ ipſorum fuerit malitia quædam animi. Non ergo fuit invincibilis ignorantia, aut mera ignorantia abſque omni Judæorum culpa; ſed fuit in illis quædam hypocriſis, quod exactâ traditionum à parentibus acceptarum obſervatione crederent ſe Deo gratos; fuit faſtus quidam & ambitio, qua ægre ferebant vitia ſua taxari, atque ita autoritatem ſuam coram plebe aliquatenus imminui: A quibus vitiis hodiernos Synagogæ præfectos eſſe immunes nec ipſe Vir Doctiſſ. affirmare audebit. Inde ortum odium contra Chriſtum libere ipſos & palam reprehendentem. Acceſſit præjudicium de regno terreno, per faſtum & ambitionem altius infixum; quod junctum odio contra Chriſtum, in cauſâ fuit, quod & doctrina & perſona ipſis ingrata fuerit; inde orta eſt in ipſis perſuaſio, fieri non poſſe, eum eſſe Meſſiam: Qua perſuaſione cum ſemel eſſent imbuti, omnia illius in ſequiorem interpretati ſunt partem, & ſibi perſuaſerunt, omnia ſibi contra Jeſum eſſe licita, quin & forte, quod illius cædes Deo gratum eſſet futura ſacrificium. Sic fuit ignorantia in Judæis, verum non invincibilis; ſed ex culpabili cauſa, & quæ abeſſe poterat & debebat, originem trahens.

Senſus verborum Domini Luc. XXIII. 34.

Dominus itaque in cruce pendens Judæorum cauſam Patri ſuo commendans, quod eorum crimen aggravat tacuit; & fidelis inſtar patroni id tantum protulit, quod illi aliqua-

aliquatenus excusando servire poterat: ignorantiæ adscribit, quæ etiam aliqualis in illis erat: non autem ab omni malitia eos puros pronuntiat. Et quis credat, Iesum Christum, qui variorum criminum eos insimulaverat, & speciatim etiam injuste effusi sanguinis Prophetarum, & quod sanguinem Prophetarum, quos ad ipsos missurus esset, hoc est, suorum Apostolorum, essent effusuri, ac propterea horrendo excidio exscindendi, *Matth.* XXIII. Judæos in se innoxio & bene merito occidendo, ab omni malitia puros pronuntiasse, ac crimen illud horrendissimum ignorantiæ invincibili adscripsisse? Idem est sensus Apostoli Pauli, quando Judæis ignorantiam adscribit, nim: non invincibilem, sed quæ ortum suum malitiæ culpabili & facile vincibili debet.

Exemplum Pauli.

Ipsius Pauli alia longe ratio est: nulla in eo fuit animi malitia, sed vehemens & cæcus pro Lege zelus, qui impediebat, ne Christum ejusque doctrinam prout oportet consideraret & ad examen revocaret, sed cæco impetu rejiceret. Licet itaque hic minor multo fuerit culpa, & ignorantia excusatior, non tamen fuit invincibilis. Neque id Apostolus de se affirmat; sed contrarium, quod fuerit illo tempore *peccatorum primus*, seu maximus, 1. *Timoth.* 1. 15. quod nemo ob factum per ignorantiam invincibilem, quam à crimine penitus excusare omnibus notissimum est, commissum de se pronuntiabit.

Non necesse est ut totus populus perinde ut Paulus in tertium cælum rapiatur.

Sed ait Vir Doctiss. *Cur ergo omnes Iudæi non sunt etiam in cælum rapti ut Paulus?* Respondeo verbis Viri Doctiss. ad *Quæst. III. Num. 3. pag. 98. Hæc speculatio cum ad Dei abditum inexscrutabile secretum adscendere affectet, ad eum satius foret inquirentem mittere.* Ne tamen responsionem declinare me credat Vir Doctiss. addo: Paulus absque isto in cælum raptu credere potuisset, & procul dubio credidit: (non enim constat, nec verisimile est, raptum illum in tertium cælum fuisse illam cælestem Christi apparitionem quæ Paulo Damascum proficiscenti contigit, & per quam conversus est) sed ea Paulo contigit ut esset Apostolus, & vere de Christi gloria testari posset, quod eum vidisset; quia Christum hic in terris versantem non viderat, perinde uti reliqui Apostoli. Si aliquis itidem rogaret, cur non alii populi à Deo eodem modo quo Israël sanctificati, & ad conspectum Dei legislatoris sint admissi, cur Jacobus electus & Esavus repudiatus, & plurima ejusmodi; nonne Vir Doctiss. miraretur intemperantiam ne dicam an impudentiam hominis, rationem requirentis providentiæ divinæ munera ac beneficia sua distribuentis? Quasi Deo non permissum sit, idoneos ad certa officia homines eligere, nisi aliis rationem reddat; vel hoc non possit fieri à Deo, nisi ejus consilii participes faciat homines, adeo ut semper rationem reddere possint, quare hoc potius quam illud factum sit? Visum est sapientissimo Deo Samuelem, Eliam, Elisæum, aliosque subinde Prophetas Spiritu suo illuminatos, & visionibus divinis supra alios homines elevatos, ad populum suum mittere. An inde viro cordato hujusmodi quæstio oriri potest, cur non etiam totum populum ad eam dignitatem evexit? cur itidem universæ plebi somnia & visiones non concessit? Placuit Deo novum præconem Euangelii duodecim Apostolis adjungere; placuit ob causas soli Deo notas Paulum eligere: An igitur, quia Paulus ut Propheta populo mittendus erat, totus etiam populus eodem modo initiandus fuit? *Sed toti populo ostensa est olim in deserto gloria Dei.* Resp. Et toti populo non minor Dei gloria ostensa est omnibus illis prodigiis, quæ coram omnibus per Iesum Christum, & per Apo-

Apostolos in nomine Iesu Christi edita sunt. Sed non vidit ea quæ Paulus vidit. Nec populus olim cum Mose fuit in monte, nec omnia vidit quæ Moses vidit; nec Deum ea loquentem audivit, quæ Moses audivit; sed Mosi ea referenti, ob ea quæ vidit, fidem habuit. Ita & Apostoli ob ea quæ ab ipsis & propter ipsos fieri videbantur, fidem meriti sunt.

Carnalis Iudæorum affectus fidem in Christum impedit.

Quæ ergo causa est, quod Iudæi Iesum, siquidem sit Messias, non receperint? Sane ex ex antedictis jam facile colligi possunt. Verum indigne fert Vir Doct. quod inter causas illas recensuerim carnalem quendam affectum, qui terræ ita sit affixus, ut animum ad cælum & cælestia minime attollere velit. Quærit, ***qua in re carnalis ille affectus consistat? an in amore patriæ & bonorum temporalium, an in doctrina carnali spirituali opposita, an in utroque?*** Respondeo: In amore patriæ & bonorum temporalium. Quamquam enim certum sit externis ritibus valde esse addictos Iudæos, ideoque abhorrere à doctrina Iesu Christi, quæ ritibus illis abolitis internam animi sanctitatem, ritibus illis adumbratam, unice exigit; tamen ad ea hic non respexi: Quare & quæ Vir Doctiss. prolixe hic disserit de perfectione Legis, quæ nullâ in parte Euangelio cedat, commodius in sequentibus expendentur. Carnalis ergo affectus quidam animos eorum terræ Canaan ita affixos tenet, ut regnum terrenum ibi exspectent, & cæleste non apprehendant.

Sane terram illam jure potuisse Israëlem olim diligere, nemo inficias iverit: cum & Abrahamo ejusque posteritati à Deo sit promissa, & longævam ac omnibus bonis affluentem habitationem populo legem observanti Deus promiserit, ac proinde amore ejus ad legis observationem populum excitare voluerit: tantum abest, ut illius amor cum amore Dei consistere nequeat: Sicut & divitiarum possessio cultui Dei neutiquam officit; sed cultus Dei legitimum earum usum producit. Verum ostendunt carnalem affectum Iudæi, quod eundem erga patriam illam amorem servent, postquam Deus meliorem illius loco ipsis obtulit, & ob terræ illius amorem impediantur, quo minus ea quæ Deus de regno cælesti, sub involucro terrenorum, prædixit, ad animum revocent, nec attendant ad ea, quæ in Prophetis prædicta sunt, ex quibus discere possent, si omnia accurate inter se conferantur, sublimius quid Deum innuere voluisse; præsertim, postquam Deus per Messiam, quem ipsis misit, clare id revelaverit. Amorem vitæ æternæ Iudæis absit ut denegem: Quis enim aversetur beatitudinem? Verum & amor terræ Canaan, & regnum Messiæ terrenum ita occupavit eorum animos, ut evelli nequeat.

CAP.

CAPUT VIII.

Quod ea quæ sufficiunt ad gentibus suadendum Euangelium, etiam sufficere debeant Iudæis.

Quæ sufficiunt gentibus suadendis sufficere debent Iudæis.

CRedit Vir Doctiss. argumenta quæ protuli sufficere quidem suadendis gentibus Euangelium, non vero Iudæis. Ego autem contendo, quæ sufficiunt suadendis gentibus, ea etiam Iudæis sufficere debere: Quia non poterat gentibus sufficere revelatio, nisi quæ sufficientibus documentis probari potest esse divina. At quid magis à Iudæis exigi potest? Quod enim sufficientibus argumentis probari potest esse divinum, id apud quemcunque, Iudæum æque ac gentilem, fidem meretur, & ab utroque æqualiter recipi debet.

Euangelium non congruit doctrinis gentium.

Explicat nunc Vir Doctiss. mentem suam, quod noluerit dicere, ***argumenta hæc, utpote valida & vera, sufficisse pro gentibus:*** Itaque fateor me hac ratione argumentum istud contra Virum Doctiss. retorquere non posse: Quid ergo? ***Quod gentes propter suam inscitiam mu facile potuerint convinci, non enim habebant principia illi repugnantia, sed similibus, qualia de Christo narrantur, erant assueti.*** In eo autem valde fallitur Vir Doct. Plane adversa est doctrina Euangelii doctrinis gentilium. Nihil ipsos magis offendit, quam Christi crux: ideo & Paulus ait, ***Christum crucifixum gentibus esse stultitiam:*** & passim Christianis à gentibus illusum est, quod in crucifixum Dominum crediderint. Ipse doctrinæ genius, quæ seipsum abnegare, quin & vitam pro nomine Christi profundere, & abnegatis præsentibus futura & invisibilia sperare jubet, adeo alienus est à gentium doctrina & indole, ut statim atque inter gentes propagari cæpta est, acerrimos experta sit adversarios, totiusque mundi odium ac crudelissimas persecutiones sustinuerit. Illis autem animose restitit, & superior evasit, & late se disseminavit: Quod fieri non potuit, nisi divinitate sua hominum animos in obsequium traxerit. Posterioribus sæculis magnam esse invectam corruptionem quæ gentilismo originem debet, dolentes agnoscimus. Verum eam non esse Euangelii doctrinam, sed ab Euangelio defectionem, Euangelium legenti manifestum est: Neque quoniam hæc à gentibus desumta facile à gentibus recepta sunt, inde consequentia deduci potest, puram ac sinceram Euangelii doctrinam, gentium doctrinæ & indoli fuisse consentaneam. Omnia enim sunt adversa & repugnantia. Exaltatio Christi in cælum quid commune habet cum gentilium ἀποθεώσει? illa enim omnes gentium Deos ac divos plane destruit. Nam agnoscendo exaltationem Christi, qui Deum Israël prædicavit solum esse verum Deum, eô ipsô omnes suos Deos ac divos, tanquam fictitios & idola repudiabant.

Euangelium à gentibus non est delatum ad Iudæos, sed à Iudæis ad gentes.

Judæos hodiernos & qui promulgationem Euangelii secuti sunt, contraria doctrina esse imbutos, non mirum. Postquam enim à Synedrio ipsorum Iesus Christus tanquam

quam blasphemus est condemnatus, ipsis odio esse cœpit; & nunc omnes eadem opinione à parentibus imbuuntur, ita ut antequam ad discretionis annos pervenerint, jam Christum ut seductorem aversari didicerint. Quod addit, *Iudæos monitos ut sibi à gentium doctrina caverent*, huic negotio applicari nequit. Non enim Euangelium à gentibus ad Iudæos delatum est; sed à Iudæis ortum duxit, & ab illis ad gentes est propagatum. Ipse Iesus Christus non nisi inter Iudæos prædicavit. Apostoli, omnes Iudæi, primo Euangelium prædicarunt Hierosolymis; exinde porro propagarunt per totam Iudæam; mox per omnes terras quocunque Iudæi essent dispersi, ac primo Iudæis, illis autem id rejicientibus, tum demum gentibus illud annuntiarunt; atque ita Iudæis ob infidelitatem rejectis, gentes quæ ad cultum unius veri Dei quem Iudæi colunt, & fidem Filii ipsius Iesu Christi, abjecta idololatria falsisque suis doctrinis, sunt conversæ, in Iudæorum locum sunt adscitæ, & Dei populus censentur. Cum itaque primi prædicatores Euangelii non fuerunt gentiles, sed Iudæi, ita etiam doctrina illorum nullo modo fuit Ethnica, id est, idololatrica. Atque hic apparet Iudæorum malitia & ignorantia culpabilis, quod cum prædictus esset Messias, eumque jam venisse dicant Christiani, id nolint examinare, nec inquirere an conveniat cum prædictionibus, vel non; hoc usi prætextu scilicet, *quod cavendum sibi est à gentium doctrina.* Quasi doctrina de Messiâ possit esse ullo modo suspecta tanquam gentilis; cum de Messia gentes ne per somnium quidem unquam cogitarunt. An hoc est candide & sincere, an malitiose agere? Candidius certe ac magis ingenue hic agit Doctor Lumbrozo, qui in suo *Propugnaculo Iudaismi, ad articulum Grotii* XVI. *lib.* V. *de Veritate Religionis Christianæ*, doctrinæ Christianæ originem non attribuit gentibus, aut Græcis, sed Iudæis. Enumerans enim Iudæorum peccata, propter quæ Messiæ adventum differri contendit, inter alia hæc habet. *His adde horrendam idololatriam, quæ ab ipsis Iudæis (NB.) adinventa fuit & suscitata in Ierusalem, videl: Christianismus, per quem tota Lex divina ut insupportabile jugum deleta fuit & exterminata, quem non pauci Iudæorum amplexi fuerunt, & per tot sæcula usque in præsens eodem errore misere inficiuntur.* Deum per Prophetas Messiam aliis coloribus Israëli non depinxisse, ex antedictis & mox contra Viri Doct. assertionem dicendis, constat.

CAPUT IX.

Quo sensu Iudæi Regem cælestem viderint.

UT ostenderet Vir Doct. Messiam quem Judæi exspectabant non venisse, dixit, Rex Israëli promissus est: At regem non vidimus. Regessi; non esse visum regem terrenum, sed cælestem. Objicit nunc Vir Doct. *Regem cælestem non esse posse, nisi sit ipse Deus: Illum autem esse invisibilem: nec Israëlem potuisse cognoscere, hominem aliquem esse Deum.* Respondeo: 1. Si ex hoc argumento pendeat decisio quæstionis inter Judæos & Christianos, utrum Christus sit Deus, haud magno acumine opus est, ut Christianus probet, Christum esse Deum. Jesum enim esse Regem cælestem ante *Jesum regnare in cælo.*

Ee probavi

probavi manifeste constare ex consentiente Apostolorum, qui eum in cælum adscendentem conspexerunt, testimonio, & ex Spiritu Sancto quem decimo post adscensionem suam die, ipso Pentecostes festo, Jesus Christus è cælo in Apostolos suos, juxta promissum suum, misit. Si ergo Judæus admittat hanc connexionem, qui in cælo regnat, est Deus; non potest argumentari contra Christianum hac ratione, Christus non est Deus, ergo non regnat in cælo: Quia sic assumit quod in quæstione est; sed aliunde ostendere debet, Christum non regnare in cælo. Et si Christianus ostenderit, Christum vere regnare in cælo, jam contra Iudæum ita disputantem probavit, Christum esse Deum.

Fides exigitur in Iesum, ut Christum seu Filium Dei.

Sed vero ut pressius respondeam, dico 2. Quando exigitur fides in Iesum Christum, nusquam in toto Novo Testamento exigi, ut credamus Iesum esse ipsum Deum, sed, *Jesum esse Christum* seu Messiam olim promissum, vel, quod idem est, *esse Filium Dei*: Quoniam appellationes *Christi* & *Filii Dei* inter se permutantur. Cui denominationi occasionem dedisse videntur verba Davidis, *Psal.* II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: & Dei, 2. *Sam.* VII. 14. *Ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium.* Quæ sensu sublimiore Messiæ applicata sunt. Inde factum, ut denominatio illa *Christi* seu *Messiæ*, & *Filii Dei*, inter Iudæos & discipulos Christi pro eadem habita fuerit. Quod variis locis Novi Testamenti evidenter comprobari potest. Quando Philippus Nathanaëli dixit, *Invenimus quem scripsit Moses in Lege & Propheta*, &c. postea Nathanaël viso Domino Iesu inquit, *Tu es Filius Dei, tu es rex Israël*, *Joan.* I. 46, 50. Petrus omnium Apostolorum nomine respondens quæstioni Domini, interrogantis quem se esse dicerent, ait, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, *Matth.* XVI. 16. Quæ verba Marcus recensens, solummodo habet, *Tu es Christus*, *cap.* VIII. 29. & Lucas, *Tu es Christus Dei*, *cap.* IX. 20. Sic *Matth.* XIV. 33. Discipuli dicunt Iesu, noctu ad ipsos super mari ambulanti, postquam in navem adscendisset; *Vere Filius Dei es tu.* & *Act.* VIII. 37. eunuchus reginæ Candaces: *Credo Iesum Christum esse Filium Dei.* Et quod omnem dubitationem tollit, Pontifex Dominum Iesum coram tribunali suo stantem adjurat per Deum vivum, ut dicat, *si sit Christus Filius Dei*, *Matth.* XXVI. 63. Quod clarius apud Lucam exprimitur *cap.* XXII. nam postquam *vers.* 66. Seniores & Principes Sacerdotum interrogaverant; *Si tu es Christus, dic nobis*; eandem quæstionem repetentes *vers.* 70. quærunt, *Tu ergo es Filius Dei?* Manifesto indicio, *Messiam* seu *Christum*, & *Filium Dei* esse, idem plane significasse. Et ne forte Vir Doct. excipiat, hanc esse meam peculiarem explicationem; operæ pretium est ostendere, etiam præstantissimos & maxime eximios inter Christianos Theologos loca hæc in eandem mecum sententiam explicare. Non hic producam explicationes Episcopii, cum meis plane easdem, sed duorum maxime eximiorum, & cum quorum eruditione & ingenii acumine vix ulli inter eruditos comparari merentur, Desiderii Erasmi, & Hugonis Grotii. Verba Nathanaëlis ad Dominum Iesum *Ioan.* I. 50. ita explicat Erasmus in sua Paraphrasi: *Rabbi, Tu es ille Filius Dei, per quem Pater decrevit liberare populum suum: Tu es ille rex Israël, Prophetarum vaticiniis olim promissus.* Verba autem Petri *Matth.* XVI. 16. in eadem Paraphrasi ita explicat: *Tu es ille Christus, Filius Dei vivi, non suspicionem proferens, sed certa & indubitata sententia profitens, illum esse Messiam à Prophetis promissum, singulari quodam more Filium Dei.* In Apologiis autem suis similia multa habet. Ad *Sanctium Caranzam tom.* IX. *pag.* 336. *Quum Petrus*

Petrus illum profitetur Filium Dei vivi, quanquam Patris afflatu dixit, tamen credibile non est, illum id temporis plena fide credidisse, Iesum esse Filium Dei secundum naturam, ejusdem cum illo Essentia. Et *Supput. errorum Beddæ, Propos.* LIV. *pag.* 496. *Apostoli post tot conspecta miracula, post editam illam cælestem professionem, Tu es Christus Filius Dei vivi, tamen velut illa per somnium dicta fuissent, multa de eo tanquam de homine puro loquuntur.* Ibid *Propos.* LXXX. *pag.* 513, 514. differens de Nathanaële & Petro, ita tandem finit. *Deinde quod ait* (sc. Bedda) *nomen Filii Dei non competere nisi in unum Christum, refellit ipse Dominus, qui sanctos viros etiam Deos docet appellatos fuisse, non modo Dei filios. Cæterum quod ad articuli vim attinet ὁ υἱὸς, etiam in Nathanaëlis professione additus est articulus. Et mihi probabile videtur, utrumque idem de Christo sensisse, sed veluti per somnium, licet Petrus jam multis conspectis miraculis sublimiorem de Christo concepisset opinionem, eoque majore cum ardore professionem reddiderit, sed adhuc semisomnus, quod declarant complura, quæ postea tum dixit, tum fecit.* Similia plura in eandem sententiam passim occurrunt in Apologiis Erasmi. Sed præ aliis maxime notandum, quod ait ad *Censuram Theolog. Parisiensium tit.* XXVII. *Propos.* 2. *pag.* 740. *Angelus loquens Mariæ exerte non pronuntiat, id quod nasceretur, fore Deum verum ac verum hominem, sed sanctum ac filium Dei, quæ verba competere possunt & in eximium Prophetam.* Grotius vero verba discipulorum *Matth.* XIV. 33. *Vere Filius Dei es tu*, ita interpretatur in suis Annot. *Apparet hoc cognomen vulgo Messiæ datum: Nam Nathanaël* Ioan. I. 49. Rabbi, *inquit*, tu es filius Dei, tu es rex ille Israël. *Nimirum ex Psalmo secundo, quem Hebræi Veteres κατὰ τὸ μυστικώτερον (sensu mystico) de Messia interpretabantur. Itaque infra ubi apud Matthæum Iesus à Petro dicitur esse Christus filius Dei viventis, Marcus & Lucas contenti fuerunt Christi vocabulo. Adde quæ infra* XXVI. 63. *& Hebr.* V. 4. In annot. autem ad *Matth.* XXVI. 63. ita ait. *Supra* XIV. 33. *notavimus etiam apud Iudæos exspectatum illum Messiam vocari solitum Dei filium ex Psalmo* II. *itaque & hic apud Lucam pro eodem ponitur, primum, εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς: (si tu es Christus) deinde, σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ: (tu es igitur filius Dei.)* Ad verba autem Nathanaëlis *Ioan.* I. 49. hæc annotat. Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *Filius Dei, idem est quod Messias, ex Psal.* II. *Vide quæ ad Matth.* XIV. 33. XXVI. 63. *Itaque sequitur, ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ, rex Israël, alter Messiæ titulus, Matth.* XXI. 25. XXVII. 11, 42. *Marc.* XV. 12. Videtne Vir Doct. hasce horum locorum explicationes non esse meas, sed potius Erasmi & Grotii? Quin & ipse Iesus Christus hoc sensu se Filii Dei epitheton sibi attribuisse affirmat, *Ioan.* X. 34, 35, 36. *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: Quem Pater sanctificavit,* (id est, interprete Grotio, potestatem tanta prodigia faciendi attribuit) *& misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?*

Ex hisce clarissime apparet, nomen *Christi*, aut *Filii Dei*, in objecto fidei Christianæ, non esse denominationem naturæ aut personæ, sed muneris; quoniam Christi sive uncti per unctionem suam ad singulare aliquod munus destinabantur & consecrabantur: Nomen autem personæ esse *Jesum*. Sensus autem enuntiationis cujuscunque dependet à nexu inter subjectum & prædicatum: Quando ergo constat, quid subjecto, quid prædicato significetur, statim enuntiationis sensus manifestus est. Cum ergo *Iesus*, subjectum hujus enuntiationis, significet personam seu hominem satis tunc temporis in Judæâ notum, miraculis clarum, & postea crucifixum, & tandem ex morte suscitatum & in cælos evectum, *Quid M. significet*

ctum, & *Christus* seu *Filius Dei*, munus inter Judæos non minus notum, seu potius hominem munere illo eximio ornatum, videl: Regem illum illustrem, & populi redemtorem, per Prophetas populo toties promissum; sequitur, *credere Iesum esse Christum*, seu *Filium Dei*, aliud nihil denotare, quam, credere Jesum esse Salvatorem illum eximium & diu promissum, cui munus salvandi homines à Patre impositum est, quique, ut muneri illi inauguretur, à Patre Spiritu Sancto largiter donatus & quasi unctus est. Hinc est, quod Scriptura, quando nobis describit fidem per quam debeamus esse salvi, mentionem faciat non eorum, quæ respiciunt ejus personam proprie seu naturam divinam, sed munus. Ut *Rom. x. 9. Si ore tuo confessus fueris Dominum Iesum, & corde credideris quod Deus eum excitavit ex mortuis, salvus eris.* Quorum verborum sensum Erasmus reddit in sua Paraphrasi: *Si ore tuo confitearis & agnoscas Dominum Iesum, atque idem ex animo vereque credideris, quod Deus resuscitarit à mortuis, ut nos cum illo à vitiis redivivi posthac innocenter vivamus, salvus eris.* Grotius autem hæc annotat. *Facta non æstimat Deus, ut ea in æternum remuneretur, nisi quæ ex corde mundato proficiscuntur. Mundatur autem cor per fidem, & eam maxime, quâ creditur Iesus à Deo resuscitatus, in hoc scilicet ut & præcepta ejus noscamus esse divina, & promissa certa, tum propter autoritatem ei datam, tum propter vita reddita conspicuum exemplum.* Similiter *1. Ioan. v. 1. Qui credit quod Iesus sit Christus ex Deo natus est.* Quæ verba Erasmus ita παραφράζει: *Quisquis credit Iesum esse Christum, hoc est, illum unde oportet omnia salutis nostræ præsidia petere, idque credit ex animo, is ex Deo natus est, jamque ascitus in numerum filiorum Dei.* Grotius vero: *Qui credit Iesum esse Christum, id est, credere se ostendit, id profitendo, sperando res ab ipso promissas, & sub ea spe præcepta ejus sequendo.* Quod si legamus historiam Actorum Apostolicorum, ipsorumque conciones quibus Judæos ad fidem Christianam convertere conantur, non exigunt Apostoli aliud, nisi ut credatur Jesum, qui à Judæis fuit condemnatus, Romanis traditus, ac crucifixus, à mortuis esse suscitatum, in cælum evectum, constitutum regem Israëlis ac salvatorem, & judicem vivorum ac mortuorum: Vide *Act.* II. v. x. XIII. & alibi. Quæ omnia munus ipsius, quo est Christus sive Messias, respiciunt. Addere hic licet egregiam Thomæ Mortoni Cantabrigiensis paraphrasin in hæc Apostoli Pauli verba, *1. Corinth. III. 11. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus:* quæ legitur in ipsius *Expositione prioris Corinthiacæ epistolæ*, impressa Londini apud Robertum Dexter. 1596. *pag. 60. Licet non admodum difficile sit hominibus otio & ingenio abutentibus, mille novas doctrinarum formulas excogitare; tamen nemo potest ponere aliud fundamentum, salutis scilicet; id est, aliam saluiferam doctrinam adferre, vel aliam salutis obtinendæ rationem ostendere, præter simplicem & sinceram prædicationem & cognitionem doctrinæ Christianæ à me propositæ, & quæ vel his duobus vocabulis comprehendi potest, Jesus Christus; id est, Iesus ille Mariæ filius est redemtor & Servator mundi & promissus Messias.* Et quæ in *cap. XII. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo loquens in spiritu Dei dicit Iesum anathema, & nemo dicit Iesum Dominum, nisi in Spiritu Sancto,* egregie disserit, *pag. 514. Sensus est, nullus est spiritualis qui non est Christianus, nullus habet Spiritus Sancti dona, qui non Christum Dei Filium & mundi Servatorem esse agnoscit. Rursus, nemo dicit Dominum Jesum, id est, profitetur Christianam religionem, cujus hæc summa est, Iesus ille filius Mariæ est à Deo Patre Ecclesiæ, cæli, & terræ supremus dominus, rex, & gubernator constitutus. Ita enim* dicere Jesum Dominum, *opponitur illi*, dicere Jesum anathema, *Utrumque emphaticum est: Nam*

ut ille

ut ille maxime & vehementissime negat Christum, qui non solum eum non agnoscit & amat; sed etiam eum summo odio & execratione ut sceleratum respuit; ita ille clarissime Christum confitetur, qui eum mundi non solum servatorem (sed, quod majus est, majus enim est resurgere ad cælestem gloriam, quam affici terrestri morte & ignominia) sed etiam Dominum, id est, gloriosum regem & dominatorem appellat. Hunc sensum verba aperte præ se ferunt. Hæc est doctrina, cujus solius fidem Apostoli ut necessariam exigunt. Quæ alibi occurrunt personam Jesu concernentia, nusquam ut necessaria creditu exiguntur. Quando autem Scriptura regnum Christi cæleste describit, eum ut hominem describit, qui postquam hic cruentam & infamem crucis mortem passus est, à Deo dextrâ suâ exaltatus, omnemque in cælo & terra potestatem adeptus est: qui Spiritum Sanctum à Patre obtinuit, eumque in Apostolos effudit, & per eum omnia administrat.

Qui sensu Judæi regem cælestem viderunt.

Vidit ergo Israël regem cælestem, quia eum, qui nunc in cælis regnat, vidit, licet cælestem illius gloriam oculis suis non viderit. Et hanc veritatem persuadere poterant miracula; tum quæ ipse Iesus fecit in terra, quibus, licet formam servi assumsisset, gloriam ac majestatem cælestem aliquatenus manifestavit; tum effusio miraculosa Spiritus Sancti in Apostolos die Pentecostes, & Apostolorum virtute illius Spiritus facta miracula, quæ se in nomine ac autoritate Christi in cælo regnantis, & à quo Spiritum hunc acceperint, facere palam testati sunt. Quod Iudæis convincendis abunde sufficere oportuit: talibusque qui se ad credendum suaderi patiuntur nimiæ credulitatis accusari nequeunt.

CAPUT X.

Quod Prophetæ cæleste Messiæ regnum insinuaverint.

Qualis exspectatio Judæorum de Messia.

PRophetas sub cortice regni terreni cæleste insinuasse aliquot argumentis adstruxi. Primum fuit: Quia illa terrena liberatio non toti Israëli potest esse communis, sed illo sæculo viventibus erit peculiaris. Ut argumentum hoc dissolvat distinctione utitur Vir Doctiss. *Quod Israël debeat accipi vel copulative, pro collectione populi, & ut republica à Deo instituta; vel distributive, pro singularibus illius populi. Posteriore sensu non indiget Messia nec redemtore ad consequendum salutem æternam; sed eam obtinet per Legis observationem. Priore sensu Messiam & redemtionem exspectat: estque ea totius Israëlis, quando omnes illo tempore viventes per eam liberantur: licet ea ante illam mortuis non obtingat.* Quæ distinctio quidem bona est, sed non consentanea communi Judæorum opinioni, sed à Viro Doctiss. ex Christianorum, inter quos educatus est, doctrinâ mutuata, apud quos quando de judiciis divinis tum hujus, tum de universali futuri sæculi loquuntur, creberrimus hujus distinctionis est usus. Rabbi vero *Menasseh Ben-Israël* in suo *de mortuorum resurrectione* tractatu contendit, communem esse Rabbinorum opinionem, *omnes Israëlitas, etiam antea mortuos, participes fore regni Messiæ. Et ut eo potiantur, omnes ex mortuis resuscitandos; qua resuscitatione conspecta impii, tanto miraculo permoti, Deum sint agnituri, omnesque falsas opiniones & errores sint rejecturi: tum futurum mundi hujus finem.*

nem, & novum exoriturum mundum, seu mundi hujus in meliorem statum commutationem; in quo luna lux sit aqualis futura splendori solis, solis autem splendor septuplo major quam nunc est; quo tempore maligni spiritus & daemones interibunt, & arbores singulis mensibus fructum sunt laturae: & simul Deus ex pisce Leviathan jussis praeparabit opiparum convivium, & faciet ut etiam inter bestias & feras pax sit futura, nec ea in terrâ sanctâ hominibus sint nocitura: quod tum templum Dei denuo extruetur & dedicabitur, & terra sancta rursus inter tribus dividetur; quodque cibo & potu usuri, generationique prolis operam daturi, & singuli cum propria uxore matrimonio conjungendi sint; aliaque plura, quæ non minus lepida & fabulosa sunt, quam ea quæ Vir Doctiss. ex nugatore Iesuita adduxit. Quæ tamen Rabbi Manasseh variorum Rabbinorum autoritate confirmat, nullâ spiritualis illius fruitionis Dei, quam Vir Doct. Israëlis individua sibi semper proposuisse ait, factâ mentione, nisi obiter tantum in fine tractatus sui.

Diversa ab opinione Viri Doct.

Licet itaque hæc singularis sit Viri Doctiss. opinio, tamen illi respondebo. Fateor hoc sensu dici posse integrum Israëlis populum liberatum, quatenus idem est populus, licet ex aliis nunc constet individuis; sed apparet, communiter Iudæos aliter hæc accipere, & quæ de resurrectione mortuorum ex Prophetis proferre solent, ad hæc tempora referre: Manifesto indicio, quod credant, Prophetas hanc fælicitatem non soli populo tunc viventi, sed omnibus omnino Israëlis individuis promittere. Et nisi ita statuatur, nulla per Messiam Iudæis, ante ipsius adventum mortuis, salus obtingere potest. Quod non parum exspectationem boni per Messiam conferendi imminuit.

Promissa vitæ æternæ non sunt clare in Lege.

Quæ porro de æterna individuorum gloria ex Lege profert, verba sunt admodum generalia, quæ licet secundum ultimam Dei intentionem, per ratiocinationem & consequentiam, colligi possunt vitæ æternæ promissum continere, obscuriora tamen sunt, & nullo modo cum claris de vita æterna promissis, Euangelio contentis, comparanda. Quare vitæ æternæ spes à Viro Doctiss. magis ex principiis Christianismi quibus imbutus fuit, & ex ratiocinatione, quam clara legis promissione deducitur. Præsertim cum promissiones quas citat etiam de fælicitate temporali & hujus vitæ accipiantur; sunt enim toti populo quatenus populo factæ. Hac significatione promissum, *ero vobis in Deum, & vos eritis populus meus*, accipitur *Levit.* XXVI. 12 & *Jerem.* XXXI. 9. qui postremus de temporibus Messiæ agit: ergo juxta Viri Doctiss. explicationem, de fælicitate temporali, & totius populi. Et pro missa Legis specialia nil nisi temporales benedictiones continent, ut *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVIII. videre est. Mirari autem satis non possum rationem disputandi, quam Vir Doct. hic instituit. Quando agitur de regno Messiæ cælesti requirit testimonia clara & aperta, quæ non sub typo, sed directe regnum cæleste prænuntient. Quando vero agitur de vita æterna, eam videre, reperire & credere potest in verbis Scripturæ, quæ ad literam hujusmodi nihil sonant, & exspectare fælicitatem cælestem ex promissis, quæ de cælo, de vitâ futurâ, ne verbum quidem habent. Si promissionibus, nil nisi terrena & sæcularia continentibus, satis clare Deus cælestia bona & vitam æternam revelavit, adeo ut sufficiens præbeant Viro Doct. exspectationis & fidei fundamentum; cur eodem modo & æque clare promissum rejicit Messiæ cæleste regnum? Cum par sit utrimque ratio, cur fides impar? Si sub nomine terrenorum celestia commode satis ad fidem possint designari, idem etiam ad cæleste Messiæ regnum sufficit: Si cælestia non possunt exspectari, ubi mundana solum nominantur, abjicienda est Viro Doct. futuræ vitæ spes. Quare vel admittendum ipsi est

cæleste

cæleste Messiæ regnum, vel agnoscendum, nullum vitæ æternæ exstare in Lege promissum, cum omnibus constet, tam claram & disertam esse unius ac alterius in Veteri Testamento revelationem; vel, si qua sit differentia, clariora regni Messiæ cælestis, quam vitæ æternæ, exstare vestigia. Sed unde ex Lege colliget, tot peccatorum, etiam enormium, uti ipse agnoscit, reos, per Legem, sine ulla spirituali Messiæ liberatione salutem æternam consecuturos; cum nullum graviorum peccatorum remissionis exstet promissum in Lege, nec pro talibus sacrificium institutum sit? uti plenius probavi *cap. VI.* Imo cum lex *maledictum* pronunciet quemcunque, *qui non manserit in sermonibus Legis, nec eos opere perficit*, *Deut. XXVII.* 26. Quare cum per Legem gravium peccatorum rei remissionem obtinere nequeant, nec clara vitæ æternæ promissa in Lege reperiantur, si Iudæi per Messiam non exspectent vitam æternam, nullum habent solidum exspectationis suæ fundamentum.

Alterum meum argumentum fuit: Quod terrena Israëlis fælicitas & reductio in terram Canaan res nimis exilis sit, quam ut ob eam Messias toties à Prophetis sit prædictus, & tempus ac locus nativitatis, & parentes adeo sollicite descripti. Negat hic Vir Doctiss. tempus ac locum nativitatis Messiæ prædicta: de parentibus autem nil aliud, nisi quod erit ex semine Davidis. Atqui Scriptura manifeste adventus Messiæ tempus certis nobis indiciis describit; antequam nim: respublica Iudaica erit destructa, atque ita sceptrum à Iuda ablatum; Ita Iacob vaticinatus est filiis suis, *Genes. XLIX.* 10. *Non auferetur sceptrum à Iuda, neque legislator de femore ejus, donec veniat Schilo, & ipse erit exspectatio gentium.* Quæ postrema verba manifestam Messiæ continent descriptionem. Scio Iudæos acriter negare, hisce verbis contineri prophetiam de tempore adventus Messiæ. Verum ipsorum explicationes sunt adeo multiplices, tam coactæ & directè inter se pugnantes, ut altera alteram evertat. Rabbi Manasse Ben-Israël in suo *Conciliatore* refert nobis plures, easque admodum diversas, Rabbinorum suorum explicationes. Aliqui per *Silo* non intelligunt Messiam, sed Mosen, vel, ut alii, tabernaculum in Silo positum. Alii per *Silo* Messiam intelligunt, sed contendunt non de *Sceptro* sermonem esse, verum de *virga castigationis*, quam à Iuda non recessuram dicat Iacob, donec Messias venerit. Alii de sceptro interpretantur, sed de sceptro Messiæ: & hunc sibi fingunt verborum Iacobi sensum: *Non recedet sceptrum à Iuda in æternum, quia Silo*, hoc est, Messias, *veniet*: id est, cum venerit Messias. Isaac Abravanel interpretationem habet ab aliis multum diversam, quod sceptrum à Iuda non sit auferendum, donec Messias venerit: contenditque sceptrum à Iuda hactenus non esse ablatum; *Sceptrum* autem ipsi imperium aut jurisdictionem, quamvis exiguam, notat: eamque adhuc hodie esse penes oriundos è tribu Iuda, Rabbi Manasse affirmat. Ecce quanta opinionum diversitas & pugna; & quam coactæ sunt omnes ac violentæ! Quod ipsum non exiguum falsitatis earum indicium est. Et cum in nulla harum solide acquiescere possint Iudæi, serio ac in timore Domini oporteret eos expendere explicationem Christianorum, quam ubi eventui (qui certissima Prophetarum explicatio est) per omnia respondentem deprehenderint, & sponte ex nativâ verborum significatione fluere, rejectis suis coactis ac contortis; ut veram amplecti. Debuit venire stante adhuc secundo templo, *Hagg. II.* 7, 8, 9, 10. *Adhuc modicum, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam: Et movebo omnes gentes; & veniet desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est*

argen-

Prædictum est nativitatis Messiæ tempus

argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus illius novissima plus quam prima, dicit Dominus exercituum: & in isto loco dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Quibus verbis Prophetam Messiæ adventum prædicere, negari nequit. Cum enim, docentibus ipsis Iudæis, quinque eximia dona divina fuerint in primo templo, quibus destitutum fuit secundum, videlicet, Urim & Thummim, arca fœderis, ignis cælitus delapsus, & veluti leo cubans in altari ac vi sua repente consumens sacrificia, divinitas, & spiritus Prophetiæ, ac proinde longe inferior fuit secundi templi gloria quam primi: sequitur quod solius Messiæ, per quem Deus pacem dedit, & salutem æternam hominibus præparavit, omnibus illis antiquis primi templi donis longe excellentioris, præsentia gloriam illam majorem templo secundo conciliare potuit. Debuit ergo Messias venire templo nondum destructo, ac proinde antequam sacerdotium & sacrificia, templo illi alligata, finem habitura sunt. Quæ omnia etiam confirmantur *Dan. ix. 26, 27. &c.* qui etiam tempus illud expresse intra septuaginta septimanarum, seu quadringentorum & nonaginta annorum spatium circumscribit.

De locus, Bethlehem. Locum nativitatis fore Bethlehem, clare docetur *Mich. v. 1. Et tu Bethlehem Ephrata, parvula ut sis in millibus Iuda: Ex te mihi egredietur ut sit dominator in Israël, & egressiones ejus ab antiquo à diebus sæculi.* Nec obstat, quod mentio fit *egressuum ipsius*; illis enim designatur, non tantum eum Bethlehemi nasciturum, quod priora verba indicant, *ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel:* sed & ex antiqua prosapia Bethlehemitica, quæ per multas generationes Bethlehemi est propagata, originem tracturum: Ea autem est familia Davidis; ut cuique notum est. Quid per *egressiones* Vir Doct. intelligat, mihi non liquet.

Mater Virgo. Matrem Messiæ fore virginem, clare prædicitur *Esa. vii. 14.* ubi postquam Propheta Dei nomine regem Achaz hortatus esset, ne animo conturbaretur ob invasionem terræ suæ per Reges Israëlis & Syriæ, quoniam non essent ipsis successura consilia sua; & Achaz nihilominus promissioni divinæ diffideret, ac Propheta ipsi nomine Dei offerret signum qualecunque vellet, ut de promissi divini complemento certior esset, atque Achaz illud præ diffidentia recusaret, Deus ipse ei signum dat, partum nempe virginis; dicens, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus, Immanuel.* Quo quidem juxta priorem & literalem sensum illo tempore indicatum fuit, ex muliere, tunc adhuc cum Propheta hæc eloqueretur, virgine, sed paulo post nupturâ marito, nasciturum filium, eumque fore pignus liberationis terræ Judæ, à duobus eam infestantibus regibus. Verum ipsa verba satis indicant, sensum sublimiorem sub illis latere, neque earum vim nativitate illius infantis plene esse exhaustam: itaque Deum illo infante tanquam typo nobiliorem longe nativitatem infantis adumbrare voluisse, qui non tantum signum & pignus foret, sed effector illustrioris multo liberationis, cujus prior hæc typus fuit, quique ex virgine, etiam cum pareret, absque viri opera esset nasciturus. Is autem est Dominus noster Jesus Christus. Hunc sublimiorem sensum varia in illo textu evincunt, quæ singula non recensebimus: Duo tantum nunc dicam: Primo, quod expresse dicatur *virgo* conceptura & paritura: Atqui tempore Achabi non virgo concepit & peperit, sed nupta, quæque amplius virgo non erat. Secundo: Quod dicatur *signum*, intellige non vulgare, sed Deo ad fulciendam regis diffidentis fiduciam dignum, ac proinde eximium & extraordinarium: tale autem non fuit, partus mulieris juvenculæ marito

marito nuptæ, quod commune ac quotidianum est; sed partus virginis illibatæ, quæ virum nunquam cognovit.

Agnoscit Vir Doctiss. prædictum per Prophetas, Messiam oriturum ex familia & semine Davidis: Sed negat, *quicquam constare de Jesu Christo, quod à Davide genus ducat; tum quia narratur tantum genealogia Josephi, cujus filius non fuit; tum ob Euangelistarum Matthæi & Lucæ in recensenda Christi genealogia discrepantiam.* Paucis dico. 1. Multos in illa esse sententia, Lucam Mariæ describere genealogiam, & Josephum vocare filium Eli, quia illius fuit gener. Atque ita tollitur illa apparens inter Euangelistas discrepantia, & qua ratione à Davide genus ducat, manifestum est. Nec ulla est ratio quæ contrarium credere cogat. 2. Licet genealogia tantum recenseretur Josephi, recte tamen ad Christum pertinere dici potest; quatenus uxores Hebræorum transibant in familiam maritorum, neque ex sua, sed ex maritorum familia censebantur. Sicut ergo Maria Josepho nubens in familiam ejus transiit, etiam in illam transiisse dicendum est, quicquid illius corpori sola operatione ac benedictione divina accessit, sine ulla alterius viri opera. *Natus est Christus ex familia Davidis.*

Quæ de Patre Josephi naturali ac legali dicuntur, non continent difficultates humano ingenio vix extricabiles, sed facili negotio intelligi possunt. Quid enim hic est captu adeo difficile, quod mulier Judæa defuncto priore marito genus ex Davide ducente per Salomonem, secundis nuptiis fiat uxor mariti etiam genus ex Davide, sed per Nathanem, ducentis, & ex utroque matrimonio filium relinquat, qui ambo fratres sint uterini, & præterea ortu paterno consanguinei: & quod illorum alter uxore ductâ decedat absque liberis; superstes autem defuncti viduâ ductâ, juxta legem, fratri semen suscitet; atque ita alter fratrum filii illius sit pater naturalis, alter legalis? Facilia sane explicatu hæc sunt, & Legi Mosis consentanea. Verum objiciet forte Vir Doctiss. hic esse difficultatem inexplicabilem, quoniam lex leviratus solos fratres germanos, non uterinos, fratris defuncti viduam ducere jubet. Respondeo: Me non negare, legem hanc maxime respicere germanos: Sed & certum est, nulla in lege, quæ exstat *Deut.* xxv. verba exstare, quæ uterinos excludant. Quin imo si legis scopum inspiciamus, quandoque & uterinos includi debere certissimum est, nimirum si uterini progeniti sint ex parentibus ex eadem familia oriundis, qui proinde respectu paternæ originis etiam consanguinei sunt: quales hi Josephi majores fuerunt, uterque nimirum ex familia Davidis oriundus; & maxime quidem, quando nullus est sanguine propior, aut si sit, eam ducere recuset. Per *fratrem* enim non solum ejusdem patris filium intelligi, sed & consanguineum, valde familiare est Hebræis: talemque ad nuptias viduæ defuncti absque liberis hac lege constringi, & si proximus eam ducere renuat, succedere debere qui post illum defuncto proximus fuit, ex Ruthæ historia, ubi legis hujus executionem habemus, liquere potest. Booz enim non fuit germanus mariti Ruth, sine liberis defuncti, sed tantum consanguineus, quem & alius propiore sanguinis vinculo præcessit: verum cum is Rutham ducere detrectaret, *solvit calceamentum suum*, & sic Booz Ruth *in conjugium assumsit, ut suscitet nomen defuncti in hereditate sua.* Cap. iv. 8, 9, 10. Quæ omnes adeo exacte narratæ circumstantiæ indicant, hic non tantum respici legem de redimenda possessione proximi, *Levit.* xxv. ut plures Judæorum magistri docent, sed & legem quæ leviro fratris defuncti viduam ducere jubet. Scopus nimirum legis fuit, *ne* *De Patre Josephi naturali & legali.*

deleatur defuncti nomen in Israël, & , ut possessio ejus hæreditate transeat ad filium, cujus ipse pater censeatur: atque interim ea sit in manu fratris, hoc est, proxime agnati, qui vidua ejus ductâ ipsi prolem suscitare debet. Atqui scopus ille obtineri potest, si vidua & possessio ejus sit in manu fratris uterini, etiam paternâ origine ipsi proxime consanguinei. Quod si Vir Doctiss. pertendat, aliter doceri à suis doctoribus, nec non in Gemara, indeque colligat, usum in populo obtinuisse, solos fratres germanos duxisse viduas absque liberis defuncti, illumque communem usum esse interpretationem legis: Respondeo; Ex Ruthæ historia aliud liquere. Et si nobis ad manum essent plura testimonia autorum qui ante Jesum Christum natum & stante adhuc Repub. Judaica vixerunt, certius ex illis quid in populo usus obtinuerit judicare posse: Verum ex autoribus qui aliquot à nato Christo seculis demum vixerunt id cognosci neutiquam potest: Certum quippe est, eos ex odio religionis Christianæ totos in eo fuisse, ut Legis & Prophetarum explicationes excogitarent, religioni Christianæ adversas, ut tanto speciosius eam impugnare possent, ideoque nec ab antiquiorum explicationibus recedere veritos, quandocumque eas illi stabiliendæ ullatenus inservire animadvertebant. Quod & in hujus legis expositione contigisse, quæ adduxi argumenta satis evincunt. Ita ut nulla hic occurrat difficultas humano ingenio vix extricabilis.

Difficultates facile oriri possunt in genealogiis.

Addo hoc unum: Quæ de genealogia Christi scripta sunt, satis clara & nota fuisse illo tempore, cum facile investigari, & si falsa fuissent detegi potuissent: Hinc tam asseveranter scriptor *Epist. ad Hebræos cap.* VII. 14. ait, *manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster*: Non tam asseveranter hoc dixisset, si vel minimum ea de re inter Hebræos dubium fuisset. Si quæ nunc sit obscuritas, quæ satis clare solvi non possit, non hoc adeo mirum est: cum in genealogiis recensendis post multorum annorum decursum facile obscuritas quædam oriri possit, quæ in initio, quia tum omnia nota erant, non fuit animadversa, & nullus illorum temporum scriptor dubia post exoritura elucidaverit. Neque hoc Judæos offendere oportet. Nam, ut recte observat Grotius, *Annot. in Luc.* III. 23. *Qui gnari sunt morum populi Judaici, sciunt multas esse posse genealogias, quæ pugnare videantur, nec tamen pugnent: idque non uno modo accidere solere: ut ex iis libris quos Judæi nobiscum agnoscunt facile est probatu.* Quod sicut in genealogiis, ita etiam in Chronologia locum habet. Qualia non pauca, eaque multo adhuc obscuriora & solutu difficiliora ex solis libris Regum & Paralipomenon produci possent, propter quæ tamen nec Vir Doctiss. nec Judæi generatim, librorum illorum authentiam & historiæ veritatem in dubium trahunt. Nos speciminis causa paucula tantum proferre contenti erimus. 2. *Reg.* VIII. dicitur Ochosias fuisse viginti duorum annorum cum regnare cæpisset: at 2. *Chron.* XXII. 2. de eodem dicitur, quod quadraginta duorum annorum fuerit, cum regnare cæperit. Joachim dicitur 2. *Reg.* XXIV. 8. decem & octo annorum; at 2. *Chron.* XXXVI. 9. octo annorum fuisse, cum regnare cæpit. Quis hæc conciliabit? Difficilius est quod legimus de Achazo, & filio ejus Esechia: Achazo cum regnare cæpit tribuuntur viginti anni, & regnasse dicitur sexdecim annis, 2. *Reg.* XVI. 2. qui si conjungantur, tota Achazi ætas, quando mortuus est, fuit triginta sex annorum. At *Cap.* XVIII. 2. dicitur Esechias, cum patri in regno successit, fuisse viginti quinque annorum: qui si demantur ætati Achazi, sequetur Achazum undecim annorum puerum genuisse Esechiam. Hæc nobis nunc sunt obscura, & solutu difficillima: Olim autem, cum omnes

circum-

circumstantiæ exacte fuerunt cognitæ, vix illam credibile est habuisse difficultatem. Et ne forte Vir Doct. excipiat, exempla hæc non exstare in libris Mosis, ac proinde non esse quod iis solvendis se fatiget; aliam fore rationem, si in Mosis libris reperirentur, quos præ omnibus Veteris Testamenti libris eximios habet, *pag.* 147. Age exemplum multo adhuc intricatius proferam ex libro Geneseos. Narratur *Cap.* XXIX. connubium Jacobi cum Lea & Rachele. Ex calculo chronologico constat, & consentiunt Judæi, teste inter alios *Rabbi Davide Gantz* in sua *Chronologia Historiæ sacræ, ad annum centesimum octogesimum quintum millenarii tertii*, quod Jacob cum venit in Charran fuerit filius septuaginta septem annorum: servivit annis septem, ergo cum duxit Leam fuit filius octoginta quatuor annorum. Judas fuit filiorum quartus: ergo natus non ante annum octogesimum octavum Jacobi. Cum Jacob ingressus est in Ægyptum, fuit centum triginta annorum, uti ipse ait Pharaoni, *Genes.* XLVII. 9. Ergo si octoginta octo annos demas annis centum & triginta, sequetur Judam, cum Jacob ingressus est Ægyptum, fuisse quadraginta duorum annorum. Explicet mihi nunc Vir Doctiss. quomodo omnia quæ de Juda narrantur infra ætatem quadraginta duorum annorum potuerint evenire. *Genes.* XXXVIII. narratur Juda duxisse uxorem, ex eaque tres suscepisse filios: natu maximo dedit uxorem; illo defuncto, jussit ut secundus ducta vidua fratri defuncto suscitaret semen: sed & hoc propter impietatem exstincto, nurum exspectare jussit, donec filiorum natu minimus matrimonio maturus evaderet. Illo jam maturitatem adepto, cum videret Thamar se illi non dari uxorem, assumto habitu meretricio cum socero concumbit, & ex illo concubitu gravida gemellos peperit: eorum alter antequam Jacob in Ægyptum descenderet jam duos genuerat filios, uti narratur *Genes.* XLVI. 12. Si hæc omnia infra ætatem quadraginta duorum annorum contigerunt, oportet concipiamus maritos ac patres duodecennes. Quam hæc sunt difficilia explicatu! Non hæc dico, quasi vel minimum dubitans de veritate historiæ; sed ut ostendam, post tot annorum decursum in calculo chronologico, ob circumstantiarum quarundam ignorationem, posse oboriri difficultates inexplicabiles, quæ, si omnes circumstantiæ nobis exacte essent cognitæ, facili negotio tollerentur. Idem circa genealogias facillime evenire posse, imo aliquoties evenisse, ex iisdem libris Paralipomenon probari potest. Quod quia notissimum est, prolixitatis vitandæ causa nunc non ostendam. Quare cum olim, quando res per evidentia documenta poterat inquiri & demonstrari, omnibus manifesta fuit genealogia Domini; ea nunc propter obscuritates quasdam, quæ ita plene tolli non possunt, quin aliqua remaneat difficultas, reprehendi aut in dubium vocari non debet. Constat itaque ex his, Dominum Jesum ex familia Davidis esse oriundum, & quidem ex ea jam è fastigio regali ad summam humilitatem redacta, juxta vaticinium *Esa.* XI. 1, 2. *Prodibit virgula è trunco succiso Isai, & surculus è radicibus ejus efflorescet. Et super eum requiescet spiritus Domini*, &c. Atque sic etiam patet, minimas circumstantias de genere Messiæ prædictas in Iesu nostro impletas esse.

Ad ea quæ addideram, quod Deus quæ obscurius per Prophetas prædixerat, postea Messia adveniente clare & distincte revelaverit, & quidem Iudæis prius quam gentibus, multoque illustriora dederit, quam secundum literam promisisse videri posset; respondet Vir Doct. *Hæc quidem sufficere Christianis, qui jam credunt, non vero Judæis, qui figuras illas non agnoscunt.* Ad quæ paucis dico: Agnoscere me, antequam probata sit *Veritas historiæ N. Test. debet primo probari; tum adducenda prophetia.*

 Evan-

Euangelicæ historiæ veritas, nos ex Veteris Testamenti prophetiis solide probare non posse contra quemcunque infidelem, hæc omnia figuras ac typos esse futuræ nobilioris liberationis; multo minus, qualis illa liberatio sit futura, & quibus actibus peragenda: Alias fideles Veteris Testamenti distincte ex Prophetis cognoscere potuissent omnia quæ postmodum per Euangelium revelata sunt: Atqui hoc est naturæ prophetiæ adversum, quæ semper ante sui impletionem obscuritate aliqua tegitur. Itaque, uti ego in præcedente scripto ostendi, à probatione veritatis historiæ Euangelicæ faciendum est disputationis nostræ initium. Ideoque ego ordinem disputationis nostræ nunc mutavi, & primo de argumentis quibus Euangelii divinitas adstruitur disserui: illis adstructis, examen quæstionum Viri Doctiss. aggressus sum. Probata vero & asserta veritate historiæ Euangelicæ, tum porro ex tota ratione providentiæ divinæ tempore Veteris Testamenti, ex prophetiis, aliisque illustribus eventibus, clare elucidari potest, omnia illa tantum in typo contigisse, Deumque præstantissimum redemtionis humanæ, per Christum peractæ, opus antea rudi quasi penicillo delineasse, ut sensim hominum animos ad id debite recipiendum & agnoscendum præpararet; ac tandem illud consentaneë typis illis divinissimis in plenitudine temporis, ad summam sapientiæ, bonitatis, justitiæ, potentiæ ac fidelitatis suæ gloriam perfecisse in totius mundi salutem.

CAPUT XI.

Pleraque à Prophetis prædicta jam in Iesu Christo impleta esse.

Pleraque à Prophetis prædicta jam in J. Christo impleta sunt.

TAndem addidi; Si quædam à Prophetis prædicta Israël nondum in Jesu nostro Servatore benedicto impleta credat, posse ea adhuc imposterum impleri, postquam plenitudo gentium in Ecclesiam intraverit, & Israëlem suæ contumaciæ pœnituerit. Respondet Vir Doct. *Israëlem hactenus nihil eorum quæ de Messia prædicta fuerunt vidisse, neque erga Deum, neque erga Israëlem, neque erga gentes, neque adhuc erga Christianismum.* Age ergo ostendamus, multa, & quidem præcipua, impleta esse. Venit antequam sceptrum à Juda esset ablatum, & stante adhuc secundo templo: & se Messiam esse declaravit; nemoque præter illum isto circiter tempore illud munus sibi arrogavit. Natus est Bethlehemi, ex genere Davidis jam omni suo splendore denudato, & ad infimam vitæ conditionem redacto, & speciatim ex matre virgine. Quæ omnia de Messia prædicta esse paulo ante ostendimus. Fuit Propheta, instar Mosis, qui legem tulit, juxta *Deut.* XVIII. 15, &c. Legemque Mosis, sive quorundam præceptorum additione, sive pleniore ultimi illius scopi explicatione, perfecit; & missionem suam miraculis infinitis, Mosis miracula longe exsuperantibus, evidentissime comprobavit. Mortuus est, & quidem tanquam sacrificium expiatorium pro peccatis hominum, juxta *Esa.* LIII. Ex morte resuscitatus est tertia die, antequam caro ejus corruptionem vidit, juxta

juxta *Psal.* XVI. Ex morte resuscitatus in cælum adscendit, sedetque ad dexteram Dei Patris, factusque est non tantum Rex, sed & Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec; juxta *Psal.* CX. Inde effudit Spiritum Sanctum in Apostolos die Pentecostes, per quos porro per impositionem manuum generatim fidelibus est communicatus, non tantum ex Judæis, sed & gentibus, juxta *Joël.* II. Et tandem Euangelium per Apostolos ac ministros suos, quorum ministerium contra omnes diaboli insultus, tyrannorum potentiam & persecutiones, omniumque fraudes & imposturas potenter tutatus est & conservavit, in omnes gentes per totum ferme terrarum orbem propagavit, omnesque ad veri Dei Israëlis cognitionem ac cultum perduxit; adeo ut, cum antea veri Dei cognitio & cultus intra terminos terræ Canaan in solo Israële esset conclusus, nunc intra exiguum temporis spatium sese diffuderit per totum ferme orbem, gentesque passim abjectis idolis verum Deum Israëlis adorent. Qui est effectus, quem Judæi ipsi, juxta plurimas Prophetias, sub Messiæ sui regno exspectant. Cum itaque Vir Doctiss. dicat, Judæos hoc beneficium non sibi solis, sed omnibus simul gentibus desiderare; idque jam aliquatenus in Judæis, qui nimirum Euangelio fidem adhibuerunt, & in gentibus impletum sit, ad Dei gloriam: Quid tandem illud est, quod Judæi nondum impletum esse obtendunt, & propter quod Christum agnoscere recusant? Nihil aliud superest, nisi quod Judæi ex omnibus terræ regionibus non sint collecti & in terram suam reducti, ut ibi sub Messia ejusque successoribus gloriose in terra sua imperent, gentibusque jugum imponant? Jam itaque rursus quæro, an illud terrenum in terra Canaan regnum tantum Israëli bonum est, ut Deus propterea tot jam sæculis Messiæ adventum promiserit, tempus, locum nativitatis, parentesque tam sollicite prædixerit? Præsertim cum ipse Vir Doct. affirmet, *Judæos regnum hoc non exspectare ob terrenas commoditates, sed solum ob spirituale bonum.*

Verum Vir Doctiss. negat aliquid horum sub Iesu Christo esse impletum: *Deus*, inquit, *à majoribus mundi partibus ignoratur, gentibus in idololatriæ luto hærentibus: Israël in eadem & majore dispersione, quam ante ejus adventum per quingentos annos patiebatur: Christianismus totus in varias sectas divisus, & fere totus à principio idololatricus: Vitia in toto genere humano non minus regnant, quam ante Christi adventum, nisi sit in aliquibus regeneratis, quos nemo novit: diabolus etiam regnat ut antea, & fere totum mundum cum Judæis in infernum præcipitat.* Hæc quidem maxime speciosa est objectio, qua Iudæi prophetiarum impletionem sub Iesu Christo impugnare solent. Verum prædictiones illæ non indicant, quamprimum Messias apparuerit omnia illa statim ac simul implenda, sed sensim ac paulatim; & in ipsa Messiæ apparitione omnium horum impletionis initium fore: nam per doctrinæ divinæ propagationem hæc omnia fieri debent, quæ sensim ministerio hominum secundum Dei jussum & voluntatem inter omnes gentes propagari debet. Certum autem est, quamprimum Euangelium prædicari cœptum est, cognitionem unius veri Dei Israëlis statim per maximam orbis partem fuisse diffusam, pluresque virtute Euangelii intra paucos annos ad unius Dei Israëlis cultum fuisse perductos, quam toto illo plurium sæculorum decursu per Legem Mosis: Et ab isto tempore Euangelii luce quaquaversum sese diffundente polytheismi & idololatriæ caligo cœpit exstirpari, eaque sensim magis magisque in variis terrarum partibus est exstincta; adeo ut, ubicunque Euangelium receptum est, omnis idololatria severe in

Gentium idololatria per Euangelium est exstincta.

in Euangelio damnata desierit, & quotidie, quocunque Euangelium propagatur, evanescat. Quod vero etiamnum hodie sint gentes quædam in idololatriæ luto adhuc hærentes, causa non est Euangelii defectus aut inefficacia; sed vitium aliquod hominum: aut quod Euangelium illis prædicare negligunt; aut non prædicent legitimo modo, nec per idoneos ministros; sed per homines nefarios & latrones, qui non salutem animarum, sed aurum sitiebant, ideoque Christum gentibus prædicabant, non tam ut eas Christo lucrifacerent, quam ut sibi tutum ad illas aditum pararent, quo facilius ac tutius earum aurum ac divitias ad se transferrent: Qui proinde verbis Christum ejusque sanctam doctrinam prædicantes, eam vita profana ac scelerata destruebant, eaque ratione gentes à salutari doctrina Christi alienas reddebant.

Dissensiones inter Christianos adversantur Euangelio. Christianismi in varias *Sectas* divisio, grave quidem Judæis scandalum est: Verum ea non doctrinæ Christi genio, quasi illa dissensiones suadeat aut foveat, imputari debet; illa enim, ut summum ac præcipuum præceptum passim inculcat charitatem ac pacis studium: ejus etiam est indolis, ut comparata sit inimicitiam, quæ olim inter Iudæos & gentes fuit ob ceremoniarum discrepantiam, qua tanquam sepe & pariete intergerino separabantur, funditus tollere: tota enim exigit cultum spiritualem & rationi rectæ consentaneum, in quo proinde omnes homines acquiescere possunt, sine ulla ob rituum in naturali rationis lumine nequaquam fundatorum varietate, quæ dissensioni causam præbere possit. Schismata ergo & dissensiones, si quæ sunt in Ecclesia Christiana, non à doctrinæ Christi genio procedunt, sed à depravatis hominum animis, qui præceptis Christi, nil nisi caritatem ac pacem spirantibus, aurem præbere recusant. Diversitates autem sententiarum si quæ sint, quæ sine animorum divulsione, aut Ecclesiæ in partes separatione, amice ac placide agitantur, tantum abest, ut paci repugnent, ut veritati investigandæ & plenius atque exactius percipiendæ inserviant. Tales etiam inter Rabbinos non paucæ agitantur: summam tamen suæ Ecclesiæ unitatem in hoc scripto jactat Vir Doct. eo ipso agnoscens, sententiarum diversitatem unitati Ecclesiæ non officere.

De quorundam Christianorum idololatria. *Idololatria* in religione Christiana severissime prohibetur, idololatræ regno cælorum excluduntur; quin & Apostolus Paulus, *gentes à Deo in reprobam mentem traditas* docet, eo quod *gloriam incorruptibilis Dei transmutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum & serpentum.* Et quatuor prioribus sæculis adeo purum se ab idololatria conservavit Christianismus, ut & præcipui Doctores omnem sculpendi pingendique artem ut illicitam damnarint. Postea sensim imagines in templa introduci cœptæ, & cultus hactenus purus & illibatus corruptionem pati cœpit. Cui altera idololatriæ species, religiosa Eucharistiæ adoratio, adjuncta est: Verum illa fuit ævi posterioris. Interim licet hæc idololatria sincerum Dei cultum vitiaverit, alterius tamen generis eam dicere possumus, quam illam Ethnicorum toties in Lege damnatam, qui Solem, Lunam, reliquaque astra cæli, & dæmonia adorabant. Quippe quæ cum suo corrupto & idololatrico cultu unum agnoscit Deum creatorem cæli & terræ, & gentilem illam polytheismi amentiam professione publicâ palam condemnat. Cultum illius non excuso; nec inquiro, an non in tantâ Euangelii luce contra expressa legis quam agnoscunt mandata peccantium crimen Deo magis exosum sit, quam gentium ignorantiæ tenebris olim involutarum peccatum.

Hoc

Hoc saltem affirmo, quod ubicunque Euangelium auditur, in quantumvis corruptâ Ecclesia, evanescunt illico fictitiorum numinum omnis exercitus Dii illi omnes, summi, infimi, medioximi, cum toto suo cultu, & stabilitur summi & veri Dei creatoris cæli & terræ nomen & majestas. Quod unum secum tantam apportat lucem, ut longe diversus sit eorum status, quam illorum, qui Cimmeriis Ethnicismi olim obruti erant tenebris. Si quid itaque de illis pronuntiandum sit, dicendum hanc eorum idololatriæ speciem valde similem fuisse illi, qua Jerobeam decem tribus à vero Dei cultu abduxit, & peccare fecit. Quanquam enim istud fuerit crimen grande, quia tamen per vitulos suos verum Deum, qui Israëlem ex Ægypto eduxit, repræsentare voluit, manifeste ab idololatria gentili, qua fictitia numina colebantur, distinguitur: ut vel unico Achabi, ne alia nunc allegem, exemplo comprobari potest, de quo legitur 1. *Reg.* XVI. 31. quod *non suffecerit ei, ut ambularet in peccatis Jerobeam, insuper duxit uxorem Jesabel, & abiit, & servivit Baal, & adoravit eum*, &c. Sicut ergo Vir Doct. Jerobeamum & decem tribus Israëlis, licet idololatriæ crimine pollutas, confundi nollet cum Achabo gentibusque Baal & Astaroth adorantibus; ita etiam magnam Christianismi partem idololatriæ quadam specie sese polluentem eodem loco censere non debet cum gentilibus idola sua adorantibus; Et sicut peccatum Ierobeami Legi Mosis non imputat, ita nec Christianorum peccatum Euangelio imputare debet, sed voluntariæ hominum ab Euangelii puritate defectioni. Adde quod plurimi semper fuerint, imo Ecclesiæ multæ numero, quæ à cultu isto vitioso se puras conservarunt, hodieque conservant. Tandem ipse Dominus per Apostolos suos prædixit apostasiam illam in Ecclesia sua exstituram, 2. *Thess.* II. Sicut ergo idololatriæ Ethnicæ exstirpatio, per Euangelium passim omnibus in regionibus effecta, Iudæis veri Messiæ signum est, juxta Prophetarum vaticinia: ita etiam defectio illa à fidei ac pietatis Christianæ sinceritate, à Christo per Apostolos prædicta, Iudæis signum esse debet, Iesum nostrum verum esse Messiam, illiusque Ecclesia Romana defectione sua illustre documentum est.

Ex hoc fundamento facile responderi potest Viri Doctiss. quæstioni, *ubi Israël Ecclesiam, in qua regnum Dei consistit, viderit per mille & trecentos annos, ut ibi cognosceret regem cælestem?* Sane regnum Dei non consistit in externo splendore; sed in vera fide, morum sanctitate, & vitæ puritate, ad voluntatis divinæ, Euangelio (quam ipse Vir Doct. sanctissimam doctrinam agnoscit) præscriptæ normam exactâ. Euangelium ergo ejusque doctrinam requirere debebat, illosque homines observare, quorum vita professioni isti respondet: Et in magna illa defectione prophetiæ dominicæ impletionem agnoscere, neque cum ea se polluere aut quicquam commune habere. Eodem modo, quo tempore Ierobeami & sequentium regum, præsertim Achabi, quo ipse Elias se solum Dei cultorem remansisse credebat, ex ipsa Lege, non ex vitioso Israëlis cultu, gloria Dei Israëlis eumque colendi modus agnosci debebat. Pseudo-Christianorum errores, autoritate publicâ stabiliti, & gravissimæ persecutiones, quas omnes ab ipsis dissentientes sustinere cogebantur, gravissimum quidem fuere Iudæis scandalum; Verum providentia divina freti, credere debebant, regnum Christi omnibus piis & sincere credentibus esse commune, quorum curam Deus gerat, quos contra omnes artes, fraudes, persecutiones, corroboret, & tandem in gloriosum suum regnum cæleste introducturus est.

Ubi Ecclesia fuerit per mille & plures annos.

Mundum

Mundus per Euangelium à multis peccatis purgatus est.

Mundum in iisdem peccati sordibus, perinde ut ante Christi adventum, hærere, probari non potest. Quin imo manifestum est eum sub Jesu Christo in meliorem statum esse traductum. Olim enim totum mundum, solâ Judæâ exceptâ, idololatriâ fuisse pollutum, atque ita in peccato jacuisse, constat: à Christi vero adventu per maximam partem orbis terrarum idololatriam abolitam vidimus: & si omnes qui nomen gerunt Christianum non iis sunt moribus, quos optaret vir probus, hoc tamen dici potest, multas esse inter Christianos hominum myriadas, qui cum idololatria etiam pollutiones Ethnicorum abjecerunt, & veræ pietati studentes fidem suam morum sanctitate exornant; & ubicunque jam prædicatur Euangelium, omnes homines pudere eorum criminum, eorumque turpitudinem agnoscere, quæ olim in cultu Deorum solebant patrare, tanquam rem numini acceptam. Certum etiam est, non tantum initio summam fidelium generatim fuisse sanctitatem, & pro gloria divina zelum, adeo ut abnegatis omnibus quæ sibi cara erant mortem gravissimis in tormentis ultro susceperint, cum licuerit sola Christi abnegatione vitam redimere: sed & quavis ætate plurimos fuisse pietate eximios, qui omnia vitæ æternæ posthabuere, seque à crimine non tantum puros conservarunt, sed & exempla generosæ virtutis fuerunt: Quod nec ipse Vir Doct. diffiteri potest; solummodo *neminem eos novisse* ait: in quo tamen errat: Et licet hominibus ignoti sint, Deo notos esse sufficit.

Solam requirunt Judæi suam restitutionem.

Quid ergo illud est, à Prophetis prædictum, cujus impletionem Vir Doct. adhuc requirit? Unicum hoc; Quod *Israël in eadem & majore adhuc dispersione sit, quam ante Christi adventum per quingentos annos patiebatur.* Et revera unicum hoc est quod Judæi requirunt; quo uno si potirentur, reliqua non videntur valde desideraturi. Si enim regis cujusdam ope ex omnibus mundi plagis collecti terram Canaan rursus invaderent, & debellatis gentibus gloriose imperarent & tributa imponerent, votis omnibus potiti, nequaquam regem illum repudiaturi essent, etiamsi reliqua, quæ nunc contra Christianos implenda urgent, impleri non viderent. Dico ergo contra Viri Doct. assertionem, non tantum aliqua, sed omnia ferme, imo unico illo de Judæorum dispersione excepto, quæ de Messia prædicta sunt, in Jesu Christo Domino nostro complementum suum habere. Ac proinde nullam esse causam, cum tam multa impleta videant, ut ob unum nondum impletum (si id secundum literam implendum urgeatur) Jesum nostrum rejiciant: sed ob ea quæ impleta sunt, eum obsequiosa fide recipiant, & illius quod restat porro impletionem ab eo exspectent. Non enim dispersionem suam inter gentes causam prætendere possunt, quare Jesum non recipiant pro Messia; sed è contra repudiatio Iesu causa est, quod adhuc dispergantur: Non enim debent reduci, ut credant; sed credere, ut reducantur. Quod in sequentibus plenius ostendetur.

Prophetæ non tam eventum prædicunt, quam Rel. Christ. indolem.

Verum dicet Vir Doct. nihil horum esse impletum: Prophetas enim non prædicere doctrinæ Messiæ genium, & quid illi consentaneè, nisi homines præfracte impii sint, futurum sit; sed effectum ipsum, quem Deus tempore Messiæ in hominibus immediate effecturus sit: Tum & ex hac dispersione colligi Israëlem debere, antequam Messiam agnoscere possit. Ego vero contra contendo, Prophetas non prædicere, quid præcise futurum sit; sed prædicare magnam beneficiorum divinorum efficaciam, & quis inde effectus jure merito exspectari debeat. Verum quoniam hoc quæstione sequente

sequente ex professo excutietur, ubi Vir Doctiss. fusius hoc probare intendit, progrediemur ad considerationem liberationis Israëlis ex suâ captivitate & dispersione.

Dicimus nos, magnam Israëlis partem, principes & primores, Messiam sibi à Deo missum rejecisse & abnegasse: non mirum ergo, quod beneficiorum ipsius nequaquam sint participes: & suæ incredulitati Judæos imputare debere, quod iram Dei sustineant. Addimus, Deum ad tempus Israëlem indurasse, donec plenitudo gentium intraverit in Ecclesiam; & postea pleniore & efficaciore gratiæ operatione, quali hactenus usus non fuit, reliquias Judæorum respecturum, ita ut ingens ipsis Messiam suum agnoscendi janua aperta futura sit. Quæ autem & qualis illa gratiæ operatio futura sit, & quibus actibus absolvenda, ad arcanos providentiæ divinæ thesauros pertinet, quos nobis scrutari fas non est. Hoc est illud quod Apostolus Paulus docet *cap.* XI. *Epist. ad Roman.* An huic gratiæ adjuncta sit futura possessio terræ Canaan, me latet: Saltem templi reædificatio, & cultus ceremonialis & externi reductio, cum cultu spirituali jam in Christiana religione stabilito, consistere non posse videtur. *Gratia nova Judæis offerenda.*

Sed valde à mente Apostolorum Petri & Pauli aberrat Vir Doctiss. quando scribit, *eos, ut ostenderent sine sensibili Israëlis redemtione locum aliquem non habiturum Messiam, prædicasse, Christum cito rediturum, suo adhuc tempore.* Nihil minus. Respexerunt non ad carnalem quandam liberationem Israëlis ab oppressione hostium suorum; sed ad generalem judicii ultimi diem, quo fideles ex mortuis suscitati, & ab omni miseria liberi, in cælo immortales & perfecte beati cum Deo & Christo æternum sint victuri: uti omnia ipsorum scripta clamant. Verum est, plerumque eos loqui, quasi ultimus ille judicii dies brevi instaret, ipsisque adhuc viventibus Christus ad judicium esset venturus. Atqui hoc exinde videtur fluxisse, quod ex prædictione Jesu Christi certi essent excidium Hierosolymorum & judicium in gentem Judaicam brevi instare: crediderunt autem, judicium universale, cum judicio in gentem Judaicam fore conjunctum. Qui error nulli noxius, quin & plurimis magno usui esse poterat, ut semper attente & circumspecte ambulent coram oculis illius, quem quotidie venturum exspectabant. Quanquam & revera quotidie coram judicio ejus homines comparere dici possint; quatenus morientes in diem judicii asservantur, & quales mors illos oppresserit, tales coram judice Christo in illo diē sistentur. *Quo sensu judicii diē instare dixerint Apostoli.*

Attamen Paulus, revelationum magnitudine omnes antecellens, quoniam quidam epistolis commentitiis fideles turbabant, monet, diem illum judicii non adeo esse propinquum; sed præcessuram ingentem illam defectionem sub homine peccati: Quæ prophetia cum impleta sit, indubium argumentum est, quo confirmamur in exspectatione illustris adventus Domini ad judicium; Domino tempus, quod nusquam indicavit, neutiquam præscribentes; sed acquiescentes ejus prædictioni, quod *Ierusalem sit calcanda à gentibus, donec impleantur tempora gentium*; eorum autem temporum impletionem providentiæ divinæ committentes; certi *Deum non tardare suam promissionem*, ut ait Petrus 2. *Epist. cap.* III. *Sed unum diem apud Deum esse instar mille annorum, & mille annos instar unius diēi.* *Paulus eum non ita propinquum docet.*

Ex quibus omnibus apparet, Apostolos non loqui de corporali Israëlis liberatione; sed de ultimo judicio, & liberatione ex morte: quam tamen major gratiæ oblatio, qua

Iſraël ad Meſſiam ſuum converti poſſet, juxta Pauli doctrinam, præcedet. Atque hoc eſt unicum illud quod adhuc implendum reſtat, & à Prophetis, ſub magnificis illis de Iſraëlis redemtione verbis, forte inſinuatum eſt. Unde colligimus, Iudæos ex plurimis illis quæ jam impleta ſint, graviſſimas habere rationes, Meſſiam ad ſe miſſum recipiendi; neque ex illis, quæ adhuc implenda reſtant, ullum legitimum poſſe arripere prætextum, quo infidelitatem ſuam excuſent.

QUÆSITUM SECUNDUM.

CAPUT I.

Non recte exigi, Prophetas omnia quæ Ieſus Chriſtus docuit, exacte & plene prædicere debuiſſe.

IN ſolutione ſecundæ quæſtionis, iterum eadem recurrit diſputatio, an Deus omnia, quæ Chriſtus docuit, exacte & particulatim prædicere debuerit? Ut ſemel quæſtione illa defungamur, eam paulo exactius excutiam. Dixi, non neceſſe fuiſſe, ut Iudæi ante Chriſti adventum & Euangelii prædicationem diſtincte credant omnia, quæ ut revelaret, Chriſtus in mundum venit: ſed tum demum fidem illam fuiſſe neceſſariam, cum Chriſtus, ejuſque Apoſtoli, doctrinam Euangelii Iudæis clare ac plene annuntiarunt, & diviniſſimis miraculis confirmarunt.

Duo hic objicit Vir Doct. 1. ***Potuiſſe Deum clara illius ſecreti revelatione extremam populi dilecti ruinam præcavere.*** 2. ***Iudæos ergo ex Lege non potuiſſe ſcire, eam perfectioris eſſe typum; ſed requiri, ut prius Euangelio fidem præſtent.*** Reſpondeo:

Non neceſſe eſt, ut Deus omnia in anteceſſum clare revelaverit.

Ad primum: Me hic jure poſſe reponere reſponſionem Viri Doctiſſ. quam ille adhibet ad *Quæſt. tertiam Num. III, pag. 98.* ***Hæc ſpeculatio cum ad Dei abyſſum, inexſcrutabile ſecretum adſcendere affectet, ad eum ſatius foret inquirentem mittere***, quam Dei conſilium, ubi ipſe tacuit, ſemper ad noſtrum ingenium exigere. Sed ne ullam me hic ſubterfugere Vir Doctiſſ. cauſari poſſit reſponſionem, addo: Potuiſſe Deum per Prophetas, etiam per Moſen, omnia clare prædixiſſe, ne no inficias iverit. Rationes autem, quapropter id conſentaneum non fuerit, in reſponſione ad primam quæſtionem fuſe expoſui. Addo nunc: Immerito Iudæos à Deo exigere, ut ejuſmodi media adhibeat, quæ ne à præfractis & impiis reſpui poſſint: Sufficit Deum iis circa Iſraëlem occupari mediis, quibus abunde convinci poſſit, & procul dubio convincendus eſt; niſi ipſe ſibi obicem ponat. Talis continua fuit Dei circa populum ſuum providentia. Beneficiis plurimis eum ſibi devinxit, clare ſe illi revelavit, Legem adhibitis variis ſignis ac prodigiis promulgavit; adeo ut abunde ad Dei cultum & obſequium inſtructi eſſent. Non tamen eos ita cohibuit Deus, ut ab ipſo deflectere non poſſent, ejuſque iram

iram ac indignationem incurrere. Etiam paulo post visa illa prodigia, Mose adhuc commorante in monte; creatoris ac benefactoris sui Dei obliti aureum conflarunt vitulum; in deserto aliquoties murmurarunt ac seditiones concitarunt, & terram promissam adepti sæpius à Deo ad idola defecerunt: & tandem ob gravissima sua peccata in miserandam hanc dispersionem & captivitatem sunt traditi. Potuisset Deus providentia sua ita direxisse populum suum dilectum, ne in hæc crimina & calamitatem incideret. Sed cum Deus hoc noluerit, quis ita ingenio fretus, ut audeat dicere hanc directionem sapientiæ divinæ non esse convenientiorem? Quæ ergo ratio, quod à Deo ejusmodi directionem circa populum exigat, ut Messiam necessario recipere debeat, nec eum per contumaciam rejicere possit? Requirit Vir Doct. *Num XIII. ad Quæst primam*, ut *Deus populi ante & post Messiam viventis eandem habeat providentiam*: Atqui sic providentiæ divinæ ratio admodum fuisset diversa: Ante Messiam gubernasset ita populum, ut peccare ac transgredi posset; post Messiam redderet impeccabilem.

Nec sequitur, etiamsi Deus officia Messiæ clare per Prophetas prædixisset, Judæos eum unanimiter, quando venisset, recepturos fuisse. Qui toties Deum, qui se tam clare ipsis revelavit, reliquerunt, & idolis adhæserunt, qui Prophetas contumelia affecerunt, quis affirmare potest eos Messiam, licet clare sibi per Prophetas depictum, non rejecturos, si modo doctrinam ipsis ingratam annuntiasset? Mire sagax est humanum ingenium, ut quærat prætextus quibus actiones suas, licet veritati, etiam maxime claræ, adversas palliet & excuset; & facile sibi in minima circumstantia aut distinctiuncula Metaphysica blanditur. Reperissent alias exceptiones, quibus se hominem ingrata doctrina aures suas ferientem rejicere jure merito potuisse sibi persuasissent, & in quavis, vel minutissima circumstantia, diversitatem à prædictionibus studiose quæsivissent; eaque infidelitati fulciendæ suffecisset.

Et licet id Deus fecisset, potuissent tamen Judæi Messiam rejicere.

Ad alterum dico: Verum esse, ex Lege Veteri plene sciri non posse, eam perfectioris esse typum: Licet enim, ut postea dicemus, varia occurrant in Prophetis, quæ id insinuent; satis clara tamen non sunt, ut distinctam illius cognitionem pariant, nisi accesserit perfectioris Legis revelatio. *Ergo*, inquit Vir Doctiss. *non suppetit efficax medium ex Veteri Testamento, quo Judæi id credere possint, & Euangelio fidem adhibere.* Atqui consequentia illa nulla solida ratione nititur, & à me quam maxime negatur. Licet enim omnia quæ Euangelium docet non æque clare à Prophetis prædicta reperiantur; inde tamen magnum illud consequens deduci nequit, Ergo nullum suppetit efficax medium ex Veteri Testamento, quo Judæi fidem Euangelio adhibere possint. Verum Vir Doctiss. Vetus Testamentum solitarium considerare non debet, sed conferre cum veritate Novi Testamenti. Is perpetuus Viri Doct. error est, quod omnia quæ in Novo Testamento impleta sunt, æque perspicue in Veteri Testamento prædicta esse velit: Quod contra Prophetiarum naturam est. Ut itaque semel hic explicemus, qua ratione ac methodo in adstruenda religionis Christianæ veritate ac divinitate procedendum sit, dico, antequam ex Veteris Testamenti Prophetiis Euangelii divinitas adstruatur, ante omnia historiæ Euangelicæ veritas, & ex veritate ejus divinitas comprobanda est: quâ comprobatâ porro ex Veteris Testamenti prophetiis ostendi debet, omnia hæc consentaneë iis quæ à Prophetis prædicta sunt evenisse, prophetiasque suum in illis complementum habuisse. Hoc modo generatim adstructâ Novi Testamenti divinitate, eo

Quomodo ex V. Test. possit veritas N. Test. probari.

 ipso

ipso omnia particulatim eo contenta probantur esse divina: & semel generali illâ veritate solide confirmatâ, nihil restat aliud, nisi ostendere, in Novo Testamento clare aliquid revelatum aut præceptum esse, ut credatur divinum; licet in Veteri Testamento non perspicue traditum, sed obscurius & typis ac umbris involutum, non tam revelatum quam insinuatum sit. Ita inter utramque revelationem divinam comparatione instituta, ope rationis sibi à Deo, lucis instar qua dirigatur, concessæ, potest homo tuto ac facile discernere, alteram altera perfectiorem, & minus perfectam perfectioris typum esse, præsertim Deo id ipsum per legatos suos revelante ac homines docente. Atque ita patet ratio, qua Judæi ope Veteris Testamenti possint ad fidem Novi Testamenti seu Euangelii adduci, & fidem habere particularibus in Euangelio revelatis dogmatibus, licet ea in Veteri Testamento plene ac clare revelata aut prædicta non sint.

CAPUT II.

Quod verba Mosis Deut. Cap. xxx. *proprie agant de captivitate Babylonica.*

Deut. xxx. agit de captivitate Babylonica.

VIr Doctiss. ut ostendat fidem in Messiam quatenus jam venit non esse unicum medium ad salutem Israëlis & restitutionis in divinam gratiam, dixit, ***medium unicum pro restituendo Israële ab hac captivitate in divinam gratiam, esse observationem legis Mosaica, ex Deut.*** xxx. Respondi ego, locum illum proprie respicere captivitatem Babylonicam; idque probavi verbis ***Nehemia, cap.*** 1. 8. Quæ verba Nehemias non protulit, ut ***populum ad exactam pænitentiam suaderet***, uti Vir Doct. ait, quasi verba proprie majorem miseriam indicantia populo proponeret in hac sua miseria, illique accommodaret, ut efficacius populum ad resipiscentiam flecteret, & ut certam de misericordia divina spem conciperet hortaretur: Non enim sunt verba populum hortantis & monentis, sed Deum orantis, quibus ipse in precatione solus coram Deo agnoscit comminationem divinam in populi dispersione complementum suum habere: & ex ea liberationem precatur. Sic enim in precatione sua Deum alloquitur: ***Memento verbi quod mandasti Mosi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: & si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos,*** &c. ***Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui,*** &c.

Fuit ea Iudæis extreme molesta.

Objicit Vir Doct. ***Nehemiam credere non potuisse, quod in ea captivitate omnia, vel præcipua, in legis maledictionibus contenta fuerint executa.*** Cur vero non? cum Nehemias id expresse dicat. Ait: ***Quia populus tunc ad extrema terra non potuit dici esse dispersus, sed solum in proximas regiones captivus ductus: neque ea captivitas populo extreme fuit molesta,*** &c. Sed vero verba Nehemiæ clara nimis sunt, quam ut id negari possit. Confitetur primum peccata populi, quod mandata, ceremonias & judicia quæ Deus Mosi præceperat non servaverint; tum addit, ***memento verbi quod mandasti Mosi servo***

servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis ego dispergam vos in populos; & si revertamini ad me, & quæ sequuntur. Simili modo Jeremias captivitatem hanc describit in Lamentationibus suis: *Cap. I. Migravit Juda propter afflictionem & multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem*: Et passim toto illo capite *consolatorem non habere* dicitur. Et Daniel in oratione sua *Cap. IX. 7. Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda & habitatoribus Jerusalem, & omni Israël, his qui prope sunt, & his qui procul, in universis terris, ad quas ejecisti eos*, &c. *Et omnis Israël prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt ne audirent vocem tuam, & stillavit super eos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Mosis servi Dei, quia peccavimus ei: Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cælo, secundum quod factum est in Jerusalem.* Quæ Jeremiæ & Danielis verba Mosis comminationem in captivitate Babylonica suum habere complementum, eamque captivitatem populo extreme fuisse molestam, evidenter ostendunt.

Vineas illic plantare & domos construere à Jeremiâ jubentur, ut septuaginta annorum captivitatem ibi perdurare possent; non vero ut significet, eos laute illic victuros. Et nunc quas non vineas plantant & domos ædificant variis in locis in hac sua dispersione, & divitiis corradendis intenti, quas non delicias sectantur? Simili ergo modo concludere possem, hanc dispersionem non esse Iudæis extreme molestam. Imo ipse Vir Doctiss. idem de populo suo gloriatur, *Quæst. III. Num. IV. pag.* 103. *Nec sumus semper adeo abjecti, ut plurimi Christiani nobis non invideant. Fere omnes reges Christiani nostris hominibus pro principalioribus officiis agendis utuntur*, &c. Atqui *cogitur idola adorare, Deos ex ligno ac lapide, farina ac vino.* Pro ejusmodi Christianorum crimine, quod toto animo detestor, nihil quicquam quo excusetur afferre possum, aut volo: Sed contra Virum Doct. dico, tamen Iudæos regionem illam nolle deserere, cum plures pateant, in quibus tuto non tantum vivere, sed & in Synagogis publice Legem docere, & ceremonias, quantum in hac dispersione possunt, observare licet: Quod argumentum mihi non leve est, commorationem illam non adeo ipsis esse molestam, sed plura illic ipsis obvenire commoda, quæ periculis ac vexationibus ipsorum judicio præponderent.

Perinde ut hodierna.

Nunquam Israël in Babylonica captivitate idololatriæ crimen commisisse legitur, ait Vir Doctiss. Et tamen hoc expresse de Judæis in Babylone captivis prædicit *Jerem.* XVI. 13. *Servietis ibi Diis alienis die ac nocte*: ubi totus capitis contextus docet, de captivitate Babylonica sermonem esse. Imo coactus fuit sub Nebucadnezare, addita comminatione conjectionis in fornacem ignis, statuam Belis ab ipso erectam adorare: Et soli tres Danielis socii leguntur præceptum istud contemsisse. Quod non leve est indicium, plures horrendi illius supplicii metu genua idolo isti flexisse: Et sic recte etiam coacti dici possunt, idola adorare. Præterea dici possunt *Diis alienis servire*, quatenus serviunt iis qui Diis alienis serviunt. Qui enim servus est domini, etiam cum domino suo subjectus est illi, cui dominus servit. Tandem fatetur Vir Doct. paucos admodum libertate redeundi sibi concessa usos; reliquos Babylone mansisse. Atqui quibus terra Canaan & templum Dei adeo vile fuit, ut ob delicias hujus vitæ maluerint inter idololatras degere, quam Deum in terra suâ juxta cultum & ritus ab ipso institutos colere, quo-

An Babylone omnes puri fuerint ab idololatria.

 modo

modo credere potest, tales non sensim idololatriæ crimine pollutos? Imo probabile mihi est, tales qui nunquam Babylonem deseruerunt, per illicita connubia sese idololatris miscuisse, & à Deo totos defecisse, perinde uti decem tribus in Assyriam abductæ, quæ gentibus permixtæ sunt; & si qui ex iis Deum constanter adhærentes in terram Canaan redierunt, tribus Judæ accessio facti sunt.

Qui sunt Dii, quos non novit Israël, nec patres ejus.

Sed *Chaldaeorum & Persarum Deos noverant quidem majores nostri*, ait Vir Doct. Resp. Certum tamen est, ea descriptione illos Deos designari; quod evidentissime comprobatur ex *Jerem.* VII. 9. & XIX. 4. quia expresse illic arguuntur Judæi, quod *reliquerint Deum, & alienum fecerint locum istum; & libaverint in eo Diis alienis, quos nescierunt ipsi & patres eorum & Reges Juda.* Manifestum est ibi describi Deos quos olim Judæi, stante adhuc templo primo, coluerunt: quos tamen *ipsi & patres eorum nescivisse* dicuntur: Manifesto indicio, hoc epitheto non describi *idola hactenus in orbe inaudita, & quæ postea demum sunt excogitata*: sed esse tantum pleniorem explicationem *Deorum alienorum*: sicut nos dicere solemus, alienos nobis esse ignotos. Et quod omnem dubitationem tollit, est lex *Deut.* XIII. 6. *& seqq.* lata contra omnes, qui Israëlitas ad falsorum Deorum cultum seducere conabantur, in quâ eadem hæc verba occurrunt: Si dixerit clam, *Eamus & serviamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui.* Verba enim immediate sequentia, *cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ*, explicationis gratiâ addita, manifeste arguunt, Deos gentium, tam earum quæ *juxta*, quam quæ *procul* sunt, sine discrimine vocari Deos, *quos ignorarunt ipsi & patres ipsorum.* Et variæ rationes hanc explicationem evincunt. Nam si eâ phrasi tantum intelligantur Dii, *quos non adorant Judæi*, uti Vir Doct. ait, *nisi Christianismum amplectantur, in quo Deos ex ligno, ex lapide, ex farina & vino adorare coguntur*, potuit olim Israëlita, sine legis hujus violatione, seducere fratres suos ut adorent idola, quæ à vicinis gentibus colebantur, quorumque nomina & colendi ritus ipsis ignota non fuere. Cui alia cohæret ratio; Quod lex hæc frustra fuerit lata: quoniam, juxta Viri Doctiss. explicationem, legis illius transgressio locum habere non potuit stante Republicâ Judaica, sed solummodo, postquam Judæi eversa ipsorum Republica inter Christianos fuere dispersi, & ad eorum sacra amplectenda coacti. At cui fini tum pœna illa in seductores hujusmodi constituta, quam Judæi, eversa Republica, ac judicandi potestate sibi adempta, nulli irrogare possent? Adde, quod in Deum sapientem minime cadat, constituere pœnam seductoribus populi sui à magistratu & populo infligendam, quæ infligi non potest, nisi stante republica & regimine populi; nec tamen eâ pœnâ voluisse comprehendere seductores in illam idololatriæ speciem, ad quam solam stante ipsorum republica seduci, & ad quam ut seducerentur facile impelli poterant: Sed illos solos voluisse comprehensos, qui ad idololatriam seducerent aliquot demum enascituram sæculis post eversam Rempublicam, quæ stante Judæorum Republica nondum erat excogitata, ad quam proinde seduci non poterant; & præcepisse populo illius seductionis pœnam, cum puniendi potestas justo Dei judicio jam populo adempta foret. Quod tantumdem foret, atque nullam illi seductioni constituere pœnam. Quæ enim infligi non potest pœna, revera nulla est. Atque ita Deus severam hanc sanciens legem, nihil quicquam quo coërceri tantum peccatum posset præscripsisset. Quæ omnia cum summa laborent absurditate, merito colligo, phrasi illa, *Dii quos non novisti tu nec patres tui*,

ni, non alios designari Deos, nisi alienos, quos gentes, in quarum circuitu habitabant Israëlitæ, coluerunt.

Nec alia quam Chaldæorum gens describitur, *cujus linguam ignorare* dicuntur. Uti evidens est ex *Jerem.* v. 15. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israël, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam* (sane ea non est gens Romanorum, quæ tum vix in suis incunabilis erat, sed Chaldæorum, uti ex toto capite manifestum est:) & additur: *Gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.* Eædem gentes & terra vocantur *Jerem.* ix. 16. xvi. 13. *quas non noverunt ipsi & patres eorum.* Solenne est Prophetis verbis admodum emphaticis uti ad exaggerandum summam populi miseriam: quæ tamen secundum omnem literæ rigorem plene non sunt explicandæ. Sic dicitur *Jerem.* ix. 16. *mittam post eos gladium, donec consumantur:* Quod tamen in dispersione Judæorum hactenus factum non est, neque futurum credit Vir Doctiss. qui ex ea liberationem per Messiam sperat. Similiter in *Lament.* iv. 18. *completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.* Non tamen gentis Judaicæ finem tempore Jeremiæ advenisse Vir Doctiss. credit. Eodem modo dicuntur Chaldæi & eorum regio, *gens & regio quam non noverunt ipsi & patres eorum:* Non quod fando nihil unquam de ea audiverant: quo sensu aliquando dicuntur regiones ignotæ: Sed quod gens & terra illa nunquam ipsis esset visa, nullum cum gente illa haberent commercium, ac proinde vere ipsis fuerit ignota. *Et populi, quorum linguam ignorant.*

Quod initio pauci ex captivitate ad reædificandum civitatem & templum redierunt, non fuit, quia sciebant etiam his deteriora aliquando populo Israëlis eventura; nullum enim illius ne minimum quidem usquam occurrit indicium: sed quia labores, molestias ac pericula in initio sibi exhaurienda refugiebant. Postea vero, cum videbant tutius se in terra sua habitare posse, majore numero sensim redierunt, adeo ut tota terra incolis denuo repleta sit. Neque hanc crediderunt libertatis umbram, sed veram libertatem, pro qua & cum cantu summoque gaudio Deo gratias egerunt, *Esd. cap.* iii. & *Nehem.* xii. 42. dicitur *eos Deus lætificasse lætitia magna; & audita est lætitia Jerusalem procul.* In Babyloniâ quidem non sunt navibus deducti in Ægyptum: sed in eadem dispersione aliqui, qui cum Jeremiâ in terra Canaan manserant, profecti sunt in Ægyptum: & tempore Regum Græciæ & Ægypti ut ait Vir Doct. eo abducti sunt. Quid ergo alia tempora quærimus? In Vespasiani ac Titi captivitate id contigisse non constat, nec Josephus, qui accurate captivitatem illam describit, hoc refert. *Cur in initio pauci ex Babylone in Judæam sint reversi.*

Tandem locum hunc de captivitate Babylonica accipi non posse hoc invicto argumento se probare posse putat Vir Doct. *Quod Judæi nec in Babylone, nec post reditum in terram suam, Deum quæsiverint ex toto corde & tota anima; quæ tamen conditio fuit ad liberationem ibi promissam requisita: sed variis ac enormibus se criminibus pollutos reddiderint.* Sed vero, nego capite illo contineri prædictionem, quid præcise futurum sit, quod nempe post captivitatem ex toto corde Judæi se sint conversuri ad Deum, & quod Deus ipsos ex omnibus mundi angulis sit reducturus in terram Canaan: Sed promissionem tantum cum apposita conditione: siquidem se converterint ex toto corde ad Deum, quod eos sit reducturus in terram, etiamsi ad cardines usque cæli dispersi fuerint. Nulla itaque hic est prophetia eventus adhuc futuri. Et tanta fuit benignitas Dei, ut cum ipsum invocarent, & idolis abjectis ipsum solum Deum agnoscerent, licet multorum adhuc *Conditio requisita ut restituerentur.*

adhuc criminum rei, uti Vir Doct. agnoscit & urget, nihilominus eos restituerit: donec ad pristinam vitæ profanitatem (sola idololatria excepta) relapsi, & quotidie in pejus pergentes, adeo quidem ut Messiam ad se missum indigne condemnarint & ut crucifigeretur autores fuerint, tandem in pœnam tanti criminis à Deo sint abjecti, templum & Hierosolyma vastata, ut nunquam restituenda sint; juxta vaticinium Servatoris Jesu Christi *Matth.* XXIV. & *Luc.* XXI. Prolixior in hisce excutiendis fui, quia Vir Doct. hic se invictis argumentis pugnare credit, quæ quam imbecillia sint specialius ostendendum fuit.

CAPUT III.

Quod Iudæi Messiam ad se missum rejicere potuerint, & revera rejecerint.

Pœna ob spretum Messiam est vel totius populi, vel uniuscujusque privati.

SEd negat Vir Doct. Judæos Messiam suum rejicere potuisse: Antequam vero id adstruere conetur, paucis rogat, *quibus beneficiis à Meßiâ obtinendis privetur Israël ob sui infidelitatem?* Resp. Proprie spiritualibus; ea enim ut conferret Christus in mundum venit: Qui enim eum pro rege agnoscere non vult, in regno ejus partem habere nequit. Sed meminisse hic debet Vir Doct. suæ distinctionis antea & post adhibitæ, quod Israël sit accipiendus vel collective pro toto populo simul sumto, quatenus Remp. constituit; vel distributive pro singularibus illius populi. Si posteriore modo sumatur, pœna illius est ejectio ex regno cujus noluit esse particeps: & hæc est pœna illos speciatim premens qui increduli sunt, quâ eximuntur omnes Christum vera ac sincera fide recipientes. Si priore modo accipiatur pro collectione populi qui Remp. quandam hic in terris constituit, pœna illius est excidium civitatis & templi, & dispersio inter gentes, juxta dictum Domini *Luc.* XXI, 24. *Et cadent in ore gladii; & captivi ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium.* Licet itaque pœna speciatim unicuique infideli ac impio in Euangelio constituta sit supplicium æternum, quia unusquisque pro se coram tribunali Christi rationem est redditurus: Nihilominus tamen totius populi excidium gravis integro populo pœna est. Ob plures, & præsertim Magistratus, in populo nocentes, Deus iram suam erga integrum populum excidio sæpe testatur; licet & pios non paucos inter illos reperiat; qui quatenus ut pars populi considerantur eidem excidio generali involvuntur; sed quatenus ut particulares Deum timentes, in ultimo judicii die generali impiorum excidio eximentur, & perfecte beati cum Deo vivent.

Quo sensu promittat Deus, se populi cor mundaturum.

Hisce obiter objectis, probare Vir Doct. intendit, Judæos Messiam suum rejicere non posse, *quia Deus promisit se cor populi mundaturum*, &c. Respondi ego, Deum dici homines *purificare*, non quod actu semper homines mundentur; sed quia circa ipsos gratiosam adhibet operationem, quæ ad ipsos mundandum efficax est, & ad ipsorum mundationem destinata; licet contingat hominem propria malitia abuti ista opera-

operatione divina, & per eam minime mundari. Id invicto testimonio ex *Ezech.* XXIV. 13. probavi; *Immunditia tua execrabilis est, quia mundavi te, & mundata non es à sordibus tuis.* Hic dicit se Deus *mundasse* Jerusalem, & tamen eam *à sordibus suis non esse mundatam.* Si actu eam mundaverit Deus, quomodo mundata non est? Ergo *mundasse* eam Deus dicitur, quia à sua parte omnia fecit, quæ ad eam mundandum requirebantur, & per quæ, nisi propria sua malitia se insanabilem reddidisset, sanata fuisset. Et Vir Doct. non parum meam sententiam confirmat, cum ait, *Nullus hominum negare potest, neque Theologus aliquis dixit, quod gratiæ sufficienti seu excitativa homo libere nequeat resistere, & de facto non assentiri.* Et tamen Deus hic gratiam sufficientem & excitativam adhibens juxta Virum Doct. sibi adscribit ipsum mundandi actum, *Mundavi te*, inquit, qui tamen gratiam eam secutus non est. Unde evidenter colligo, verba actum significantia apud Hebræos non semper actum ipsum designare; sed tantum operationem omnium, quæ ut actus iste existat necessaria sunt, licet contingere possit, imo nonnunquam contingat, actum ipsum non existere. Similis est locus *Mich.* VII. 1. *Cum sanarem Israël, revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Dicit ibi Deus, se *sanasse Israëlem*, & nihilominus *iniquitatem Ephraim esse revelatam*, quia nempe novâ contumaciâ Dei sanationem respuit. Sed si *sanare* hic significet ipsum sanandi actum, quomodo fieri potuit ut sanata non sit, & malitia ejus ablata? Idem dicebam evinci ex loco *Ezech.* XI. quem Vir Doctiss. allegat; quia postquam dixit, *Dabo eis cor novum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum*, &c. immediate subjungit; *Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam ponam in capite ipsorum:* Manifesto indicio, quando Deus cor novum dat, fieri nihilominus posse, ut aliqui post offendicula & abominationes suas ambulent: alias enim frustranea foret hæc comminatio. Unde porro sequitur, per *cordis & spiritus novi dationem*, non significari, ipsam actualem cordis immutationem; sed subministrationem luculentam omnium mediorum quibus cor immutari potest, & revera immutandum est, nisi homo propria malitia sibi ipsi obicem ponat.

Excipit hic Vir Doct. quod *plurimi non solum ex gentibus, sed etiam ex Judæis iram Dei sustinebunt propter crimina, quæ ipsos divina illa gratia efficaci indignos reddidere.* *Occurritur exceptioni.* Sed resp. 1. Si per gratiam illam efficacem Israël est convertendus ab impietate sua, ergo omnes ante acceptam illam gratiam sunt in statu impietatis ac peccati, ac per consequens, se indignos gratiâ illa efficace reddiderunt: Et revera ipsa vox *gratia* satis indicat, eum cui illa fit, ea esse indignum. Si ergo omnes gratiâ illâ indigni, quæ ratio, quod hi ab illâ excludantur? Perinde enim atque reliqui, quibus ea obtinget, per illam ab impietate sua conversi essent. 2. Sequitur per Messiam non omnes omnino Judæos fore convertendos, & in terram promissam reducendos; sed eos solum, qui se hac efficaci gratia divina indignos non reddiderint. Quod si verum est, numerum reducendorum Israëlitarum, ratione habita peccatorum quibus juxta ipsum Virum Doctiss. ferme omnes immersi sunt, valde exiguum fore credibile est. Quomodo ergo hæc est gratia toti Ecclesiæ & populo Israëlis communis? Paucos puto Virum Doctiss. in hac opinione sibi adstipulantes Judæos reperturum.

CAPUT IV.

De modo operationis gratiæ divinæ, & de libero arbitrio.

Sententia de libero arbitrio non rejicitur à toto Christianismo.

ADdideram aliud argumentum, quod per ejusmodi gratiæ operationem tollatur liberum arbitrium, ejusque liber usus: idque argumentum contra Viri Doctiss. exceptionem prolixius adstruxi. Hic non sine maxima admiratione legi quod me accuset Vir Doct. quod *hoc argumento non solum ipsum, sed totum Christianismum oppugnem*: & objicit mihi, ut id probet, Augustinum, & Calvinum, & tandem etiam Episcopium. Augustinum & Calvinum mihi adversos esse, satis novi: Sed absit, ut illorum sententia totius Christianismi sit sententia. Primus Augustinus hanc in Christianismum invexit sententiam: ante Augustinum omnes Christiani Doctores in eâdem mecum fuere sententia: Multos Augustinus quidem sequaces habuit, sed & non paucos contradicentes: ita ut utraque sententia inter doctores Christianos obtinuerit, & in Ecclesia Christiana tolerata fuerit.

De eo sententia Episcopii.

Sed omnem admirationem superat, quod Vir Doct. mihi Episcopium objiciat, quem notissimum est sententiam illam de gratia efficace necessario homines convertente in omnibus suis scriptis acerrime oppugnasse, ob ejus oppugnationem à Synodo Dordracena condemnatum, exautoratum, & postea in exilium esse missum: imo integrum illum tractatum, ex quo Vir Doct. argumentum contra me ducere vult, pro arbitrii libertate contra gratiam illam efficacem & necessario convertentem scripsisse: ut omnibus, qui vel leviter Episcopii scripta inspexerunt, notissimum est. Et ut Viro Doct. tanto evidentius constet me hic idem cum Episcopio sentire, & sententiam Viri Doct. diserte ab Episcopio rejici, ecce ipsa Episcopii verba, prout in *Apologia pro Confessione Remonstrantium* exstant, *ad cap.* XVII. *§.* III. *fol.* 162. *vers.* ubi dicit, gratiam efficacem tripliciter spectari posse: *Secundus modus est, ut spectetur efficax ex parte modi, quo Deus eam confert, quatenus vid. eam accommodat personis, temporibus & circumstantiis, quibus positis prævidet futurum, ut ea effectum sortiatur, atque ita efficax fiat. Atque hæc gratia hoc modo administrata congrua gratia solet vocari, & distingui à non congrua. Hæc gratia efficax est, non à forma sua, sive ex se, sed ex modo procedendi, quo Deus utitur, qui fundatur in prænotione Dei, qua præscit infallibiliter, gratiam, si isto tempore, tali loco, cum talibus circumstantiis offeratur, certo certius effectum sortituram, quem alio tempore, alio loco, &c. administrata sortitura non esset.* Ecce hic gratiam illam efficacem quam Vir Doct. urget plene & exacte descriptam. De ea tamen Episcopius, eadem in Apologia *fol.* 175. dicit, quod *eam Remonstrantes non admittant, quia non minus quam altera* (quæ juxta primum modum secundum naturam aut formam suam efficax vocatur) *supponit absolutam & præcisam quorundam prædestinationem, à qua ex professo se abhorrere in Collatione Hagiensi ubique protestantur.* Ecce hanc Viri Doct. gratiam efficacem disertis verbis

bis ab Episcopio rejectam. Ipse autem dicto loco amplectitur gratiam tertio modo vocatam efficacem, ***ex parte effectus quem habet, quando voluntas ei cooperatur, quæ ex se sufficientem habet vim, ad producendum consensum in voluntate; sed, quia vis illa partialis est, non potest exire in actum sive effectum sortiri sine cooperatione libera voluntatis humanæ, ac proinde ut effectum habeat, id est, ut in actu secundo sit efficax, pendet à libera voluntate.*** Eamque in omnibus suis scriptis propugnat: & hæc eadem est quam ego in scripto meo urgeo. Nec locus ex tractatu contra Cameronem, quem Vir Doct. profert, contrarium probat. Episcopius in eo contendit, ejusmodi operationem, qua voluntas ita determinatur in alteram partem ut contrarium velle nequeat, pugnare cum natura obedientiæ. Objicitur ipsi exemplum Christi, qui Patri suo obedivisse dicitur, & tamen peccandi potentiam non habuit. Episcopius ostendit, Christum peccandi potentiam habuisse, eamque sententiam confirmat argumentis, & ab objectionibus vindicat. Nusquam vero dicit, ***Christum cum liberum haberet arbitrium peccare posse si voluisset, sed quod de facto nunquam velle poterat divina gratia efficace præventus***: Acutior erat Episcopius, quam ut sibi tam aperte contradiceret: Qui enim velle non potest peccatum, nec peccare potest: cum peccati actum peccandi voluntas præcedat necesse sit.

Ex tota, quam Vir Doct. admodum prolixe facit, deductione liquet, quicquid obluctetur, & quantumvis sollicite libertatem arbitrii humani asserere videri velit, revera eam ab ipso negari ac tolli. Tota deductio summatim eò redit, in homine quidem esse libertatem arbitrii, sed accedente illa efficace operatione gratiæ divinæ, ita per eam inflecti hominis voluntatem in alteram partem, ut oppositum velle nequeat: Dicit quippe, ***Deum promittere non quamlibet excitativam gratiam, sed efficacem ad quam sequatur effectus ut Deus vult: & tunc facit, quod homo velit eo modo & gratiæ gradu, quo ille scit hominem libere, sed infallibiliter voliturum.*** Unde & paulo post addit, quod ***hæc infallibilitas divinæ operationis aliquomodo naturalem hominis destruat libertatem.*** Hoc tantum quæro, an posita illa gratiæ efficaci operatione in hominis potestate sit contrarium facere illi, ad quod gratia hæc eum infallibiliter (ut voce Viri Doct. quanquam meo judicio, ut mox ostendam, valde incommoda, utar) determinat? Non potest hoc Vir Doct. consentanee iis quæ scribit asserere, quia ***ad eam gratiam sequitur effectus ut Deus vult, & destruit aliquomodo naturalem hominis libertatem.*** An putat, sufficere hominem non cogi? Atqui hoc contradictorium est, hominem cogi ad volendum: qui enim cogitur contra voluntatem suam quid patitur: Si ergo homo cogeretur ad volendum, simul vellet & nollet; quod contradictorium est. Tollitur itaque arbitrii libertas, non proprie per coactionem; sed per ejusmodi gratiæ efficacis operationem, quæ non permittit, ut homo contrarium ejus velle possit, ad quod per eam determinatur. Licet enim dici possit, ipsam volendi facultatem naturalem in homine remanere, destruitur tamen & impeditur per istam gratiæ efficacis operationem liber illius usus. Et libero ejus usu destructo, nulla ejus est libertas.

Liberum arbitrium negari à Viro Doct.

Putat Vir Doctiss. se efficacem gratiæ operationem deducere posse ex præscientia divina: hinc ait, ***Deum scire hominem libere, sed infallibiliter voliturum.*** Et credit me non assentiri Socinianis, qui futurorum contingentium præscientiam in Deo non agnoscunt. Recte quidem: Credo enim ego, Deum futura contingentia, quæ à libero hominis arbitrio dependent, præscire, neque eorum contingentiam per Dei præscien-

Omnia Deus præscit.

tiam ullatenus imminui aut destrui. Non tamen propterea cum Viro Doctiss. Socinianis impietatem adscribere audeo. Quod enim futurorum contingentium præscientiam Deo denegant, non ideo est, quod Deo aliquam perfectionem detractam cupiunt; sed quia contradictorium esse putant, aliquid à Deo præsciri, & tamen esse contingens: quoniam futura contingentia suâ naturâ scibilia non credunt. Sicut itaque omnipotentiæ divinæ nihil detrahit, qui contradictoria ejus objectum negant; ita se omniscientiæ divinæ nihil detrahere credunt, cum futura contingentia (quorum præscientia juxta ipsos contradictionem involvit) scientiæ divinæ objectum negant. Hoc eum in finem dico, ut discamus distinguere inter errorem & impietatem: Errorem ipsis adscribo, impietatis eos reos non arguo. Similiter magnifici tituli *orthodoxia*, & *orthodoxa Ecclesia*, revera aliud nihil sunt quam ad populum phaleræ: unusquisque æquo jure eos sibi adscribere potest. Ea demum orthodoxa est sententia, quæ vera est; & dum veritas inquiritur inter dissidentes, eorum neuter ex sua sententia ut orthodoxa, tanquam ex principio indubitato, testimonia quibus alterum gravet proferre potest.

Per præscientiam divinam non tollitur libertas voluntatis.

Sed quicquid sit de Socinianis, uterque, Vir Doct. & ego, omnium futurorum eventuum præscientiam Deo adscribimus: Verum contendo ego, præscientiam divinam eventus naturam nullatenus immutare. Eventus liber, seu contingens, per præscientiam divinam suam contingentiam non amittit. *Atqui*, inquit Vir Doct. *ille infallibiliter est futurus.* Sed quid est *infallibiliter futurum* esse? Infallibilitas proprie non est affectio eventus, sed scientiæ: in eventu consideramus contingentiam & necessitatem: sed fallibilitas aut infallibilitas sunt affectiones scientiæ: aut si attribuantur eventui, fit id abusive, & cum respectu ad scientiam. Deus ergo eventum præscit infallibiliter, hoc est, ita ut in scientia sua falli non possit. Quando autem eventui Vir Doctiss. adscribit infallibilitatem, aut eam illi adscribit absolute & in se; & sic per eam intelligit necessitatem; atque ita contradictoria dicit, aliquid libere simul & necessario fieri: vel respective ad scientiam Dei, & tum sensus est, quod Deus, qui eventum præscit, in sua scientia falli nequeat. Atqui talis scientia non tollit in homine liberi arbitrii usum ac potentiam contrarium faciendi. Est enim nuda scientia in Deo immanens quæ extra Deum nihil operatur.

Modus operationis divinæ circa obedientiam hominis.

Sed dicit Vir Doctiss. *gratia efficaciam omnino dependere à præscientia Dei, qui certo scit, quibus mediis humana voluntas indefectibiliter movebitur ad volendum, &c.* Sane quando Deus aliquid absolute efficere vult, indubium non est, quin ejusmodi mediis utatur, quibus nemo resistere potest. Verum probandum est, quando Deus obedientiam ab hominibus exigit, & quidem promissione præmii & comminatione pœnæ sancitam, ipsum ejusmodi adhibere media, per quæ liberum arbitrium infallibiliter (hoc est necessario) ad id quod Deus vult moveatur. At hoc naturæ obedientiæ repugnat, quæ sine libertate nulla est. Certum quidem est ac indubitatum, varios esse ac multiplices providentiæ divinæ circa hominem ejusque obedientiam actus: omnes autem moralem movendi vim habent, quibus homo quidem movetur ad obedientiam, ita tamen, ut, si refractarius esse velit, operationi isti divinæ obluctari possit. A Deo itaque primum operandi principium est, quatenus homini vires ad operandum necessarias largitur, & viribus jam concessis hominem movet, & instigat ad operandum: Sed à parte hominis accedere debet voluntatis, gratia divina excitatæ, liber consensus. Et hoc

sensu

ſenſu dicta Scripturæ explicanda ſunt, *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum*: &, *Ego dabo in vobis ſpiritum novum, & creabo in vobis cor novum*: & ſimilia; quatenus Deus omnia à ſua parte confert, quæ requiruntur ut homo ſibi cor novum faciat; & homo gratiam divinam libere amplectitur, ut illius ope cor novum adipiſcatur; quam, ſi refractarius eſſe voluiſſet, etiam libere rejicere potuiſſet. Hoc ſenſu, uti antea oſtendimus, etiam illa Scripturæ loca commode explicantur, quibus Deus ſe *mundaſſe Judam* dicit, cum tamen *illa mundata neutiquam ſit*: Quæ ſtante Viri doct. ſententia nullam commodam explicationem admittunt.

An poſita libertate arbitrii fieri potuiſſet ut nulli crederent.

Sed ſententiæ meæ duo potiſſimum Vir Doct. objicit: Prius: *Omnes gentes, perinde ut Judæi, utpote liberæ, potuiſſent de facto Euangelium non admittere: quod ſi fuiſſet, in nullis eſſet facta Chriſti redemtio, illeque fruſtra in mundum veniſſet. Quod eſt impium.* Non ex ſuo ſenſu hanc objectionem format Vir Doct. quia ſic admittere deberet, gentes per efficacem Dei vocationem ad Euangelium converſas, ac proinde Euangelium eſſe divinum. Itaque ex Chriſtianorum mente eam urgere credendus eſt, qui omnes ut grave abſurdum horrent, Chriſtum potuiſſe fruſtra venire in mundum: Veniſſet autem fruſtra, ſi nulli credidiſſent: & potuiſſent nulli credere, ſi omnes fuiſſent liberi ut vocationi divinæ potuiſſent reſiſtere. Verum nulla in argumento hoc eſt conſequentia: Primo enim, gratia Dei per Jeſum Chriſtum humano generi oblata, tanta eſt ac tam eximia, ut maximi miraculi inſtar futurum ſit, ſi nulli per eam converterentur: quique eam reſpuerunt, ſe inſanabiles prorſus oſtenderunt. Licet ergo omnes per libertatem, ſibi naturalem, potuiſſent gratiam illam reſpuere; non tamen ullo modo metuendum fuit, gratiam tam inſignem, cujuſque annuntiatio tam potentibus miraculis confirmata fuit, ab omnibus fore contemnendam; aut in omnibus & ſingulis tantam fore animi perverſitatem, ut tam eximiam ſalutem ſint repudiaturi.

Chriſtus tamen fruſtra non veniſſet in mundum.

Sed eſto, concedamus; ſiquidem abſolute libertatem hominum ſingulorum conſideremus, fieri potuiſſe, ut gratiam divinam reſpuerent; non tamen, etiamſi id contigiſſet, Chriſtus fruſtra in mundum veniſſet. Non enim is adventus Chriſti in mundum fuit finis abſolutus & præciſe intentus, ut omnes per eum homines ad ſalutem adducerentur: Ita enim fieri non potuiſſet, quin omnes per eum ſalutem conſequantur; quod cum non fiat, ſequeretur Chriſtum reſpectu omnium qui non ſalvantur fruſtra in mundum veniſſe: Quam conſequentiam, utpote ineptam, nemo Chriſtianus concedet; Sed finis adventus Chriſti in mundum abſolute intentus fuit, omnibus hominibus conferre media efficacia, quibus ſalutem conſequi poſſint: Quia vero media hæc eum in finem hominibus conferuntur, ut eam amplectentes ſalutem obtineant; etiam finis adventus Chriſti fuit, hominibus actu ſalutem conferre; verum non abſolute, ſed ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ: ſi vero media illa reſpuant, finis ſecundarius fuit, convincere novæ ingratitudinis ac contumaciæ, & propter illam gravius punire. Inde manifeſtum eſt, etiamſi contigiſſet (quod tamen miraculi inſtar fuiſſet) neminem Chriſto credidiſſe, & ſalutem conſecutum, Chriſtum tamen neutiquam fruſtra in mundum adveniſſe: Quia omnibus media ſalutem conſequendi attuliſſet, & nemo ſalute, niſi ob conditionem appoſitam propria ac evitabili culpa neglectam, caruiſſet. Atque ita nihil fini adventus Chriſti in mundum adverſum contigiſſet.

Quis fuerit Apostolorum status. Alterum est: *Quod Apostoli, siquidem erant liberi, potuissent peccare; ac per consequens etiam homines potuissent fallere Spiritui Sancto libere resistentes: Quod repugnat communi Doctorum Christianorum sententiæ, quæ statuit eos jam in gratia fuisse confirmatos, id est, efficaci gratia ad perseverandum praventos.* Resp. Communem Christianorum sententiam esse, Apostolos dum Euangelium prædicarent fuisse in statu confirmationis, mihi hactenus non liquet. Apostolus Paulus de se testatur, quod potuisset visioni cælesti fuisse inobediens, dum ait *Act.* XXVI. 19. regi Agrippæ, *se visioni cælesti non fuisse inobedientem:* Quæ autem est illa obedientia, quæ potentiam non obediendi excludit? Siquidem omnis obedientia includit voluntarium ac liberum obsequium. Quin & in *Epist. ad Gal.* I. 17. ait, se, quando vocatus esset à Deo, *non consilium adhibuisse cum carne & sanguine*: manifesto indicio, quod id facere potuerit, atque ita carni & sanguini auscultando non obedire vocationi divinæ. Et cum jam Apostolatu fungeretur, se non extra omne peccati periculum fuisse, aperte satis docet I. *Epist. ad Corinth. cap.* IX. 27. ubi ait, *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte dum aliis prædicem ipse reprobus fiam.* Quæ sollicita castigatio frustranea sane fuisset, si impossibile fuisset ut peccaret, aut reprobus fieret. Reliquorum autem Apostolorum aliam fuisse rationem quam Pauli, qui revelationum excellentiâ nulli cedebat, ex nullis Novi Testamenti locis liquet. Dicet Vir Doctiss. atqui sic potuissent homines fallere. Resp. Sane si voluissent esse mali, potuissent (absolute loquendo) per malitiam homines fallere: Verum tanta ipsis & tam copiosa sunt data gratiæ divinæ dona, ut, licet libertas ipsorum destructa non sit, neutiquam tamen id metuendum fuerit; imo miraculi instar habendum fuisset, tam eximia gratiæ dona proterve ab ipsis, hominibus probis ac Deum animo sincero colentibus, contemni. Et noluisse eos homines fallere, evidenter constat, quia non dubitarunt in testimonium veritatis à se annuntiatæ, juxta Magistri ac Domini sui exemplum, sanguinem ac vitam profundere, & horrenda ac crudeli morte interfici. Sed de eo in antecedentibus satis dictum.

Refutatio gratia determinantis hominem ut necessario agat. Ita eversis Viri Doct. objectionibus, consideremus nunc, quibus absurdis ipsius sententia prematur; quæ sane tanta sunt ac tam enormia, ut quæ mihi objecit nullo modo cum iis conferri mereantur, quæque nulla commoda evasione dilui possunt. Si enim ad conversionem hominis requiratur efficax illa gratia, *cujus efficacia* (ut Viri Doctiss. verbis utar) *omnino dependet à præscientia Dei, qui certo scit, quibus mediis humana voluntas indefectibiliter movebitur ad volendum; & qui juxta præscientiam suam ea per misericordiam suam largitur media, quibus liberum arbitrium infallibiliter ad id quod Deus vult moveatur:* Sequitur etiam, quando homo non convertitur, Deum circa illum adhibere media inefficacia, hoc est, ejusmodi, quæ ex infinitate præscientiæ suæ novit nullum habitura circa hominem effectum; ac proinde per quæ, juxta collectionem Viri Doctiss. homo infallibiliter & immutabiliter in peccato perseveraturus est. Unde colligo, unicam causam, quod homines non convertantur, juxta Viri Doct. sententiam, esse penes Deum, qui nulla alia circa eos adhibere vult media, nisi quæ novit inefficacia fore, & quibus solummodo adhibitis peccatori tam impossibile est pænitentiam agere, quam adhibita gratia efficace in peccato perseverare. Atqui tota Dei directio & providentia qua circa homines in genere, & circa populum Israëlis in specie semper usus est, tam directe ejusmodi operationi adversatur, ut non possit magis. Moses,

post-

postquam populo Legem proposuisset, tandem *Deut.* xxx. 19. ait, *Testes invoco hodie contra vos cælum & terram; vitam & mortem, benedictionem & maledictionem proposui tibi: elige ergo vitam, ut vivas tu & semen tuum.* Quomodo illi, cui Deus nullam vult facere gratiam, nisi quam ex infinitate scientiæ novit fore inefficacem, & quâ solâ datâ homo non potest quin legem transgrediatur (quales Vir Doctiss. juxta suam sententiam omnes legis transgressores fuisse agnoscere debet) dici potest, proposita vita & benedictio, quæ ei per negationem mediorum sine quibus obtineri non potest absolute negata est: aut mandari ut eligat vitam, cui potentia vitam eligendi negata est? Deus gravi querela præmissa de inobedientiâ populi sui, sub parabola vineæ, *Esa.* v. contra eam protestatur: *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Ad quid exspectavi ut faceret uvas, & produxit labruscas?* Quo jure Deus protestationem adhibere potuisset, salva Viri Doctiss. sententia? in promtu enim fuisset responsio: Non adhibuisti gratiam illam efficacem, quâ solâ fructus proferre potuimus; sed media tantum inefficacia, quæ juxta infinitatem præscientiæ tuæ ita direxisti, ut inevitabiliter in peccata incidere, & indefectibiliter in iis absque ulla pœnitentia perseverare debuerimus. Quin & omnes querelæ de populi inobedientia, preces, optationes, adhortationes & objurgationes, quæ passim in Scriptura occurrunt, *Jerem.* II. 5. *Mich.* VI. 3. *Esa.* LXV. 2. *Psal.* LXXXI. 14. *Esa.* XLVIII. 18. *Deut.* V. 29. XXXII. 29. & infinitis aliis locis, nil nisi ludus & histrionia erunt: Quin etiam ipsa illa Dei protestatio, gravissimo adhibito juramento, *Ezech.* XXXIII. 11. *Vivo ego, si volo mortem impii; sed ut impius se convertat à via sua & vivat*, seria esse non potest. Quæ omnia sunt horrenda, & de Deo absque blasphemia dici nequeunt. Quo enim jure Deus conqueritur eos peccare, quomodo orat, ut à peccato desistant, imo quomodo adhibito juramento testatur se eorum mortem nolle, circa quos ejusmodi providentiæ suæ actibus occupatur, per quos infallibiliter in peccata incidunt, in iisque absque pœnitentia perseverant, & propter quæ tandem necessario morte puniuntur? Sane eorum mortem velle dicendus est; & quando tales orat aut objurgat, serio non agere. Quod de Deo sanctissimo cogitare nefas. Tandem sequitur, quod Judæi in impietatem ac scelera, propter quæ terra ipsorum est desolata, templum eversum, ipsique in miseram hanc captivitatem dispersi, inciderint, & hactenus in impietate sua absque resipiscentiâ contumaciter perseverent, & in dispersione sua maneant, ac propter illam impœnitentiam Messiæ adventus differatur, unicam esse causam penes Deum, qui nullis mediis, nisi quæ ex infinitate præscientiæ suæ novit inefficacia fore & inepta ut per ea Judæi Legem observare, & post eam violatam converti possint, circa ipsos occupari vult.

Si dicat Vir Doct. efficacem illam gratiam adhibendam temporibus Messiæ, juxta promissiones divinas, & tunc omnes Judæos illius virtute infallibiliter convertendos; Resp. 1. Hac responsione non tolli difficultatem, quod hactenus defectu operationis divinæ ad resipiscentiam necessariæ Judæi impœnitentes maneant. 2. Nec Deus eandem, uti Vir Doct. urget *ad Quæst. I. Num. XIII. pag.* 65. sed longe diversam populi ante & post Messiam viventis habuisset providentiam. 3. Iis quæ jam prolixe sunt disputata, quæque diximus ad explicationem illarum promissionum Dei, hoc unicum nunc addo: Si Deus Judæos hactenus in impietate perseverantes tempore Messiæ talis gratiæ efficacis operatione inevitabiliter se conversurum promittit, comminationes Dei *Nec ea adhibitur temporibus Messiæ.*

conver-

convertentur in promissiones, & quos Deus ob impietatem suam puniturum se minatur, eos gratiæ efficacis operatione ita transmutabit, ut eos punire nec velle possit, nec velle debeat. Tum si Deus etiam istos, quos ita per gratiam efficacem immutabit, per eandem gratiam in obedientia & pietate est conservaturus (quod & statuere debet Vir Doct.) quorsum tum erit Lex Mosaica? quæve erit religio? Erit non liber populi actus, sed merus gratiæ Dei efficacis effectus, quem Judæi omittere non poterunt. Quod & Vir Doct. non obscure agnoscit, cum ait; *Non erit tunc magna virtus Messiam agnoscere, & credere, eique ut regi obedire; quippe & gratia efficacia, & redemtio evidenter effecta, ad contrarium populum & cæteras nationes ferri non patientur.* Quæ sane argumentum meum non leviter confirmant. Totus quippe ille effectus unicæ gratiæ efficaci in solidum adscribitur. Redemtio evidenter effecta, absque gratiæ efficacis operatione, majoris non erit virtutis ut Messiæ regi obediant, quam redemtio, ex Ægypto evidenter effecta, fuit ad eos cohibendum ne contra Mosen toties murmurarent & insurgerent. Itaque recte infert Vir Doct. *gratia efficacis effectum non fore magnam virtutem Israëlis*: quod & ego urgeo. Sed quoniam Deus, uti nunc fuse ostendi, talem gratiæ efficacis operationem non promittit, sed obedientiam & ambulationem in viis Domini ab Israële, tanquam officium necessario præstandum exigit; liquet quod per contumaciam gratiosæ operationi divinæ resistere, officium negligere, atque ita Messiam sibi ad salutem missum rejicere & abnegare possint: uti & reverâ fecerunt. Fusius hæc excussi, quia Vir Doctiss. hoc credit esse *essentialissimum disputationis nostræ punctum.*

CAPUT V.

Separationem populorum fuisse factam propter Messiam, & in Messia desinere debuisse.

Circumcisio instituta ut separetur Israël à gentibus.

VIr Doct. ut probet hanc præsentem Judæorum calamitatem non esse pœnam rejectionis Messiæ; objecit, *quod alias Deus nihil de præsente hac calamitate populum suum monuisset.* Quod absurdum credit, & *non convenire cum providentia qua Deus semper circa populum occupatus fuit.* Respondi ego, id neutiquam absurdum esse; quoniam Deus populi Israëlitici, tanquam populi unici, fœdere ad cultum suum separati, curam gessit solummodo usque ad tempora Messiæ; quia propter Messiam populorum discrimen introduxit; quin & circumcisionem instituit, cum semen Abrahamo benedictum, per quod mystice Messias intelligebatur, promisit. Sane si consideremus Caput. XVII. *Geneseos*, in quo historia institutæ circumcisionis narratur, de eo neutiquam dubitari posse videtur: Deus dicit, se *fœdus suum stabiliturum* inter se & Abrahamum, & promittit Abrahamo, quod esset *pater futurus multarum gentium*; ideoque & nomen ejus *Abram* mutat in *Abraham*, & uxoris ejus nomen *Saraï* in *Sarah*: ab Abrahamo autem ejusque posteris fœdus postulat, ut circumcidatur ipse, tota ejus familia,

familia, omnesque ab ipso nasciturі. Sane nullo alio id videtur factum fine, quam ut Abraham ejusque posteri, in circumcisione, quæ fit in membro genitali, semper pacti divini, quod Deus à sua parte stabiliverat, seu promissi de semine, memores essent. Per *semen* autem illud, juxta sensum literalem, carnalis Abrahami posteritas admodum copiosa intelligitur; juxta sensum autem mysticum Messias sive Christus. In circumcisione ergo Judæi memores fuere promissi divini, sub quo sensu mystico Messias designabatur; licet mysticam illam significationem ante Messiæ adventum non distincte perceperint, neque in actu circumcisionis Messiæ mentionem fecerint. Inde tamen sequitur, quod, postquam advenit Messias, circumcisio sponte cessare debuerit, & cum circumcisione omnes ritus legales; Quia causa, ob quam instituta fuit, jam cessabat; nempe, ut certo constaret, Messiam ex familiâ cui promissus fuerat, esse enatum. Et ideo Deus adeo severe illius observationem præcepit, ut animam illius, qui circumcisus non esset, è populo abscindi voluerit, ne unquam intermitteretur; sed populus hoc indelebili signo manifeste ab omnibus aliis populis separaretur, neque unquam cum ipsis confunderetur.

Observandum autem, circumcisionem non solitariam à nobis considerari, sed unà cum reliquis legis Mosaicæ ritibus, quorum fuit primarius, & qui ad omnium observationem quoscumque circumcisos, tanquam Sacramentum quoddam, obligavit. Deus itaque Abrahamo circumcisionem præcipiens, populorum discrimen introducere cæpit: postea varios per Legem Mosis ritus adjiciens, aliorum populorum ritibus non tantum dissimiles, sed & nonnullos directe contrarios, ad quorum observationem circumcisionis ritu obligabantur, discrimen illud populorum confirmavit, magisque conspicuum reddidit: Adeo ut, licet forte circumcisione solâ à quibusvis gentibus non fuerint secreti Israëlitæ, & forte quidam inter gentes etiam circumcisi, uti multi credunt (quod nunc non inquirimus) jure tamen dicamus per circumcisionem discrimen illud factum, quatenus non tantum in circumcisione discriminis istius initium fecit Deus; sed &, quatenus inter omnes ritus maxime eximius fuit, & ad reliquorum observationem omnes ex Israële oriundos validissime obligavit. Quod autem Israël circumcisionem, ut & reliqua ritualia, ut pactum divinum observare debuit, assertioni meæ non repugnat: Nam pactum illud divinum observare debuit, ut à reliquis gentibus discerneretur: atque ita pactum divinum servans, etiam Deo gratus fuit. *Illi conjuncti deben t omnes ritus Mosaici.*

Quod Baptismum & Cœnam Dominicam attinet, quæ etiam à Christianis juxta præceptum Jesu Christi observantur, se coram Deo peccati reum constitueret, si quis ea expresse observare nollet; non quia actum omitteret, qui in sese spectatus pars veræ sanctitatis est, sed quia nulla se præcepti divini reverentiâ duci ostenderet, cui etiam in minimis parendum est. Longa autem alia eorum ratio est, quam circumcisionis aliorumque rituum Mosaicorum. Nam licet verum sit, Deum voluisse ut per ritus illos populus Israël sibi cultum præstaret; voluit etiam ut cultus ille peculiaris esset populo ex Abrahamo Isaaco & Jacobo oriundo, & ut per ritus illos, præsertim circumcisionis, constaret, eos ex prosapia horum Patriarcharum oriundos. Quod in Christiana religione locum non habet. Illa enim non uni familiæ peculiaris, sed omnibus gentibus communis est; ex illius professione itaque potest quidem Christianus discerni ab infideli, non autem ex qua gente sit oriundus. Quia autem Deus mundo constare voluit, Messiam *Quis usus Baptismi & Cœnæ inter Christianos.*

ex familia cui promissus erat prodiisse, per ejusmodi ritum separationem illius familiæ ab aliis gentibus fieri voluit, qui nunquam deleri posset, quemque aliæ gentes non facile essent imitaturæ: & ut nulla gentium commixtio fieret, licet forte quædam unicum hunc circumcisionis ritum imitarentur, alios addidit ritus, gentium ritibus contrarios, ut ita Deo sanctificarentur, id est, ab aliis segregarentur, & cultui divino consecrarentur. Peculiarem enim sibi hunc elegisse populum Deus passim dicitur, *Deut.* VII. 6. XIV. 2. XXVI. 18, 19.

Separatio illa facta est propter Messiam. Objicit autem Vir Doctiss. *Quod rex est propter populum, non populus propter regem.* Sed hac ratione non infringitur responsio mea. Non enim repugnant, regem esse propter populum, & interim eundem promitti certæ in populo familiæ, quod ex illâ sit oriturus, & in illa regnum inchoaturus, atque ita porro in totum populum propagaturus; & propterea illam familiam certa quadam nota ab aliis discerni, ut semper omnibus constet, regem ex eadem illa familia, cui promissus est, ortum suum duxisse. Et hoc sensu familiæ illius separatio etiam propter regem facta est. Eodem modo Messias Rex est propter salutem totius generis humani; sed speciatim promissus, quod ex familia Abrahami sit oriturus, in eâ regnum inchoaturus, atque ita porro propagaturus in omnes gentes per totum terrarum orbem. Hunc in finem, ut constet eum ex familia, cui promissus est, ortum, ea signo quodam indelebili ab aliis est segregata: Quæ segregatio cum propter Messiam facta sit, etiam post Messiæ adventum sponte cessare debuit.

Prophetiæ statum populi prædicunt usque ad Messiam. Inde jam porro consequitur, Deum populi Israëlitici, tanquam populi peculiaris, & fœdere ad cultum suum ab aliis populis segregati, curam non gessisse ulterius, quam ad tempora Messiæ; & usque ad illa tempora omnes Prophetiæ pertingunt. Describunt quippe fœlicem statum omnium, qui Messiæ populus futuri sunt: Et quia gratia divina per Messiam exhibenda tanta est futura, ut, nisi homines præfracti sint, per eam omnes ad Deum sint convertendi, Deus describitur quasi omnes actu conversurus; & quia omnes eum recipientes summæ fælicitatis sunt futuri consortes, etiam omnes generatim describuntur, quasi eam fælicitatem consecuturi: Quæ promissio, licet conditio resipiscentiæ expresse addita non sit, tamen non sine illâ accipienda est. Neque id insolens est Deo, aliquid promittere non expresse addita conditione, cui tamen conditionem annexam esse voluit. Exemplum habemus in promissione introductionis in terram Canaan, factæ illis, qui tamen ob infidelitatem in deserto ceciderunt: *Num.* XIV. 30. ubi Deus dicit, ipsos *ob inobedientiam non ingressuros terram, super qua levaverat manum suam, quod in ea ipsos habitare faceret:* intellige, nisi refractarii sint, ut eventus docuit; quæ tamen conditio expressa non fuit. Similia exempla habemus 1. *Sam.* II. 30. in Eli, & *cap.* XIII. 13, 14. in Saule, ubi licet conditio expressa non fuerit, inclusa tamen fuit. Cum itaque ad Messiam usque populi separationem durare Deus voluerit, & sub Messia omnes gentes cum Israële coalescere in unum populum; non etiam mirum videri debet, quod Deus speciatim non prædixerit per Prophetas, quid illis in populo, qui Messiam essent rejecturi, eventurum foret; sed id reservaverit Messiæ, & Prophetis Novi Testamenti ab ipso mittendis.

Nulla in sententia mea est repugnantia. Quomodo autem *sententia mea in verbis implicari videatur*, uti Vir Doctiss. contendit, ego neutiquam videre possum. Quæ enim est repugnantia, quod Deus Judæos incre-

incredulos ob infidelitatem in Messiam rejiciat, & pro populo suo dilecto amplius non habeat, quamdiu in infidelitate sua perseverant; sed gentes in Christum credentes in illorum locum assumat, & cum iis qui ex Judæis crediderunt in unum populum conjungat; & nihilominus decreverit, respectu Patrum ex quibus orti sunt, certo quodam tempore gratiam suam erga eos renovare, & luculentam præbere occasionem, ut ab induratione sua liberentur, & Messiam suum nimis diu rejectum tandem agnoscant, atque ita salutem consequantur? Nulla hic est repugnantia. Sequitur quidem, Deum non ita absolute eos rejecisse, ut nunquam eos ad resipiscentiam admittere nolit: non autem, quod dum & quamdiu Christo infideles sunt, dilectus Deo populus maneant.

CAPUT VI.

De præsenti Judæorum dispersione, & qua ratione in ea ut populus separatus subsistant.

Hic porro prolixum Vir Doct. instituit discursum, quo probare contendit, dispersionem hanc Judæis non obtigisse propter infidelitatem in Messiam: Qui discursus hæc complectitur: *Judaos, quamdiu legem Mosis servant, afflictiones & dispersionem sustinere: quando autem deserta lege alteri se addicunt religioni, qualiscunque illa sit, sive Ethnica, sive Mahometbana, sive Papistica, sive etiam revera sint athei, statim communem populi Judaici miseriam evadere, & eandem cum religionibus illis & populis quibus miscentur fortunam experiri.* Inde concludit, *Judæos adhuc à Deo ut populum peculiarem conservari, & paterne castigari, ut tandem gloriose in terram suam restituantur.* Verum respondeo; agnoscere hic debere Virum Doctiss. discrimen, quod ipse antea bene observavit, inter Judæos, quatenus antea constituerunt per separationem divinam, & adhuc constituere volunt, populum quendam & rempublicam ab aliis totius terræ populis separatum: & inter Judæos, quatenus singuli seorsim spectantur. Deinde & inter judicium quod Deus exercet in hoc sæculo; & inter judicium illud universale, quod Deus exercebit in sæculo futuro. Singuli seorsim à Deo in sæculo futuro, una cum omnibus hominibus judicabuntur, Deusque in illo judicio singulis pro ratione fidei ac operum suorum retributurus est. Et hoc judicium potissimum & ante omnia spectandum est, quando de judicio divino agitur. Spectati vero ut populum & rempublicam constituentes, proprie judicantur in hoc sæculo, & ob peccatum toti genti commune: Pœnaque illa non tam est singulorum, quam proprie totius gentis, & singulorum non alia ratione, quam quatenus considerantur ut partes gentem istam constituentes. Oportet itaque grave aliquod esse crimen, aut crimina, toti genti commune, ob quod ea diuturnam hanc dispersionem sustineat. *Pœna vel est totius populi, vel privati cujusque.*

Nos Christiani dicimus, præter alia peccata, ipsis cum reliquis hominibus communia, *Causa pœnæ populi est rejectio Jesu.*

 cu-

crimen populi universale esse rejectionem & crucifixionem Messiæ, gratia divina ipsis ad salutem suam missi.

Jesus est rejectus à toto populo, generatim.

Respondet Vir Doct. *crucifixionem Jesu fuisse tantum crimen judicum illius temporis, & paucorum qui Hierosolymis vixerunt.* Resp. 1. Fuit crimen supremi Senatus Judæorum, qui in judicio suo totum repræsentat populum. 2. Populus Judaicus judicium illud approbavit, non tantum incolæ Jerusalem, sed & ex omnibus civitatibus & regionibus, qui illuc ut Pascha celebrarent confluxerant. 3. Post resuscitationem Jesu Christi Apostoli missi sunt ad omnes Judæos, in quascunque gentes dispersos, iisque Euangelium prædicarunt, idque divinissimis miraculis confirmarunt; Verum tantum abest, ut id receperint, & Senatus sui crimen condemnarint, ut *Apostolos pugnis & verberibus* (ut ipse ait Vir Doct.) *è Synagogis suis exturbarint*, quin & acerrime persecuti sint; atque ita approbatione judicii, quod Senatus ipsorum contra Jesum Christum tulit, ejusdem se reos constituerunt. Neque eversa est Judæorum respublica, nisi postquam Euangelium omnibus quaquaversum Judæis prædicatum, & ab iis rejectum esset; ne quisquam se ob alterius crimen, aut totum populum ob Hierosolymitanorum solummodo crimen (ut hic facit Vir Doct.) puniri conqueri posset. Idque juxta vaticinium Servatoris nostri Jesu Christi, *Matth.* XXIV. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe* (quousque nempe Judæi sunt dispersi) *in testimonium omnibus gentibus*; (quod nempe non ob crimen solum Hierosolymitanorum, sed totius populi inter omnes gentes dispersi, templum & respublica evertatur) *& tunc veniet consummatio.*

Condemnationem Jesu Christi hodierni Judæi approbant.

Et provoco ad Viri Doctiss. & omnium Judæorum conscientiam, an non & ipsi sententiam Synedrii sui contra D. Jesum latam etiamnum approbent? Sane contendit Vir Doct. *Quæst. III. Num. VII. pag.* 108. *Quæst. IV. Num. II. pag.* 120. *D. Jesum in se ipsum, ut verum Deum Israëlis fidem exegisse, Dei omnipotentiam sibi arrogasse, se Deo æqualem prædicasse, & quidem falso.* Provoco nunc ad ipsius conscientiam: an exinde alia possit deduci sequela, quam ipsum jure à Synedrio esse damnatum? Quin imo Vir Doct. ad *Quæst. III. Num. VIII. pag.* 109, 110, 111. contendit, *Prophetam* (imo ipsum Messiam) *si seipsum Deum Israëlis esse affirmasset* (quod hic Domino Jesu adscribit) *& plurimis confirmaret miraculis, jure esse lapidandum.* Itaque & approbatione sua Vir Doct. etiam se criminis, si quod in judicio isto est, quod sane maximum est, participem facit. Quod vero Vir Doct. addit, quod *de Christi morte certam huc usque notitiam non habuerint Judæi, ac proinde an justa vel injusta fuerit, penitus ignorent.* uti &, quod ad *Quæst. primam Num. IV. pag.* 54. ait, quod *Judæi Christum nec percusserint, nec malum aliquod inflixerint, sed Romani*, non credo ipsum serio dicere, sed quia judicavit aliquatenus argumento suo inservire: Cum si ullius rei, crucifixionis profecto Jesu Christi certa & minime fallax notitia habeatur. Nec convenit cum iis, quæ, pro more suo oblitus eorum quæ alibi scripsit, in scripto ejus leguntur ad *Quæst. III. Num. V. pag.* 106. ubi expresse dicit, quod Judæi *Christum crucifigendum tradidere*, &, *Romanorum potentiam timentes, eum ipsis puniendum dedere.* Si autem ignorant, an justa fuerit ejus cædes, aut injusta, præcipites nimis sunt hodie in eo, ut falso propheta, condemnando, seu rejiciendo. Quod vero præmittit, Judæos *ex Josepho & suis antiquis scire, quod eo corrupto tempore, labente jam Republica, aliqui seductores & falsi Prophetæ, qui populum commovebant, fuerunt à Romanis variis suppliciis interfecti, quorum sequaces profugi per Samariam, Idumæam, &*

alias

alias regiones vagabantur: Eo ipso animum suum qualis sit contra Dominum Jesum, utcunque eum passim sollicite tegere conatur, nimis manifeste prodidit. Quoniam enim ignorantiam prætendens eorum quæ Christo contigerunt, ait, *illo tempore fuisse seductores & falsos prophetas qui populum commovebant*, eo ipso Dominum Jesum, siquidem nos eum illo tempore crudeliter interemptum affirmamus, seductorum & falsorum prophetarum, qui populum commovebant, non minimum fuisse insinuat, & ut talem merito supplicio affectum. Et quicquid animum suum dissimulare conatur, nimis aperte hic eum prodit, & se speciatim D. Jesum designare indicat, dum ait, *eorum sequaces profugos per Samariam, Idumeam, & alias regiones vagatos esse*: Quod in D. Jesu discipulos esse dictum vel ipsi cæci videant. Quare non est, quod Vir Doct. tam aperte D. Jesum ut seductorem condemnans, populum suum ac majores, per quorum traditionem odium contra D. Jesum tenellis filiorum animis instillatur, à cæde D. Jesu insontes esse prætendere possit.

Sed quærit Vir Doct. *cur non & alia gentes, qua Mahometismum & Gentilismum profitentur, & non minus Christianis sunt infensa quam Judai, ob crimen istud non aequaliter puniantur, ac Judai?* Resp. 1. Quod Mahomethanos attinet, licet infesti sint Christianis, non tamen Christum blasphemant; verum illum ut Prophetam eximium & Deo maxime charum in pretio habent; licet illi suum Mahomethem præponant: Alia itaque longe eorum quam Judæorum est ratio. 2. Quod omnes simul attinet, omnium longe diversa quam populi Judaici est conditio. Quod antequam ostendamus, paucis præmonendum est: Quod, sicut excidium populi iræ divinæ contra illum signum est, non perinde populi ullius terrena fælicitas amoris divini sit indicium. Tolerat siquidem Deus impios, imo iis aliquando ut flagellis utitur, quibus alterius populi, non quidem gravius, fortasse minus, attamen vere peccatoris, impietatem ulcisci cupit: Illis ergo fælicitatem largitur, non ut sibi dilectis, sed iræ suæ executoribus, & impii populi quem punire vult carnificibus; donec tandem ipsi scelerum suorum mensuram impleant, & eo, quo Deo supremo omnium judici visum est, tempore eorum pœnas luant. Licet ergo gentes illæ floreant, non propterea sequitur Deo esse gratas. Hisce præmissis, dico peculiarem gentis Judaicæ esse rationem. Deus in Abrahamo gentem illam sibi segregavit ab omnibus aliis terræ populis; in eaque purum sui cultum instituit, illius populi, ut ab aliis separati, statui accommodatum. Promisit illi populo Messiam, sub quo omnes gentes ad veri Dei notitiam essent perducendæ, discrimen illud populorum abolendum, & ex Judæis & gentibus una erigenda Ecclesia. Populus ille, (quem Deus per Mosen & Prophetas passim incusat, quod duræ cervicis fuerit) variis peccatis, quin & idololatriâ, gravissime ac sæpius Deum offendit: Prophetas ad se missos indigne tractavit ac contumelia affecit. Tandem in captivitatem septuaginta annorum Babylonem est abductus. Exinde gratia divina liberatus, in nova scelera relapsus est, ac, ad complementum mensuræ impietatis suæ, Messiam ad se missum ut blasphemum condemnavit. Ad pænitentiam invitatus ab Apostolis ipsos flagris cecidit, ejecit, persecutus est, seque insanabilem ostendit. Quid simile in ullo populo reperies? Adde, quod Deus, ut ostenderet se populorum discrimen nunc velle abolitum, templum totamque remp. evertit, noluitque ut populus ille contumax ulterius ut populus sibi peculiaris & præ aliis dilectus gloriose subsisteret.

Cur non & alii populi Christum rejicientes perinde puniantur.

Cur Judæi participes sint sortis illius populi, ad quem transeunt relicto Judaismo.

Hinc jam per se patet ratio, cur Judæi, relicto Judaismo, & ad quamcunque religionem transeuntes, non amplius communem populi sui calamitatem sustineant, sed communem cum populo, cui se adjungunt, in hoc mundo sortem experiantur: Quia quæcunque pars populi, necessario particeps est commodorum vel incommodorum toti populo communium; & quicunque se à populo, cujus pars fuit, segregat, & alii se adjungit, etiam à communi populi illius sorte eximitur, & commodorum populi, cui se partem facit, fit particeps. Inde tamen non sequitur, si qui sint impii, aut etiam, quod diffiteri nolim, athei, quod Deo gratiores sint, quam cum essent Judæi; mutatio enim illa status in hac terra vel fœlicioris vel infœlicioris, amoris vel odii divini signum non est erga hunc aut illum in particulari: Sed pro ratione majoris vel minoris impietatis Deo etiam plus minusve exosus est, illiusque condignam in futuro sæculo pœnam sustinebit.

An conditio Judæorum deterior sit, quam aliorum impiorum.

Atqui, ait Vir Doctiss. *sic Judæi conditionis forent deterioris, quam ejusmodi impii homines, quia in hac & in altera vita pœnas luent.* Resp. Pœnæ, quas in hac vita luunt Iudæi, sunt pœnæ populi totius, non proprie privatorum. Miseria populo toti est, extorrem esse è patria sua, alterius imperio subjectum, nullamque habere Rempublicam suo jure suisque legibus constitutam. Verum quod privatos, seu unumquemque è populo attinet, potest conditio eorum extra patriam non minus esse fœlix & commoda quam in ipsa patria. Et sane, si singulorum inter Iudæos conditionem inspiciamus, omnia quibus alii gaudent ipsis concessa videbimus. Divitias & reliqua hujus vitæ commoda pari cum aliis hominibus sorte & mensura possident, & si qua sit differentia, opulentiores ipsis, inter quos vivunt, Christianis nonnunquam reperiuntur: replentur voluptatibus hujus carnis; nullumque est voluptatis genus quo se destitutos conqueri possint. Videamus communem Iudæorum in hac civitate sortem: an miserior Iudæi generatim spectati quam Christiani, respectu hujus vitæ commodorum, est conditio? Ita & in aliis regionibus: Quin & in ipsa Hispania, ubi inquisitio viget, an non divitiis abundant, genio indulgent, vitam in deliciis degunt, adeo quidem, ut licet ab inquisitione tuti non sint, tamen inde, præter paucos, forte magis quam reliquos periculo expositos, avelli nequeant? Quin & *in variis regionibus*, uti Vir Doctiss. ait, *Judæi parum minus quam omnimoda libertate gaudent.* & ad *Quæst. III. num. IV. pag. 103.* ait. *Nec sumus semper adeo abjecti, ut plurimi Christiani nobis non invideant. Fere omnes reges Christiani nostris hominibus pro principalioribus officiis agendis utuntur.* Et quæ ibi plura addit. Quæ illos premit miseria, totius populi, quatenus populum constituunt, communis est.

Non habetur adhuc à Deo populus separatus ac dilectus.

Sed *exinde liquet*, ait Vir Doct. *quod ut peculiaris populus à Deo adhuc habetur, & speciali providentia ab eo affligitur, & ut affligat & postea redimat, divinitus conservat, & separatum ab omnibus subsistere vult.* Ego fateor quidem, aliam illius quam reliquorum populorum esse conditionem: Non autem, quod Deus cum adhuc habeat ut populum peculiarem & sibi præ reliquis dilectum, quemque separatum ab omnibus aliis populis subsistere vult: Quoniam, uti vidimus, Deus populorum discrimen jam abolevit. Quod itaque populus ille nunc etiamnum separatim subsistit, non est, quia Deus separationem hanc approbat; sed quia ille separatus esse vult, & separationem, quam Deus abolitam cupit, per inobedientiam suam continuare. Quia itaque sua separatione non

solum

solum se ab Ecclesia Dei, ad quam fœderis sui promissa pertinere Deus nunc declaravit, segregat, ac cum eâ nihil commune habere cupit; sed & se solum Dei populum dilectum, & præ aliis mundi nationibus Deo charum ostentare cupit, Deus ob ingratitudinem tantam erga se & Messiam à se missum, populum istum rejecit, & pro populo suo habere non vult: sed in exemplum omnium gentium punire, ideoque inter omnes gentes dispergere, ut ostendat illum, ut populum & corpus politicum constituentem, quamdiu in contumacia sua perseverat, conservari solummodo in pænam, ut impietatis suæ supplicium luat. Ista autem rejectio non ita est absoluta, ut sit sine omni spe restitutionis; sed propter patres ipsorum Abrahamum, Isaacum & Jacobum, &c. quorum pietas Deo summopere grata fuit, constituit Deus, postquam plenitudo gentium in Ecclesiam intraverit, novam ac majorem illis offerre gratiam; non ut in terram suam reducti & priorem rempublicam constituentes totum cultum ceremonialem, prout à Mose institutus fuit, denuo observent: Sed ut Christum ejusque fidem amplectantur; cujus virtute plurimi procul dubio deposita infidelitate Christo nomen daturi, atque ita denuo Ecclesiæ seu populo Dei inserti per fidem in J. Christum, unicum totius mundi Servatorem, salutem consecuturi sunt. Recte ergo dixi, quod post revelatum Euangelium Deus populum suum Messiæ regendum tradidit, declaravitque illos ex populo Iudaico, qui in Christum credunt, una cum credentibus ex quacunque gente, suum esse populum, cui destinata sit salus: incredulos vero in populo Iudaico, qui hactenus populus ipsius peculiaris fuit, non amplius in populo censeri, & in contumaciæ suæ pænam, quatenus peculiarem adhuc populum constituere cupiunt, omnibus in exemplum gravissime puniri. Et cum id per Messiam quem misit effectum det, recte dixi, quod populum suum Messiæ regendum tradidit. Reductio enim illa Judæorum in terram Canaan, & restitutio cultus ritualis sub Rege Messia, cui omnes nationes terræ obedire debent, & eandem religionem amplexi Deum Israëlis in templo Hierosolymitano colere, prout ad literam promissiones de Messiæ regno intelligit Vir Doctiss., plane impossibilis est. Nam si omnes populi terræ observare debent legem Mosaicam, quomodo possibile erit, omnem sobolem masculam ter in anno coram Deo Hierosolymis comparere? Cogita locorum distantiam, & colentium numerum, & videbis, centesimam hominum partem non posse congregari, ut ritè & secundum præcepta Mosaica Pascha celebrare possit; multo minus omnes illi, quos Vir Doct. exspectat, Messiæ subditi.

Quare quæ nunc populo Iudaico, quatenus populo separato, eveniunt, non per Veteris Testamenti Prophetas, quorum vaticinia ad Messiæ usque tempora tantum pertingunt, & fælicem eum recipientium statum describunt, prædicta sunt: (Omnia enim ab ipsis prædicta captivitatem concernentia ante ostendimus olim impleta, & quidem secundum literam & significationem propriam verborum, prout à Prophetis accipi solent:) sed à Domino Iesu, qui non tantum horribile Hierosolymæ, cum adhuc floreret & nemo ejus casum ne suspicaretur quidem, excidium prædixit; sed & præsentem hanc populi calamitatem plene descripsit, *Luc.* XXI.24. *Et cadent in ore gladii; & captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur à gentibus; donec impleantur tempora nationum.* Adeo ut præsens populi Judaici status & miseria, quousque Christo increduli sunt, indubitatum divinitatis Euangelii sit documentum.

Dispersio præsens est prædicta per D. Jesum, Luc. xxi. 24.

Addi-

Sensus Rom. xi. 25, 26. Addidit Apostolus Paulus *Rom.* xi. 25, 26. distinctiorem Prophetiam, de nova gratiæ oblatione Judæis post introitum gentium in Ecclesiam à Deo exhibendæ, per quam converti & salvari possent. Quod non dixit Apostolus, uti Vir Doctiss. criminatur, *quia videbat, quod illa redemtio absque Israëlis felicitate, omnino à promissa per legem & Prophetas differebat, nec adhuc cum ea similitudinem aliquam habebat; ut satisfaceret gentibus non ita in sacris literis instructis*: Nullo modo: nam in eadem illa Epistola admodum nervose contra Iudæos disputat, & omnibus ipsorum objectionibus solidissime respondet, nihilque in hac spirituali Christi redemtione, gentium fidelium in populum Dei assumtione, & Iudæorum ob infidelitatem rejectione, esse ostendit, quod non optime cum promissis divinis conveniat: Sed id dixit ex certa revelatione, qua ipsi Dominus mysterium hoc præ aliis revelaverat, & ut cohiberet gentium elationem animi, ne se supra Iudæos efferrent, quasi ipsis in locum Iudæorum adscitis, ita penitus & in sempiternum Iudæi essent rejecti, ut nulla unquam restitutionis in gratiam Dei spes superesset. De terreno autem regno ne verbum quidem occurrit apud Apostolum.

Quomodo Judæi adjungendi sint, non gentibus, sed Iudæis. Sed objicit Vir Doct. *hac ratione Israëlem adhæsurum populis terræ, cum contrarium Prophetæ prædicant, quod gentes tempore redemtionis sint adhæsuræ Israëli.* Sed hæc facili negotio conciliari possunt. Euangelium primo prædicatum fuit Israëli: Licet primores ac eorum exemplo maxima populi pars id rejecerit, non exiguus tamen credentium fuit numerus ex Iudæis, qui primitivam constituerint Ecclesiam Christianam. Ad hanc Ecclesiam, ex solis Iudæis collectam, aggregati sunt fideles ex gentibus, & cum illis coaluerunt in unum populum Dei seu Ecclesiam, juxta Prophetarum vaticinia, & Israëli sunt inserti. Postquam autem plenitudo gentium in Ecclesiam intravit, Deus respiciet denuo Iudæos hactenus incredulos, & ob incredulitatem rejectos, ac nova atque abundantiore gratia illustratis luculentam dabit occasionem in Christum credendi, ut per fidem denuo Ecclesiæ illi ad quam gentes sunt congregatæ inserantur. Sic non proprie adjunguntur gentibus, sed Ecclesiæ ex Iudæis collectæ, cujus rex ex stirpe Davidis est caput, & ad quam etiam gentes congregatæ sunt.

Æqualis data est gratia Judæis ac gentibus. Sed putat Vir Doctiss. *non id esse magni momenti, prius vel posterius Euangelium annuntiatum esse; sed totum negotium consistere in gratia ad credendum efficace, quam Deus Judæis non dedit, potius gentibus, uti Christiani credimus.* Sed vero, quid de gratia illa efficace statuendum sit, antea vidimus. Major gentibus data non est gratia, quam Iudæis; quod vero gentes promptiores fuere ad credendum quam Iudæi, in causa fuit major in Iudæis perversitas & animorum obstinatio, qua se obfirmabant, ne hominem à Synedrio suo ut blasphemum damnatum, ac ignominiosa crucis morte peremptum, Messiam crederent à Deo missum, ejusque miracula, quod summæ impietatis fuit, potius dæmoniorum principi adscriberent, quam virtute Dei facta agnoscerent. Eadem obstinatio in causa fuit, cur *Apostolos verberibus ac pugnis è Synagoga ejicerent*, licet ipsorum miracula, Mosis, quæ in eductione ex Ægypto facta sunt, longe superaverint, uti antea vidimus. Illam itaque gratiam, qua multi ex Iudæis & postea gentes conversæ sunt, primum populo Iudaico fuisse exhibitam, neque translatam ad gentes, nisi postquam à populo generatim fuit rejecta, magnum est privilegium. Eo enim Deus ostendit, bona Euangelii, quæ Messias adferebat, prius destinata Iudæis,

& non

& non communicanda gentibus, nisi postquam Iudæi per fidem in Messiam illorum fuissent participes facti. Cum vero per infidelitatem ea respuissent, gratia ita indigne conculcata ab ipsis fuit ablata ac translata ad gentes. Videmus hic in omnibus magnum Iudæorum præ gentibus privilegium.

CAPUT VII.

De sensu Prophetiæ Danielis Cap. IX. vers. 24, 25, 26, 27.

TAndem addidi, ut etiam ex Prophetis Viri Doctiss. objectionem diluerem, Messiæ mortem etiam à Prophetis fuisse prædictam. Hunc in finem duo allegavi loca, *Esa.* LIII. & *Dan.* IX. Regerit hic Vir Doct. quod antea dixerim, *Deum Messiam terrenum revelasse, & quod oportuerit, ut sic populus intelligeret & crederet.* Quid & quo sensu dixerim, in præcedentibus fuse declaravi. Inde colligit, quod sequatur, *Judæos illos textus aliter intellexisse, ac nunc ab ipsis exigitur; aut quod utrumque compatibile crederent, terrenum Messiæ regnum, & summam illius à populo despectionem, & infandam necem.* Resp. Quoniam Judæi terrenum Messiæ regnum exspectarunt, manifestum est, quod loca illa non plene nec perfecte intellexerint, sed obscuritatem in eo deprehenderint, ex qua plene se extricare non poterant: Neque id mirum; cum ea Prophetiarum sit natura, ut ante sui impletionem aliqua laborent obscuritate, quæ per earum impletionem, quæ certissima Prophetiarum interpretatio est, tollitur. Exspectarunt ergo Messiæ regnum terrenum; legerunt Prophetias de Messiæ morte: agnoverunt hic difficultatem, & hæsitarunt circa genuinum Prophetiarum sensum, cujus evolutionem statuto tempore per ipsarum impletionem à Deo exspectarunt. Omnibus autem impletis, jam, si præjudicia deponunt, rectius genuinum Prophetæ sensum, ejus verba conferendo cum eventu, qui ipsis (teste ipso Viro Doct. ad *Quæst I. Num. IV.*) exactissime respondet, dijudicare & agnoscere possunt. *Sensus Esa. LIII.*

Quod ipsa loca attinet; in præcedentibus refutata sunt, quæ Vir Doct. contra *Esa.* LIII. *Caput.* excepit, & hic repetit. Itaque hic considerabimus solummodo nobilem illum locum *Dan.* IX. 24, 25, 26, 27. *Septuaginta hebdomades decisæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuæ, ad consumendum prævaricationem, & ad sigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam seculorum, & ad sigillandam visionem, & Prophetam, & ad ungendum sanctitatem sanctitatum. Et scies & intelliges ab exitu sermonis ad revertì faciendum, & ad ædificandum Ierusalem usque ad Messiam ducem hebdomadæ septem & hebdomadæ sexaginta duæ, & redibit, & ædificabitur platea & fossa, & in angustiâ temporum. Et post hebdomadas sexaginta & duas excidetur Messias, & non ei: Et civitatem & sanctitatem corrumpet populus ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli decisa desolationes. Et roboravit pactum multis hebdomada una: & dimidio hebdomadæ cessare faciet sacrificium & munus, & super alam abominationum stupefaciens, & usque ad consummationem, &* *Et Dan. IX. 24. 25. 26. 27.*

 decisam

decisam effundet super se obstupescentem. Quo Christiani non tantum Messiæ mortem, sed & definitum tempus intra quod à Deo mittendus fuit, prædici contra Judæos constanter urgent.

Discrepantia Christianorum circa initium & finem hebdomadarum. Objicit hic primo Vir Doctiss. discrepantes Doctorum Christianorum de genuina loci hujus explicatione sententias. Verum supposito id ita se habere, quid exinde concludet? Locum hunc de Messia nihil quicquam prædicere? Sine ullo fundamento. Non enim Christiani dubitant, an in Prophetia Danielis prædicatur tempus intra quod Messiæ adventus determinatus fuit, & ipsius cruenta mors: in eô omnes consentiunt: Sed hærent, unde hebdomadarum initium sit sumendum: Quia enim Angelus dicit *septuaginta hebdomadas esse definitas super populo*, earumque initium inchoandum ab exitu verbi ad reædificandum Jerusalem; duplex autem ad reædificationem mandatum prodiit, unum à Cyro, alterum ab Artaxerxe, incerti sunt, à quo mandato numerandi initium faciendum sit: Difficultatem auget, quod plures eô nomine inter Persas regnaverint reges; & historia sacra, quæ hic brevis admodum est, ex collatione cum historia profana, non ita facile illustrari potest. Unde sequitur, discrepantes etiam esse debere sententias de exacto harum hebdomadarum fine.

Judæorum, circa Messiam ibi prædictum. Verum non minor est Doctorum Judæorum de genuina hujus Prophetiæ interpretatione sententiarum discrepantia: Quia enim hic per *Messiam* illustrem illum Messiam filium Davidis intelligi nolunt, neminem, cui quæ in hac Prophetia prædicuntur applicari possint, reperire queunt. Hinc in sententias valde diversas aberrarunt. Rabbi Salomon intelligi vult Cyrum, & postea, mutata opinione, Agrippam: Rabbi Levi summum Sacerdotem Jehosuam: Rabbi Aben-Esra Nehemiam. Rabbi Saadiah Gaon, Darium. Vir Doctiss. aliam, uti mox videbimus, explicationem excogitavit. Verum quicquid sit de Doctoribus Christianis, omnes consentiunt, circa nativitatem aut mortem Domini, aut excidium urbis ac templi, hasce hebdomadas terminari.

Interpretatio Viri Doct. Et Vir Doct. ipse locum ita interpretatur, *totum hoc tempus Israëli concessum ut resipisceret*, &c. *& sic Scriptura Prophetica de universali populi redemtione impleretur*: Quæ universalis redemtio cum per Messiam peragenda sit, quomodo evadere potest, non etiam hic Messiam respici; & sicut Deus determinavit septuaginta hebdomadarum spatium, quo elapso *universalis populi redemtio* debuit peragi, non etiam simul intra illud spatium determinaverit Messiæ adventum, sine quo redemtio illa fieri non potuit? Et hoc est quod nos Christiani semper ex hoc loco contra Judæos urgemus. Sed addit Vir Doctiss. *Deus etiam prædixit, quod cum populus aliter facturus esset, ac Deus exigebat, aliter ei etiam debebat contingere: quod per capitis seriem usque ad extremam ruinam depinxit.* Possem hic jure regerere, quod Vir Doct. in initio hujus *Num. VI.* mihi objicit: *Certe non fuit charissimo populo peculiaris favor, ipsi concedere spatium quingentorum circiter annorum intra quod resipiscentiam ageret, totum negotium consistebat in gratia efficaci, cujus virtute infallibiliter ad resipiscentiam adducti fuissent: hanc autem Deus illi non dedit; sed solummodo inefficacem, qua concessa infallibiliter in peccatis absque resipiscentia perseveraturum esse sciebat.* Cum itaque, ut ex eventu liquet, Deus decreverit (juxta explicationem Viri Doctiss.) non nisi inefficacem illi dare gratiam, quomodo tempus illud ad finiendum peccatum & prævaricationem datum fuit; cum

potius,

potius, juxta hanc sententiam, indultum sit, ut interea peccata sua populus augeret & defectu gratiæ divinæ efficacis impietatis suæ mensuram implens ad excidium summopere deplorandum præpararetur?

Verum ut Prophetiæ hujus sensum penitius percipiamus, inquirendum, quis hic per *Messiam* intelligatur. Per *Messiam ducem* Vir Doct. ait *Danielem non intelligere Messiam filium Davidis, sed primum Sacerdotem, qui cum & post Nehemiam regnavit, utrumque jus & Ecclesiasticum & quasi Regium in populum exercens; qui ideo vocetur* DUX, *&* UNCTUS: *Quo mixto Sacerdotum regimine populus per sexaginta duas hebdomadas variis cum fortunis perseveravit; tandem in medio septuagesima ultimo Sacerdote Ananeo occiso, additur*, & non ei, *id est, non amplius successor aliquis fuit; isque appellatur simpliciter* unctus, *non* princeps, *quippe jam à pluribus annis regiam potestatem Herodiana domus occupaverat.* Multa in hac explicatione supponuntur, quorum quædam veritati historiæ manifeste contraria sunt, quædam valde incerta, & probatu impossibilia. Primo enim per *Messiam ducem* intelligit primum Sacerdotem, eumque ait cum Nehemia, post elapsas septem ab egressu verbi ad reædificandum hebdomadas, regnasse. Atqui primus Sacerdos fuit Jesus seu Josua, qui rediit cum Sorobabele, & mox, cum populus rediisset, Pontificatum gessit; *Esd.* III. 2. v. 2. Nehemias autem invenit Eliasibum Pontificem, *Nehem.* III. 1. qui fuit tertius, & Jesu nepos, *Nehem.* XII. 10. Non ergo, juxta Viri Doctiss. explicationem, primus Sacerdos post elapsas septem hebdomadas demum restitutus est, nec proinde hic intelligi potest, per *Messiam ducem.*

Unctus non hic significat primum post reditum sacerdotem.

Secundo, ait, *primum illum Sacerdotem, & omnes eum sequentes, spatio sexaginta duarum hebdomadarum jus Ecclesiasticum & quasi regium simul in populum exercuisse.* Atqui primi illi Sacerdotes longa serie splendore illo quasi regio plane destituti fuerunt: Vixerunt subjecti imperio regum Persarum, & postea Syro-Macedonum: illud imperium demum initium sumsit in Machabæis; uti in *Josepho lib.* XI. XII. XIII. *Antiq. Judaic.* clare legere licet: Atqui inter Nehemiam & Judam Machabæum intercesserunt circiter trecenti anni. Hæc itaque Viri Doct. explicatio nullo modo cum historiæ veritate conciliari potest. Ne jam addam, non posse cum communi Judæorum opinione de duratione templi secundi hunc Viri Doct. calculum componi. Statuit enim post elapsas septem hebdomadas, ad necem usque ultimi Sacerdotis elapsas sexaginta duas hebdomadas cum dimidia, & in fine ultimæ templum excisum: intercesserunt ergo inter templi restaurationem (etiamsi concedamus illud eo demum anno reædificatum) & ejus excidium sexaginta tres hebdomadæ, seu anni quadringenti quadraginta & unus: Communis autem Judæorum opinio fert, quam etiam recenset Rabbi David Gantz in sua Chronologia sacro-profana, ad annum ɔ CCCXXVIII. millenarii quarti, templum secundum stetisse annis quadringentis & viginti: Itaque discrimen hic est annorum viginti & unius. Non hoc annotarem, nisi Judæi, quando de hac prophetia contra Christianos disputant, ita morose urgerent, ipsum annum præcise indicandum esse quo hebdomadæ hæ finiantur, contendantque, nisi illæ præcise eodem anno quo Christus occisus est, finiri comprobentur, nihil exinde concludi posse. Itaque ut & perinde ipsorum calculus exacte respondeat, æquum est. Quæ omnia hanc Viri Doct. interpretationem evertunt.

Nec is habuit cum pontificatu quasi jus regium.

Explicationes Viri Doct. refelluntur.

Sed & alia sunt in illius explicatione valde obscura, incerta ac dura. Ac primo quidem, quod per *Messiam ducem* velit significari alium, quam per *Messiam* simpliciter nominatum: Cum orationis non interrupta connexio omnino unum eundemque significari suadeat. Si dicat, unicuique diversum temporis intervallum attribui, unum dici compariturum post *septem*, alterum exscindendum post *sexaginta duas* hebdomadas: Dico id ex textu probari non posse: sed commodius utrumque numerum in unum debere conjungi, ita ut ab egressu verbi usque ad Messiam elapsuræ dicantur hebdomadæ septem & sexaginta duæ. Neque hoc abhorret à Prophetarum stylo, qui quandoque numerum integrum in particulas secant; ut *Ezech.* XLV. 12. *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, minam faciunt.* Adde quod Vir Doct. qui tam graviter circa historiæ veritatem & temporum supputationem erravit, deprehenso suo errore, non poterit aliquem assignare, in quem Prophetia hæc tempore hic designato complementum suum habuerit. Secundo: Durum etiam est, & valde incertum, abruptam hanc orationem, *& non ei*, supplere, *non amplius successor aliquis fuit*: Cum nemini extra partes constituto hæc suppletio in mentem ventura sit; sed diuturna meditatione sit inventa, ut aliquod effugium pateat evadendi argumentum ex hoc loco solide desumtum. Tandem, non minus contortum est, imo ipsi textui manifeste repugnans, *quod angelus prædixerit, datum populo septuaginta hebdomadarum tempus ad resipiscentiam, ut Scriptura Prophetica de universali populi redemtione impleretur; & quod Deus prædixerit, quia aliter populus facturus erat, etiam aliter ei debebat contingere*: Quod secundum Viri Doct. mentem aliud nihil significat, nisi, quod Deus hoc tempus quidem missioni Messiæ præfixerat: sed quia se non essent interea conversuri Judæi, rursus illud distulerit. Nihil simile in textu sacro occurrit: Dicit enim expresse Angelus, *septuaginta hebdomadas esse definitas.* Et tantum abest, ut Deus Messiæ adventum distulerit ob non peractam pænitentiam Judæorum, ut is sit, vel fatentibus Judæis, adventus Messiæ finis futurus, ut Judæos convertat, *cor lapideum auferat, & cor carneum eis det*, &c. quemadmodum Vir Doct. passim in suo scripto contendit. Itaque prædicit quidem Angelus populi peccatoris excidium; sed simul Messiæ missionem, & indignam ejus necem.

Ab antiquis Judæis hæc prophetia est explicata de Messia.

Saltem Vir Doct. agnoscere debet, hanc suam explicationem non clare contineri textus illius verbis: neque antecedentis temporis Judæi eum Prophetiæ hujus sensum cognoverunt: sed contrarium plane: uti inter alios ex Josephi historia liquet, qui lib. VII. cap. XII. *de bello Judaico* ait: *Quod Judæos maxime ad bellum excitavit, responsum erat ambiguum, iisdem in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Judæam creatus est imperator.* Josephus quidem oracula Prophetarum de Messia turpi adulatione & per violentam detorsionem de Vespasiano interpretatus est; sed interim ex ipsius narratione liquet, Judæos ita intellexisse Prophetarum vaticinia, ut tempus adventui Messiæ destinatum tunc effluxerit. Et quodnam aliud fuit in Prophetis vaticinium, quod adventus ipsius certum tempus, quod quidem ante impletionem aliquatenus dignosci potuit, prædeterminavit, præter hanc Danielis Prophetiam de septuaginta hebdomadibus, quas jam aut completas esse, aut saltem ad finem

finem vergere deprehendebant? Ergo vaticinium hoc de Messiæ adventu acceperunt.

Refutatio explicationis Viri Doct.

Vir Doct. autem hic prædici vult, *populo tempus hoc concessum ad resipiscendum, ut Prophetia de populi redemtione implerentur: sed quia Deus praviderat, populum se non conversurum, ejus excidium hic pradici, ac per consequens, propterea Messia adventum dilatum.* Ita liquet, alio longe sensu vaticinium hoc ab antiquis Judæis acceptum; &, si hic illius sensus fuisset, vere, ut Josephus ait, *ambiguum fuisset responsum.* At hic agebatur de re maximi momenti, de adventu nempe Messiæ, populique per eum redemtione; aut de adventus illius dilatione, & populi propter resipiscentiæ defectum extremâ miseria & excidio. Jam ego Viro Doct. repono suum argumentum, quo me in secundo suo scripto *pag.* 8. oppugnat, quando dixi Deum in Veteri Testamento per Prophetas munus Messiæ obscurius proposuisse, & in quo se triumphare putat: *O quam bene, quam pie, quam misericorditer Dominus Deus se gessisset cum dilecto populo, si saltem semel in toto sacro volumine claro & perspicue pradixisset, propter non prastitam à peccatis resipiscentiam Messia adventum, ultra tempus prastitutum, differendum: Prascivit Deus ob defectum genuina intellectionis hujus Prophetia populum temere bellum suscepturum contra Romanos, idque bellum excidium & extremam calamitatem populo allaturum; & tamen non aliud ipsis dedit nisi ambiguum & obscurum oraculum, cujus interpretatione & ipsi in populo sapientes decepti sunt.* Si hoc Vir Doctiss. putet consentaneum esse providentiæ divinæ, qua continuo Deus circa populum suum dilectum versatus est; multo minus ab eâ alienum credat, quod Deus non plene Messiæ officium revelaverit, cum nondum plenam & distinctam illius fidem exegit; sed eam reservaverit tempori isti, quo distinctam illius fidem requisivit.

Per Messiam hic intelligendus Messias ille eximius.

Quod autem Danielis vaticinium attinet, contendo ego, per *Messiam*, eximium illum Regem, Davidis filium, qui per excellentiam *Messias* nominatur, intelligendum esse. 1. Quia præter eum nullus excogitari potest, in quem quæ hic de Messia prædicuntur quadrare possunt. Quod jam de summo Sacerdote sub Nehemia evidenter satis ostendi. Nec præter eum Vir Doct. alium reperire poterit. 2. Quia absolute & per excellentiam vocatur *Messias*: quo non alius quam eximius ille promissus Messias significari potest. Verum est, *Messia* epitheton aliis etiam in Scriptura attribui, ut Sauli regi, 1. *Sam.* XXIV. 7. XXVI. 23. Davidi, *Psal* II. 2. LXXXIX. 39. Cyro, *Esa.* XLV. 1. Josiæ, sive Sedeciæ, *Lament. Jerem.* IV. 20. Verum manifesta est relatio ad aliquem, cujus in antecedentibus aut consequentibus aliis verbis aut alio nomine fit mentio, & quem respici totus contextus demonstrat. Verum hic absolute & per excellentiam vocatur *Messias*, & nec in antecedentibus, nec in consequentibus ulla alicujus mentio fit, ad quem hæc denominatio respiciat. Is ergo intelligendus, qui per excellentiam *Messias* vocatur. His adde, quod Vir Doctiss. affirmet, promissum illum regem & redemtorem Israëlis *nusquam in Scriptura hoc epitheto Messia insigniri.* Mirum autem est, nomen hoc adeo invaluisse inter Judæos, ut jam regi illi proprium evaserit, & tamen id in Scriptura nusquam illi attributum reperiri. Quare omnino concludendum est, nomen istud ex vaticinio hoc Danielis profluxisse, in quo nomen hoc *Messia* absolute acceptum de nullo alio interpretati sunt antiqui Judæi, quam de Messia: & quia de ipso hæc Prophetia unanimi omnium consensu accepta est, ideo sub nullo alio nomine quam

Messia jam olim, & nunc à Judæis insignitum esse. Ex Euangeliis sane constat, *Messia*, seu *Christi*, nomen vulgatum admodum fuisse inter Judæos; eaque denominatio adhuc viget.

Omnia hic de Messia prædicta in J. Christo impleta sunt.

Quare si hic eximius ille Messias, uti jam probavimus, sit intelligendus, sequitur, etiam indignam illius necem hic prædictam. Quocirca oratio illa abrupta, *Messias exscindetur, & non ei*, ita commodius supplenda videtur, *& non ei* nocebit, *&*, (id est, sed) *populus cum duce venturo destruet civitatem, & sanctuarium, &c.* Quasi dicat Angelus: Occidetur quidem Messias; Verum id nequaquam ei nocebit, aut regnum ejus disturbabit; quoniam (ut eventus docuit) ex morte resuscitabitur, & in cælos ad dextram Dei Patris exaltatus regnum obtinebit in æternum: Sed ipsi interfectores gravissimas cædis illius pænas luent, quoniam dux, nimirum Vespasianus ac filius ejus Titus, cum validissimo exercitu adveniet, & templum ac civitatem exscindet, totumque populum ex terrâ suâ penitus eradicabit. Quod & eventus, qui certissima Prophetiarum interpretatio est, similiter comprobavit. Quin & omnia quæ Messiæ tempore peragenda prædicuntur, in Jesu Christo complementum suum habuerunt. Ipse enim gratiam illam divinam attulit, qua peccato finis imponatur, quæ vim & efficaciam habet à quibusvis peccatis homines purgandi, & qua plurimi ad sinceram resipiscentiam & vitæ sanctitatem conversi sunt. Ipse peccata nostra expiavit, eorumque remissionem nobis apud Patrem suum impetravit. Postquam ille Euangelium annuntiavit, & per Apostolos suos inter omnes gentes annuntiari fecit, omnes visiones Propheticæ, quæ olim frequentes erant in populo Dei, cessarunt; (hoc enim per earum *obsignationem* significari phrasis præcedens de *obsignatione peccati* manifeste evincit) quoniam postquam Deus simul ac semel omnem suam voluntatem plene revelavit, visiones Propheticæ nullius amplius sunt usus, ut olim cum Deus per partes tantum voluntatem suam manifestavit, & per posteriores Prophetas quid revelaret, quod per priores revelatum nondum fuerat.

Quid hic significet Dux.

Nec obstat, quod Messias hic non vocetur Rex, sed *Dux*, נגיד; Nam & ex Scriptura constat hanc *ducis* appellationem etiam regibus attribui. Ut 2. *Sam.* VII. 8. Davidi, quem inter reges Israëlis maxime eximium fuisse, & Messiæ progenitorem, constat, *Ego tuli te de pascuis sequentem gregem ut esses dux super populum meum Israël.* Salomoni, 1. *Reg.* I. 35. Jerobeamo, 1. *Reg.* XIV. 7. Vide similiter 1. *Sam.* IX. 16. XIII. 14. Et ipse Vir Doctiss. hanc vocis נגיד significationem comprobat, quando urget eam additam, ad significandum Sacerdotis regiam quasi potestatem. Ex quibus omnibus concludo, quoniam nemo præter Messiam excogitari potest cui hæc prophetia applicari possit, etiam de illo hic sermonem esse; & non tantum certum ac definitum tempus intra quod advenire debuit, sed & cruentam ejus mortem prædici, ac tandem miserabile populi propter eam excidium.

Qualem pœnitentiam Deus à populo exegerit.

Tandem addideram; Si quis verba ex *Deut.* XXX. etiam de præsenti captivitate intelligenda pertendat, sciat ille, nullam veram Deoque gratam resipiscentiam esse posse, absque receptione Messiæ, quem Deus in populi sui salutem misit. Respondet Vir Doctiss. *Deum pœnitentiam tantum exegisse, nunquam autem illi circumstantiam hanc de fide in Messiam addidisse, potius contraria prædixisse, sc. quod quando populus servaret omnia præcepta, judicia & ceremonias scriptas in Lege, Deus illius sit misertus.* Resp. Conditionem

ditionem temporis & rationem oeconomiæ divinæ exegisse, ut Deus resipiscentiam Israëlis non aliis quam ejusmodi phrasibus exprimeret. Præscripserat enim Israëli legem, multa etiam præcepta ritualia continentem, quorum observationem severe exigebat. Non permittebat autem hæc severa obligatio, ut Deus eodem illo tempore resipiscentiam aliis phrasibus describeret, nisi quibus totus ille cultus, prout tunc exigebatur, repræsentatus fuit. Si enim Deus eodem illo tempore clare indicasset, aliquando rigidam illam ceremonias servandi obligationem cessaturam, facile eæ à populo, quem Deus passim accusat duræ fuisse cervicis, quique in gentium vicinarum ritus & idololatriam quam maxime propendebat, potuissent negligi: Quod rationi regiminis divini, qui per eas populum ab aliis omnibus populis segregari, sibique in peculiarem populum sanctificari voluit, maxime adversum fuisset. Cum itaque Deus per Messiam quem misit voluntatem suam hac de re plenius patefecerit, omnino in ea acquiescendum est.

QUÆSITUM TERTIUM.

CAPUT I.

Non necesse fuisse omnia quæ Messiæ munus concernunt clare & plene per Prophetas prædicere.

Qualis fuerit olim Judæorum status respectu fidei in Messiam.

IN tertia quæstione Vir Doctiss. idem, quod jam aliquoties refutatum est, inculcat, necesse fuisse, ut Deus omnia quæ Messiæ munus concernunt, clare & plene per Prophetas revelaverit. Sed ne id denuo pluribus adstruat, unum nunc addit: ***Quod Israël nullatenus teneatur ad credendum Propheta, sive Messias dicatur, sive non, qui contrarium dixerit aut fecerit iis, quæ à Deo in Lege & Prophetis clare & aperte præcepta vel prædicta fuere.*** Sed in hoc me refragantem non habet. Sed dicit, ***me ipsum fateri, quod Deus clare prædixerit Regnum Messiæ terrenum, imo quod Israël id credere teneretur.*** Verum cum Vir Doctiss. continuo hunc errorem ex verbis meis male intellectis committit, hic denuo paucis dico, quod antea plenius & pluribus dixi, ad verborum meorum clariorem intelligentiam: Quod prædictio de regno Messiæ glorioso in terris non sit habenda clara ac perspicua, licet verba Prophetarum primo aspectu tale regnum clare videantur prænuntiare: Quia Prophetæ multa etiam prædixere de miseriis ac morte Messiæ, quæ cum ejusmodi regno neutiquam conciliari possunt; uti jam aliquoties ostendi: Non ergo illa Prophetia de regno terreno judicanda est clara; sed inquirendum, an non alius sub illa sublimior lateat sensus. Multo minus dixi, Deum voluisse ut Israël verba Prophetarum eo sensu intelligeret; unde Vir Doct. in fine scripti sui infert, ***quod itaque Deus voluerit ut Israël usque ad adventum Messiæ falleretur.*** Nihil minus.

minus. Dixi Deum se istiusmodi locutione accommodasse statui populi sui infantili; quando infantium instar rudimentis ac primis cultus divini initiis maximam partem occupatus fuit, & valde intentus præsentibus, animum ad futura ac spiritualia non satis attollebat: ideoque verba adhibuisse, idonea captui & exspectationi, quæ communiter in populo obtinebat. Tamen & addidisse Deum quædam, non bene cum regno terreno congruentia, quæ subindicabant, licet obscurius, sublimiorem quendam sub Prophetarum verbis sensum latere; ut ita piorum diligentiam excitaret, studiose sensum illum investigandi. Tantumque abest, Deum noluisse ut sensus ille sublimior ac genuinus à quoquam intelligeretur; ut contra, gratissimum ipsi fuerit, si quis paulo altius assurgeret, & sublimiorem latere sensum deprehenderet; licet illum plene non perciperet, sed plenam illius revelationem exspectaret suo tempore à Deo patefaciendum. Verum Deus illius plenioris sensus distinctam fidem, quamdiu illum non plene ac clare revelavit, non exegit; sed fidem illam imperfectiorem, quam ex verbis ejus, non plene intellectis, Israël olim percepit, pro ratione status ipsius infantilis, toleravit. Hoc hic denuo dictum sufficiat, ut semel distincte sciatur quid dixerim, ne cogar sæpius verba mea interpretari. Minime autem omnium concessi, *Prophetias prædicere tantam gratiæ efficaciæ effluentiam, ut sanctus esset futurus totus Israël*, &c. Quin è contra, hoc continuo impugnavi, & etiamnum in hoc scripto valide impugno.

Quid de Judæis sentiendum. Grates mihi agit Vir Doctiss. quod Judæis, præter plerorumque Christianorum morem, concedam, quod cum Christianis credant in eundem verum Deum: (Quod tamen in sequentibus Vir Doct. Christianis non concedere videtur, quod cum Judæis in eundem credant Deum) sed addit, *quod propter necessitatem fidei in Messiam jam missum, meo judicio perinde se habeat, & eodem modo sint condemnandi, ac si in Deum non crederent.* Ego in præcedentibus fuse satis mentem de Judæis, tam Christi & Apostolorum ætati coævis, quam de eorum posteris usque ad præsens sæculum, explicui, & quid inter utrosque discriminis sit indicavi, ut verbum addere non sit necesse.

Etsi non sit prædicta Messiæ rejectio, tamen eum Judæi recipere potuerunt, & rejecerunt. Itaque argumentum Viri Doctiss. quod sequitur, expendamus. Quærit, *cum Deus futuram Israëlis idololatriam clare prædixerit, cur non & similiter Messiæ rejectionem, crimen idololatriæ multo deterius?* Respondi ego ad hoc quæsitum disjunctive: Aut Virum Doctiss. requirere ejusmodi prædictiones, quibus Israël ita convinceretur, ut quando venisset Messias, de eo, etiamsi quam maxime vellet, ambigere minime posset? Aut quibus Israël sufficienter de Messia posset instrui, eumque quando venisset agnoscere; non tamen ita evidenter & necessario convincerentur, quin si animo sint refractario eum rejicere possint. Posterioris generis exstare dixi: Prioris generis requirere æquum non esse; imo dari non posse. Respondet Vir Doct. *se non debere velle, quod Deus hoc vel illo modo faciat, sed omnino facere quod Deus velit.* Vero ac pie: Sed nihil ad quæsitum meum. Quærimus enim, quando negat Deum aliquid de Messia ejusque rejectione prædixisse, quales prædictiones intelligat Vir Doct. Nam omnino mihi ita argumentari videtur: Quod si Judæi Messiam rejecerint, oportuisse ut Deus clare & apertis verbis prædixerit, Judæos Messiam rejecturos esse; ut ita sibi à peccato isto cavere possent: Quod cum Deus non ita clare prædixerit, perinde

perinde atque prædixit de idololatria, inde etiam concludere, quod Deus id nullo modo prædixerit. Atque ita Vir Doctiss. inferre velle videtur; Quia Deus gravissimam hanc populi sui apostasiam non prædixit, ergo populus Israël illius non est reus. Sed quid si fatear me ignorare rationes, cur Deus hoc non prædixerit, an aliquod causæ Viri Doct. firmamentum accedet ex ignorantia meâ, forte modesta? Non majus credo, quam ex parum modesta illa curiositate, quâ toties Deum ad judicii sui tribunal sistit, ut rationem reddat, cur hoc fecerit, illud omiserit. Quod si Vir Doct. inde (ut mihi videtur) inferre velit, quia Deus non clare prædixit Israëlem rejecturum Messiam, quod ideo Israël eum non rejecerit, videat quæso qualem instituat argumentationem, sc. quod Judæi nullum possint grave peccatum committere, quod Deus non clare & in specie prædixit. Eodem modo probaret, Jerobeam & decem tribus non peccasse; quia illam, à recto ac legitimo sui cultu defectionem nusquam clare prædixit Deus, tanquam peccatum sollicite fugiendum, & plurimorum malorum causam. Quod si vero Vir Doct. insinuare velit, oportuisse Deum populum suum dilectum tanti mali, si futurum erat, clare præmonuisse; caveat quæso, ne providentiam divinam incuset, & (quod sæpius sua argumentandi ratio illum facere cogit) ne ex suo judicio suaque hypothesi leges agendi sapientiæ divinæ præscribat. Si neutrum horum ex ista quæstione Vir Doct. inferre velit, quid ea ad præsens faciat argumentum, non video.

Cautela Viri Doct. reddit omnia signa de Messia incerta.

Vir Doctiss. pergens, ait, ***Vaticinia exstare adeo clara ac evidentia, ut quando Messias venerit, Israëlita dubitare non possint, quin verus sit Messias***: Sed addit cautelam; ***nisi forte in principio suæ apparitionis, quando nondum sua munera, quibus dignoscatur, exercuit.*** Atqui hæc cautela omnem de Messia certitudinem tollit. Cum enim Judæi Messiam exspectent, qui sit futurus rex terrenus, & regnum in terra Canaan rursus stabiliturus, per vim expulsis inde gentibus, & numeroso collecto exercitu aliorum regum exercitus profligaturus; omnino à Judæis subditis suis, ex quibus exercitum colliget, agnosci debet esse Messias, antequam in solio Davidis sedeat, ac proinde antequam munera sua exercuerit. Postquam hæc omnia peregit, & regnum Iudæ denuo erexit, & thronum habet in Ierusalem, non amplius dubitari poterit, in Ierusalem regem regnare; non magis quam olim de Davide, aut hodie de rege Galliæ aut Hispaniæ dubitari potest: Sed si sit ***opus dignum & meritorium, in principio ei non facile fidem præstare, si ob Dei timorem & legis amorem decipi timuerint, quousque ejus vocatio conspicua sit***: non video qua ratione vocatio ejus conspicua futura sit. Per totum enim scriptum suum Vir Doct. hoc ut præcipuum, si non unicum, signum requirit, ut Iudæos ac totum Israëlem reducat in terram Canaan: Quoniam vero hoc efficere non potest, nisi numeroso Iudæorum exercitu stipatus, oportet ut à Judæis recipiatur, antequam eos in terram Canaan introduxerit, ac proinde antequam munera sua, unde dignosci debet, exercuerit. Atqui illo tempore falli possunt, uti Vir Doct. non obscure innuit, & experientia aliquoties comprobavit, præsertim temporibus Barchochabæ, quem signa ac prodigia edere falsus ipsius Propheta Aquibas populo persuasit; adeo ut non plebs tantum maximo numero, sed & pleríque Judæorum sapientes, testibus ipsis scriptoribus Judæis, & inter illos Mose Maimonide, illius fraude seducti sint, nec ***ob Dei timorem & Legis amorem decipi timuerint, quousque ejus vocatio conspicua fuit***; verum regno mundano intenti, ***opus***

dignum & meritorium, *in principio ei non facile fidem praestare*, plane neglexerunt, &, quod pejus est, semper negligant necesse est; quia talis Messias regnum, ex quo *ejus vocatio conspicua fit*, obtinere non potest, nisi ad illum accesserit Judæorum populus, qui *Dei timorem & Legis amorem* abjiciens *non timuerit decipi quousque ejus vocatio conspicua fit*: adeo ut, si Judæi faciunt, quod Vir Doctiss. ait eos debere facere *ob timorem Dei & Legis amorem*, scilicet, diffidere *quousque ejus vocatio conspicua fit*, Messias nunquam illos sit liberaturus. Si aliter fecerint, vide quale initium habitura sit Israëlis per Messiam redemtio, scilicet seditiosum Judæorum temere credulorum, officiumque suum *dignum & meritorium* negligentium, concursus, cum illum ut regem suum sequuntur, quem nullo certo documento scire possunt verum esse Messiam à Deo missum. Unde tandem consequitur (quod maxime est absurdum) quod eum quem sequuntur cognoscere non possunt, nisi postquam in ipsum crediderint. Quod cum ita sit, ubi sunt aut esse possunt illa toties requisita & toties jactata tam clara Messiæ vestri signa, ut de illo cum veniat nemo Judæorum dubitare possit?

Homo præfractus evidentissima in dubium vocare potest.

Et hæc responsio applicari potest statui Servatoris nostri Jesu Christi. Requirit Vir Doct. oportuisse Deum præmonuisse Israëlem de Messiæ rejectione. Dixi, nullas adeo claras dari posse prædictiones, quin homo, cui constitutum est non credere, semper aliquid quod ulterius requirat, obtendere possit. Si Deus prædixisset, Judæi rejicient & occident Messiam; possent prætexere, rejicietur à tumultuante plebe, non vero à Synedrio tanquam blasphemus condemnabitur. Si & hoc prædictum esset, non suffecisset ipsis resurrectio ipsius, nisi se *redivivum toti populo ostendisset*: & licet id fecisset, exegissent *ut omnibus inspectantibus in cælum adscendisset*, quemadmodum Vir Doctiss. in hoc suo scripto: Et si hoc contigisset, forte aliud & plura exegissent: homini enim præfracto nunquam satisfit. Ita ut merito negaverim, nullas adeo expressas posse dari prædictiones, quin hominis maligni cavillo obnoxiæ sint.

Non debent requiri argumenta, quæ necessario convincant, etiam præfractos.

Ut responsionem meam fortius adstruerem, dixi: Etsi prædicta fuisset Messiæ rejectio, quod exinde minime sequatur, quod Judæi tali prophetia persuasi Messiam recepturi fuissent, sive, quod eodem redit, inobedientiæ contra ipsum crimen non commisissent: Quoniam, licet clarissimæ exstent prædictiones divinæ de idololatria, & præceptum divinum de non colendis idolis toties in Lege iteretur, Israël tamen propterea ab idolorum cultu non abstinuit. Hujus argumenti ictum Vir Doctiss. declinare cupiens, argumentum meum repetens penitus enervat, quasi collegerim, licet Deus id præmonuisset, tamen ea præmonitio Israëli profutura non esset: Unde tum porro colligit, me asserere velle, *quod Deus frustra idololatriam prohibuerit, populum admonuerit, seque eum destructurum prædixerit*. Absit tam alienus à mente mea sensus. Aliud longe conclusi, contra Viri Doctiss. assertionem, qui in hoc scripto continuo tales requirit prædictiones, atque adeo claras ac evidentes, quibus Israël de Messia, quando advenit, necessario convincatur, adeo ut fidem ei denegare nequeat. Tales dixi nec dari, nec dari posse, propter hominum contumaciam, qui & clarissima sub quæsito prætextu respuere possunt: Quod exemplo idololatriæ contra expressa interdicta & prædictiones Dei à Judæis aliquoties commissæ (quod exemplum mihi Vir Doct. objecerat) illustravi. Maximum namque discrimen est inter hæc duo: Non necessario hominem convincere

seu

ſtri ad obſequium perducere: & , fruſtraneum eſſe. Nulla Dei præcepta & promiſſa fruſtranea ſunt; Et tamen homines non neceſſario ad officium compellunt, imo obedientium numerus exiguus eſt præ maxima refragantium multitudine. Hinc jam manifeſtum eſt, totum illum quem hic Vir Doct. facit diſcurſim de hujus prædictionis utilitate extra oleas vagari. Ego enim contra eam nihil dixi; ſed negavi, quod ſimili de Meſſiæ cæde poſita Iſraël neceſſario Meſſiam agnoviſſet. Imo dixi, & etiamnum dico, prophetiam ejuſmodi exſtare, ſufficientem quidem homini docili Deumque ſincere timenti; verumtamen non adeo evidentem, ut invitis ac refractariis aſſenſum extorqueat: de qua antea fuſius diximus. Atque hæc ſufficit, ut Iſraël, ſiquidem depoſito præjudicio & affectu mundano omnia in timore Domini expendat, vel à crimine iſto abſtinere, vel ab eo commiſſo reſipiſcere poſſit.

CAPUT II.

De præſentis Iudæorum diſperſionis cauſis, & diuturna duratione.

ADdideram aliud argumentum, ut oſtenderem, licet Deus diſertis verbis non prædixerit, quod Iſraëlem ob Meſſiæ cædem eſſet diſperſurus inter gentes, Judæos tamen ex ipſa hac diſperſione & diuturna illius duratione colligere poſſe, nullam aliam illius eſſe cauſam, quam injuſtam Meſſiæ cædem: non ut diſputationis filum aliquantiſper omitterem; ſed ut reſponſionem meam fortius adſtruerem. *De cauſa diuturnæ diſperſionis Iudæorum.*

Hoc argumentum, quod non ***ad Dei abditum & inſcrutabile ſecretum adſcendere affectat***, ut Vir Doct. ait, ſed ex claris promiſſionibus ac comminationibus divinis, optimis mentis Dei interpretibus, & de quarum veritate ac ſtabilitate nemini vel leviſſime dubitare fas eſt, deſumitur, ***conjecturale*** vocat Vir Doct. ut ipſa hac appellatione illius vim invictam aliquatenus imminuat. Antequam vero illius reſponſioni ſe accingat, per modum retorſionis viciſſim quærit; ***Si Evangelica doctrina & Dei adventus in mundum jam à lapſu Adami fuerit ad ſalutem hominum neceſſarius, cur tot ſeculis à Deo ſit dilatus, hominibus interim in cæcitate, veri Dei ignorantia, atque omnis generis peccatis, relictis?*** De neceſſitate Euangelii ac fidei in Ieſum Chriſtum ego in initio reſponſionis ad quæſtionem primam fuſe ſatis ſententiam meam explicui. Ad quæſtionem quam hic Vir Doct. ex communi Chriſtianorum doctrina infert, paucis reſpondeo: Caſus eſſe valde diverſos, qui nihil inter ſe ſimile habent. Non ſe obligavit Deus Adamo illiuſque poſteritati promiſſo aliquo, fore, ut quamprimum Adamus lapſus eſſet, miſſurus eſſet redemtorem in mundum, qui omne Dei propoſitum de ſalvandis hominibus ipſi ac poſteritati mox eſſet annuntiaturus. Solummodo comminatus eſt mortem Adamo, & diverſis temporibus gratioſum ſuum propoſitum de Meſſia aliquando mittendo, primo obſcurius, dein clarius revelavit. Sicut ergo arbitrii divini fuit mundo redemtorem mittere; ita etiam tempus miſſioni illi præfigere; neque ulla illius ab homine ratio reddi poteſt, niſi qua- *Longi illius eſt ratio dilationis adventus Meſſiæ.*

dignum & meritorium, *in principio ei non facile fidem præstare*, plane neglexerunt, &, quod pejus est, semper negligant necesse est; quia talis Messias regnum, ex quo *ejus vocatio conspicua fit*, obtinere non potest, nisi ad illum accesserit Judæorum populus, qui *Dei timorem & Legis amorem* abjiciens *non timuerit decipi quousque ejus vocatio conspicua fit*: adeo ut, si Judæi faciunt, quod Vir Doctiss. ait eos debere facere *ob timorem Dei & Legis amorem*, scilicet, diffidere *quousque ejus vocatio conspicua fit*, Messias nunquam illos sit liberaturus. Si aliter fecerint, vide quale initium habitura sit Israëlis per Messiam redemtio, scilicet seditiosum Judæorum temere credulorum, officiumque suum *dignum & meritorium* negligentium, concursus, cum illum ut regem suum sequuntur, quem nullo certo documento scire possunt verum esse Messiam à Deo missum. Unde tandem consequitur (quod maxime est absurdum) quod eum quem sequuntur cognoscere non possunt, nisi postquam in ipsum crediderint. Quod cum ita sit, ubi sunt aut esse possunt illa toties requisita & toties jactata tam clara Messiæ vestri signa, ut de illo cum veniat nemo Judæorum dubitare possit?

Homo præfractus evidentissima in dubium vocare potest.

Et hæc responsio applicari potest statui Servatoris nostri Jesu Christi. Requirit Vir Doct. oportuisse Deum præmonuisse Israëlem de Messiæ rejectione. Dixi, nullas adeo claras dari posse prædictiones, quin homo, cui constitutum est non credere, semper aliquid quod ulterius requirat, obtendere possit. Si Deus prædixisset, Judæi rejicient & occident Messiam; possent prætexere, rejicietur à tumultuante plebe, non vero à Synedrio tanquam blasphemus condemnabitur. Si & hoc prædictum esset, non suffecisset ipsis resurrectio ipsius, nisi se *redivivum toti populo ostendisset*: & licet id fecisset, exegissent *ut omnibus inspectantibus in cælum adscendisset*, quemadmodum Vir Doctiss. in hoc suo scripto: Et si hoc contigisset, forte aliud & plura exegissent: homini enim præfracto nunquam satisfit. Ita ut merito negaverim, nullas adeo expressas posse dari prædictiones, quin hominis maligni cavillo obnoxiæ sint.

Non debent requiri argumenta, quæ necessario convincant, etiam præfractos.

Ut responsionem meam fortius adstruerem, dixi: Etsi prædicta fuisset Messiæ rejectio, quod exinde minime sequatur, quod Judæi tali prophetia persuasi Messiam recepturi fuissent, sive, quod eodem redit, inobedientiæ contra ipsum crimen non commisissent: Quoniam, licet clarissimæ exstent prædictiones divinæ de idololatria, & præceptum divinum de non colendis idolis toties in Lege iteretur, Israël tamen propterea ab idolorum cultu non abstinuit. Hujus argumenti ictum Vir Doctiss. declinare cupiens, argumentum meum repetens penitus enervat, quasi collegerim, licet Deus id præmonuisset, tamen ea præmonitio Israëli profutura non esset: Unde tum porro colligit, me asserere velle, *quod Deus frustra idololatriam prohibuerit, populum admonuerit, seque eum destructurum prædixerit*. Absit tam alienus à mente mea sensus. Aliud longe conclusi, contra Viri Doctiss. assertionem, qui in hoc scripto continuo tales requirit prædictiones, atque adeo claras ac evidentes, quibus Israël de Messia, quando advenit, necessario convincatur, adeo ut fidem ei denegare nequeat. Tales dixi nec dari, nec dari posse, propter hominum contumaciam, qui & clarissima sub quæsito prætextu respuere possunt: Quod exemplo idololatriæ contra expressa interdicta & prædictiones Dei à Judæis aliquoties commissæ (quod exemplum mihi Vir Doct. objecerat) illustravi. Maximum namque discrimen est inter hæc duo: Non necessario hominem convincere

seu

ſtri ad obſequium perducere: & , fruſtraneum eſſe. Nulla Dei præcepta & promiſſa fruſtranea ſunt; Et tamen homines non neceſſario ad officium compellunt, imo obedientium numerus exiguus eſt præ maxima refragantium multitudine. Hinc jam manifeſtum eſt, totum illum quem hic Vir Doct. facit diſcurſum de hujus prædictionis utilitate extra oleas vagari. Ego enim contra eam nihil dixi; ſed negavi, quod ſimili de Meſſiæ cæde poſita Iſraël neceſſario Meſſiam agnoviſſet. Imo dixi, & etiamnum dico, prophetiam ejuſmodi exſtare, ſufficientem quidem homini docili Deumque ſincere timenti; verumtamen non adeo evidentem, ut invitis ac refractariis aſſenſum extorqueat: de qua antea fuſius diximus. Atque hæc ſufficit, ut Iſraël, ſiquidem depoſito præjudicio & affectu mundano omnia in timore Domini expendat, vel à crimine iſto abſtinere, vel ab eo commiſſo reſipiſcere poſſit.

CAPUT II.

De præſentis Iudæorum diſperſionis cauſis, & diuturna duratione.

ADdideram aliud argumentum, ut oſtenderem, licet Deus diſertis verbis non prædixerit, quod Iſraëlem ob Meſſiæ cædem eſſet diſperſurus inter gentes, Judæos tamen ex ipſa hac diſperſione & diuturna illius duratione colligere poſſe, nullam aliam illius eſſe cauſam, quam injuſtam Meſſiæ cædem: non ut diſputationis filum aliquantiſper omitterem; ſed ut reſponſionem meam fortius adſtruerem. *De cauſa diuturnæ diſperſionis Iudæorum.*

Hoc argumentum, quod non ***ad Dei abditum & inſcrutabile ſecretum adſcendere affectat***, ut Vir Doct. ait, ſed ex claris promiſſionibus ac comminationibus divinis, optimis mentis Dei interpretibus, & de quarum veritate ac ſtabilitate nemini vel leviſſime dubitare fas eſt, deſumitur, ***conjecturale*** vocat Vir Doct. ut ipſa hac appellatione illius vim invictam aliquatenus imminuat. Antequam vero illius reſponſioni ſe accingat, per modum retorſionis viciſſim quærit; ***Si Euangelica doctrina & Dei adventus in mundum jam à lapſu Adami fuerit ad ſalutem hominum neceſſarius, cur tot ſeculis à Deo ſit dilatus, hominibus interim in cæcitate, veri Dei ignorantia, atque omnis generis peccatis, relictis?*** De neceſſitate Euangelii ac fidei in Ieſum Chriſtum ego in initio reſponſionis ad quæſtionem primam fuſe ſatis ſententiam meam explicui. Ad quæſtionem quam hic Vir Doct. ex communi Chriſtianorum doctrina infert, paucis reſpondeo: Caſus eſſe valde diverſos, qui nihil inter ſe ſimile habent. Non ſe obligavit Deus Adamo illiuſque poſteritati promiſſo aliquo, fore, ut quamprimum Adamus lapſus eſſet, miſſurus eſſet redemtorem in mundum, qui omne Dei propoſitum de ſalvandis hominibus ipſi ac poſteritati mox eſſet annunciaturus. Solummodo comminatus eſt mortem Adamo, & diverſis temporibus gratioſum ſuum propoſitum de Meſſia aliquando mittendo, primo obſcurius, dein clarius revelavit. Sicut ergo arbitrii divini fuit mundo redemtorem mittere; ita etiam tempus miſſioni illi præfigere; neque ulla illius ab homine ratio reddi poteſt, niſi qua- *Longè alia eſt ratio dilationis adventus Meſſiæ.*

tenus eam Deo revelare placeat. Certum autem ac definitum adventus Messiæ tempus primus Daniel divino instinctu revelavit.

Et Iudaica dispersionis.

Sed cum populo Israël Deus per Mosen fœdus erexit, in quo stipulatur officium, additis ab una parte plurimis contra transgressores comminationibus, & præsertim, de excidio è terra & traditione in captivitatem: quæ omnium gravissima est: ab altera vero, promissionibus, de fælicitate ac prosperitate in terra Canaan: & speciatim etiam de reductione ex captivitate in terram suam, siquidem ob peccata, & præsertim idololatriam, in captivitatem traditi, seriam illius egerint resipiscentiam, seque ad Deum converterint. Non patitur autem Dei justitia & veracitas, ut promissa illius irrita sint. Quæ ex gratia sine promisso Deus confert, arbitrii mere divini sunt: postquam promissum est adhibitum justitia ac veracitas illi quicquam contrarium facere non permittunt. Arbitrii mere divini fuit, Abrahamum ejusque posteritatem sibi eligere in populum, illique leges præscribere, ac promissis sancire prout ipsi placuit. Sed datæ jam Legi, ac promissis sancitæ, ut quicquam Deus contrarium faciat, justitia ejus non permittit. Ex Lege itaque Dei, & comminationibus ac promissionibus illi additis, argumentatus sum hunc in modum.

Hujus nullam causam Judæi assignare possunt.

Minatur Deus, se parentum idololatriam vindicaturum in liberis usque in tertiam & quartam generationem: Populo pænitenti promittit restitutionem in terram suam: Quoniam autem verbum Dei excidere nequit, oportet aliquod esse populi crimen, ob quod, consentaneë comminationibus ac promissionibus Legi additis, in diuturna ac misera hac dispersione populus, sine ullo Prophetarum alloquio, detinetur. Quæro, an si Jesus Christus juste fuerit à parentibus ipsorum occisus, ullum tale excogitare possint Iudæi? An sit idololatria? Non hoc dicere possunt: quia post reditum è captivitate Babylonica non legimus quod se populus idololatria polluerit: deinde; propter illam Deus populum tradidit in captivitatem septuaginta annorum: jam vero ultra sexdecim sunt sæcula, quod è patria extorres ad ultimas usque mundi regiones dispersi, sine ulla quæ nomine Dei ipsis per Prophetam speciatim ad ipsos missum affertur consolatione, inhonoratam & abjectam vitam agunt. Quæro, quodnam illud sit totius gentis peccatum idololatria gravius, quod tam gravem ac diuturnam Dei iram, consentaneë promissis Legis, in ipsos concitaverit?

Oportet esse crimen idololatria gravius.

Vir Doctiss. respondet, ***ad duo capita hoc quæsitum reduci. Primum, ob quæ peccata Dominus per omnes populos Israëlem in captivitatem disperserit? Alterum, quare adeo diuturna sit captivitas, cum antea ob idololatriam septuaginta tantum captivitatis annis sit punitus?*** Ad primum respondet: ***Legem dispersionem hanc comminari Israëli ob solam legis Mosaicæ transgressionem, nulla Messiæ abnegationis mentione facta. Nullam itaque aliam causam quam prævaricationem legis esse quærendam.*** Ita, ne in Messiam impii sua confessione habeantur Iudæi, malunt se in Deum impios aperte fateri. Legem contumacibus transgressoribus comminari dispersionem ac captivitatem notius est, quam ut ulla indigeat probatione: & hæc Legis comminatio, uti in præcedentibus ostendi, secundum omnes suas circumstantias complementum suum habuit in captivitate Babylonica. Deus, qui Legis violatoribus, præsertim autem idololatris ac veri Dei desertoribus, comminatus est captivitatem, resipiscentibus vero gratiose promisit reductionem in patriam, tempus captivitatis determinavit intra septuaginta annorum spatium: idque suum decretum per os Prophe-

Prophetæ Ieremiæ populo præsignificavit, *Cap.* XXV. 11, 12. XXIX. 10. Post reditum ex Babylone licet se totus populus idololatria non polluerit, nec postea, uti fatetur ipse Vir Doctiss. his verbis: *In secundo templo pro majore parte ab idololatria abstinuit, atque propter eandem admonitionem per tot sæcula in hac dispersione idololatriam abominatur: Quæst. III. Num. II. pag.* 97. aliis tamen peccatis ac sceleribus se denuo coram Deo ejusdem pœnæ reum reddidit, & peccatis aliis cumulum adjecit, ingratam Messiæ ad salutem ipsius missi rejectionem, & indignam cædem: Quod licet Moses non aperte prædixerit, tamen & in Lege contra istud peccatum gravissimam exstare comminationem, mox, quando locum *Deut.* XVIII. 15. contra Viri Doct. exceptiones vindicabo, manifestum fiet. Ergo quando puniuntur Iudæi, ob contemtum Messiæ, dicendum quod revera etiam ob contemtum Legis, quæ Messiæ obedientiam ipsis mandavit, puniantur. Qui enim illi obedientiam denegat, cui lex obediri jubet, ipsi Legi inobediens est. Et hanc desolationis extremæ causam Deum speciatim Judæis præsignificasse ex *Dan.* IX. antea ostendimus: nullamque ejus aliam assignari posse, ex illius diuturnitate colligimus.

Aliud esse nequit, quam Messiæ cades.

Observandum enim est, punitionem hanc esse totius gentis, sive Reipublicæ; igitur & peccatum debet esse totius gentis, seu populi: Quod aliud esse nequit, nisi defectio totius nationis à Deo per idololatriam, cujus, ut affirmat Vir Doctiss. populus Iudaicus jam non est reus; vel à rege suo Messia à Deo misso. Tertium assignari non potest. Et animum si attendere velit Vir Doct. ad historiam sacram, fatebitur credo, quod totum populum nunquam rejecerit Deus, nisi populus prius Deum rejecerit: quod vix aliter fieri poterat, nisi apostasia idololatrica, vel rejectione regis Messiæ. Corruptos enim privatorum mores privato etiam judicio puniebat Deus. Nam & fælicissimis suis temporibus & glorisissimo regni Israëlis statu ipse David corruptissimos hominum esse mores conquestus est.

Hic se Vir Doctiss. pressum sentiens, rationem illius diuturnitatis conjecturare vult. Et hoc sensu merito *conjecturale* argumentum hoc vocat: nimirum Iudæorum respectu, qui veram illius causam, Messiæ cædem, neutiquam admittere cupiunt. Fieri enim nequit, quin omnes qui à genuina ac vera judiciorum divinorum causa oculos & animos avertunt, in conjecturas vanas ac inanes, & sæpe admodum diversas & inter se contrarias, incidant. Verum Viri Doctissimi conjecturas audiamus.

Primo dispersionem hanc non obtigisse Israëli ob Messiæ cædem evincere conatur. Primum argumentum, ab efficaci Dei gratia desumtum, quæ non permittat ut Iudæi Messiam rejicere possint, in antecedentibus satis refutatum est.

Decem tribus non exstiterunt amplius immixtæ gentibus.

Addit alterum à statu *decem tribuum* desumtum, *quæ hactenus in captivitate detinentur: atqui ea cadi Christi adscribi nequit, cum jam aliquot sæculis ante Christi cædem patria extorres fuerint.* Resp. Tribus decem integras nunquam in terram Canaan esse reductas, manifestum est: si qui ex illis redierunt, tribus Judæ accessio facti sunt. Reliqui qui in Media ac Parthia mansere per diuturnam inter gentes commorationem, & procul dubio connubia cum ipsis contracta, ita gentibus illis sunt permixti, ut separatus amplius populus non sint. Nullæ enim hodie illorum supersunt reliquiæ; quicquid nugetur Benjamin Tudelensis in suo Itinerario post montes Caspios innumerabilem eorum superesse multitudinem; Nemo enim hodie, nec inter Iudæos qui totum pererrant orbem,

quantumvis scrutetur, multitudinem illam indagare potest. *In toto Oriente, India & Æthyopia vastissimas eos habere synagogas se scire* Vir Doct. ait: Verum in Æthyopiam miror quomodo Vir Doct. Israëlitas ex Assyria commigrasse credat, & non desedisse in terra Canaan, præsertim cum illam post reditum è Babylone possiderent Iudæi. Quare si in Æthyopia quidam sint, quod mihi latet, Iudæos esse oportet. Imo non tam magnum eorum ibi esse numerum, ex nuperorum historiis satis scimus. Totum Abyssinorum populum esse circumcisum, eorum qui regnum illud peragrarunt relationes testantur, neque id à me in dubium vocatur: Verum illum non esse Iudæum, sed Christianum, ex eorundem testimonio, & publicis inter Abyssinorum & Lusitaniæ regem legationibus manifestò constat. De Synagogis Israëlis vastissimis in toto Oriente hactenus nihil nobis innotuit, quamvis historias habeamus Europæorum ex India Orientali, & ex ipsa Russia pedestri itinere ad Sina usque & ultimas Orientis oras penetrantium, adeo ut totius Asiæ vix sit angulus, multo minus aliqua regio tanti populi capax, uti latere posset nobis incognita, si adhuc impermista gentibus alicubi suis legibus viveret decem tribuum posteritas. Epistola ante sex annos ad Synagogam Amstelodamensem missa ignoratur (uti ait ipse Vir Doct.) à quibus missa sit: suspicatur eorum scriptores ex decem tribubus esse. Ecce quam dubitanter & incerto. Ego de hac epistola, à me non visa, judicium meum non interpono: Miror vero, quo fundamento Vir Doct. asserat, eos de religione Christiana aut nullam, aut vagam tantum habere cognitionem: Nam si de religione Christiana plane taceant, exinde concludi nequit, quod illius nullam habeant cognitionem: Si ipsi id scribant, eo ipso satis testatum faciunt, quod notitiam ejus habeant. Verum licet confusam tantum habeant cognitionem religionis Christianæ, exinde minime sequitur, quod occasione exactiorem cognitionem acquirendi destituti sint: In hac civitate uberrima est religionem Christianam cognoscendi occasio: Iudæi tamen communiter, non vulgus tantum, sed & ipsi Rabbini, adeo religionis Christianæ ignari sunt, ac si vix unquam fando de ea audivissent, & non nisi vagam & confusam ejus habent cognitionem, quam non ex lectione Euangelii, sed ex incertis rumoribus hauriunt.

Per Israëlem & Judam sæpe intelliguntur fideles: & quare? Sed quicquid sit de hac epistola, certum est, nullas nunc reperiri decem tribuum reliquias populum separatum, perinde uti Judæos, constituentes. Inde non leve ducitur argumentum, quando Prophetæ de Israëlis statu sub Messia loquuntur, nomine *Israëlis* gentes, cum quibus Israël est permixtus & coaluit, intelligi: quia amplius à gentibus separari nequit. Quin & quandoque appellatione *Juda* non tantum Judæi, sed & gentes in Christum credentes intelliguntur: Et denominationis hujus ratio minime est obscura: Ecclesia prima ab Apostolis collecta fuit ex Judæis: ad illam Ecclesiam gentes ad fidem Christi conversæ congregatæ sunt, atque ita Judæorum accessio factæ: ac proinde sicut redeuntes è decem tribuum dispersione ex Assyria in Canaan tribui Judæ sunt inserti, & amisso Israëlitarum nomine Iudæi sunt appellati; ita qui ex gentibus fidem Christo præstiterunt, Iudæ fideli sunt inserti, tanquam rami insititii, & verus ac spiritualis coram Deo sunt Israël; excisis inde infidelibus, licet secundum carnem ex Abrahamo oriundis. Atque ita apparet, quomodo Prophetia *Jerem.* XXIII, 6. de salute Iudæ & Israëlis in Christo complementum suum habeat.

CAPUT III.

Hanc dispersionem non esse continuationem Captivitatis Babylonicæ.

Quod *tribum Judam & Benjamin* attinet, contendit Vir Doctiss. *eas in hunc usque diem ex captivitate Babylonica nondum esse liberatas: verum præsentem hanc dispersionem continuationem esse captivitatis Babylonicæ.* Animus non est prolixius repetere, quod in secunda quæstione de sensu loci *Deut.* xxx. fusius disputatum est: Dico nunc, nulla cum specie dici posse, Judæos ex captivitate Babylonica non esse olim liberatos, etiamsi verum esset plures Babylone mansisse, & in Judæam redire noluisse. Per Cyrum enim omnibus plena redeundi potestas concessa est, *Esd.* 1. 3. *Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso: Adscendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israël*, &c. Atqui quando captivo carcer aperitur & libera egrediendi potestas datur, jam captivitas soluta est, etiamsi ille in carcere manere malit; non enim tum ut captivus, sed ut incola, qui eum sibi ultro in domicilium eligit, considerari debet. Judæi ergo quicunque post edictum illud Cyri promulgatum remanserunt Babylone, non captivi, sed inquilini illius censendi sunt. Deinde, licet in initio non omnis populus redierit, sed tantum quadraginta mille trecenti; successu tamen temporis, cum audierunt templum reædificatum, urbem mœnibus cinctam, res Judæorum aliquatenus restauratas, & tutiorem jam esse habitationem, plures, imo totus populus rediit, adeo ut terra Canaan denuo incolis repleta fuerit; ita quidem, ut Servatoris nostri tempore populosissima fuerit illa regio: quod vel Josephi testimonio comprobatur; qui in ultima urbis obsidione ultra undecim centena millia interiisse scribit: quibus si addantur, qui in aliis civitatibus & circumjacente regione interierunt, & in captivitatem abducti, aut quaquaversum dispersi sunt, innumerabilem conficient multitudinem. Hos aut à quadraginta illis millibus progenitos dicendum; At si tantæ fuere illorum calamitates, uti Vir Doct. contendit, & historia testatur, quomodo fieri potuit, ut in tantum excreverint numerum? Aut agnoscendum, constructa jam civitate & templo plurimos sensim rediisse, & ex decem tribubus similiter multos reversos, qui omnes Judæ accessio facti sunt. Quod ego contendo. Et id confirmat Josephus, qui *lib.* XI. *cap.* 4. *Antiq. Judaicarum* in secundo è Babylone egressu multitudinem immensam, quæ fidem superet, nim: quater mille millia & sexcenta viginti octo millia, duntaxat ex tribu Juda & Benjamin, rediisse scribit.

Hæc dispersio non est captivitatis Babylonicæ continuatio.

Ut opinionem hanc suam adstruat Vir Doct. dicit, *Judæos, etsi redeundi facultas ipsis concessa esset, scivisse eam non esse universalem redemtionem, in Lege promissam, nec perfectam à Prophetis prædictam; ideoque suam captivitatem per multa sæcula duraturam non dubitasse.* Verum si redeundi facultas concessa sit, quo jure dicuntur ex captivitate

Olim nesciebant Judæi suam captivitatem per multa sæcula duraturam.

tate non liberati? Qui extra patriam sponte manere vult, se exulem dicere nequit. Gratis autem & sine ulla probatione dicitur, quod sciverint suam captivitatem per multa sæcula duraturam; nullum enim ejus nec in Scriptura, nec in antiqua historia vel minimum indicium est: Imo omnia contraria occurrunt. Daniel *cap.* IX. dicit se *cognovisse ex scriptis Jeremiæ, annos captivitatis esse septuaginta:* itaque Deum serio orat, ut quando illi erunt elapsi populi misereatur, & eum in libertatem restituat; nulla diuturnæ hujus captivitatis mentione facta. An credibile est, Danielem adeo ardenter imploraturum misericordiam divinam ob liberationem adeo imperfectam, à Prophetis neutiquam prædictam, nec in Lege promissam, ex captivitate LXX. tantum annorum; nullam autem facturum fuisse mentionem durationis illius captivitatis generalis, in qua maximam populi partem mansuram sciebat per tot sæcula, neque Deum oraturum, ut eam mitiget, & populi misereatur? Dicet forte Vir Doctiss. Danielem tamen ex Angeli revelatione prædicere Hierosolymorum & templi excidium in fine capitis. Ita est: sed non tanquam præsentis, in qua vivebat, captivitatis continuationem; sed tanquam supplicium ingratis erga beneficia divina, ac præsertim Messiam, infligendum.

Crediderunt liberationem à Babylone esse promissam Deut. XXX.

Addit Vir Doct. *non credidere hanc esse universalem illam redemtionem, in Lege & Prophetis promissam, perfectam, admirabilem & nunquam amplius, neque Israëlis peccatis, neque hominum potentia, convellendam, quæ nempe per Messiam efficienda prædicitur.* Sane quidem non hoc crediderunt; attamen crediderunt illam esse, quam Deus populo resipiscenti *Deut.* XXX. promisit, uti jam ostendi. Verum quid ex eo infert? *Ideoque* ait, *hanc quam patimur captivitatem, & quam eandem tunc patiebantur, per multa sæcula duraturam nec dubitabant.* Mira collectio: Quoniam non fuit ingens illa ac perfecta per Messiam peragenda liberatio, ideo crediderunt quod captivitas, ex qua ostendi eos jam fuisse liberatos, esset futura diuturna. Si colligeret; Ergo crediderunt hanc liberationem non esse tam perfectam neque immutabilem, quin nova contumaciâ iram divinam in se provocare, & in miseriorem rursus statum recidere possent, recte colligeret. Idque etiam impletum est. *Quod Deus tempus illud, quo secundum templum stetit, Judæis concesserit, si forte à contumacia resipiscerent, ut ita Scriptura de universali Israëlis redemtione implerentur*, cum sententia Viri Doctiss. de gratia Dei efficace conciliari nequit. Sed vero, & hæc responsio confirmat, Judæos ex captivitate sua liberatos, & libertatis illud tempus ipsis concessum, ut interim resipiscerent ab impietate sua.

Vere ex captivitate Babylonica fuerunt liberati.

At *Esdras dicit*, *Cap.* IX. 8. *Deus nobis dedit restitutionem aliquantulam in servitute nostra.* Resp. Esdras non dicit, populum in servitute mansisse, sed restitutum: fuit autem illa restitutio, præsertim in initio, si conferatur cum fælice illo statu quo Judæi sub regibus suis floruerunt, admodum exigua & vere deploranda: Nondum enim civitates erant restauratæ; agri exculti, sed omnia misere desolata jacebant ac vastata. Sed exinde non sequitur, quod toto illo spatio, usque ad secundi templi excidium, fuerit tantum aliqualis restitutio. Verum est, non rediisse fælicia illa Davidis & Salomonis tempora, & Judæos à vicinis valde fuisse infestatos, à regibus Syriæ & Ægypti, tempore præsertim Antiochi, graviter afflictos: sed ipse Vir Doctiss. ait, *eos qui redierunt non minus perversos fuisse quam antecedentes:* Quid mirum itaque, quod flagellum

gellum divinum senserint? Deus illis afflictionibus animos eorum ab amore patriæ terrestris, in qua tot patiebantur incommoda, abstrahere, & ad cælum cælestiaque attollere voluit, ut ita præparatiores essent ad Messiam, cujus adventus instabat, recipiendum. Interim licet status ipsorum, si cum priore conferatur, non tam splendidus, imo subinde afflictus fuerit; nullatenus tamen cum statu captivitatis extra patriam conferri meretur: & quandoque quietior fuit ac pacatior, nonnunquam etiam satis prosper, præsertim post expulsum Antiochum, & res Judæorum administrantibus Machabæis. Si quis illud vocet tempus afflictionis, maxime vero captivitatis, næ is quid sit captivitas ignorat. Concludo ergo, populum ex captivitate sua in terram Canaan fuisse vere restitutum, ac proinde dispersionem, in qua nunc vivunt Judæi, non incepisse quingentis ante natum Christum annis.

In ea liberatione impletum est promissum Deut. xxx.

Quod tandem addit Vir Doctiss. *ult. cap. Chronic. dici, hanc visitationem à Deo concessam, ut adimpleretur Jeremiæ prophetia, non vero, ut verbum Dei in Deut. & aliis Prophetis promissum adimpleretur*, vix refutatione dignum est. Si enim hæc facta sunt, ut Prophetia Jeremiæ impleretur, vere liberati sunt Judæi: quia Jeremias expresse prædixit, captivitatis durationem futuram tantum septuaginta annorum, & iis elapsis, Deum eos reducturum: *Cap.* XXIX. 10. non ergo nisi per captivitatis finem & Judæorum reductionem impleri potest. Quod vero in libro *Chronic.* mentio nulla fiat, promissi divini *Deut.* XXX. sed solius Jeremiæ, ideo est, quod in *Deut.* Deus in genere minetur captivitatem, nulla durationis illius facta mentione: per Jeremiam autem propius eam intra septuaginta annorum spatium determinaverit. Non itaque nominatur Jeremias ad exclusionem Deuteronomii, sed ad illius elucidationem; & unum idemque utriusque esse promissum, seu de eadem liberatione, ex verbis Nehemiæ & Danielis ostendi.

CAPUT IV.

Collatio inter peccata quæ Judæi ante captivitatem Babylonicam commiserunt, & ea quæ postea commiserunt, & adhuc committunt.

Idololatria à Judæis non potuit commissa per ignorantiam.

Pergit nunc Vir Doctiss. & ostendere conatur, licet Israël ante captivitatem Babylonicam fuerit idololatra, post eam vero ab idololatria abstinuerit, quod tamen post eam, vel in ea, gravius peccaverit: quoniam, *licet idololatria in se spectata gravius quidem crimen sit quam alia peccata, tamen per ignorantiam eam commiserint, nescientes se contra Dei præceptum peccare: illa autem crimen valde imminuat: alia autem peccata ac scelera commiserunt ex malitia, & scientes se Legem divinam transgredi.* Miror sane, quomodo Vir Doct. Israëli, & præsertim Judæ, cui Deus se tam manifeste revelaverat, cui concredita erat Lex Mosis, omnem idololatriam, additis severissimis commina-

minationibus, prohibens, adscribere possit ignorantiam circa cultus sui objectum? Nonne Deus sæpe adeo in Lege mandat, *ne alienos Deos colant?* Est id primum in decalogo præceptum. Quin & *Deut.* XIII. jubetur quicunque Propheta, etiamsi aliquod signum quod dedit evenerit, si apostasiam à vero Deo, & alienorum Deorum cultum suadeat, mox interfici. Quæ hic ignorantia locum habere potest? Aut si quædam sit, ea non nisi carnali alicui affectui, divinæ legi contrario, ortum suum debet, qua homo sibi blandiri, & contra manifestum Dei mandatum persuadere cupit, non esse à Deo vetitum, quod clare in Lege prohibitum exstat: aut cui adeo perdite deditus est, ut nulla præcepti divini reverentia ducatur, sed ut ei indulgeat, Deum ejusque legem contemtui habet. Tales fuere, qui Jeremiæ dicebant in extremis captivitatis laboribus, quod *à temporibus quo regina cœli libare desierant tales iis evenerant ærumnæ:* Non erant illi ignorantes veri Dei ejusque legis, uti eos excusare conatur Vir Doct. sed erant homines summe impii ac scelerati, qui ne castigatione quidem divina ullatenus emendabantur; sed qui impie & obstinate Jeremiæ, mandatum Dei ad ipsos deferenti, respondebant, *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli,* &c. Idque ut gratificarentur uxoribus suis idololatricis. Si hic Vir Doct. possit admittere præcepti divini ignorantiam, nullum erit peccatum, quocunque animo commissum, quin ex ignorantia profectum dicere possit. Aut si velit ignorantiam hic habere locum, dicam eam esse affectatam, atque ita culpabilem, ut minime excuset, aut peccati fœditatem minuat. Eodem modo ego colligere possem, ignorantiam Israëlem impulisse ut vitulum aureum in deserto coleret, *Exod.* XXXII. quia exultantes dicunt, *Ecce Israël, hi sunt Dii tui qui te eduxerunt ex Ægypto:* Idque peccatum excusabo Viri Doctiss. verbis: *fallebantur miseri, tribuentes Deo, qui ipsos ex Ægypto eduxerat, ideam vituli:* quam crassam ignorantiam Vir Doct. eis adscribere non dubitat, *Quæst. III. Num. VIII. pag.* 110. Interim peccatum istud adeo grave fuit, Deumque adeo offendit, ut & hodie Judæi dicant, *nullam sibi accidere ultionem, in qua non sit vel uncia de iniquitate vituli.* Quando Deus per Prophetas populum variorum criminum arguit, & captivitatem minatur, ordinarie primum & præcipuum inter illa est idololatria. Imo *Ezech.* XVI. Deus Judam coarguens impietatis, maxime ejus idololatriam exaggerat, dicitque ipsum suâ idololatriâ pejorem esse Samariâ non tantum, sed & Sodomâ. Quin & Deus per Prophetam Esaiam eos tam serio, tam aperte præmonuerat, *Cap.* XLVIII. 4, 5. *Annuntiavi tibi quæ ventura erant in te, ne quando diceas, idola mea fecerunt ea, & sculptilia conflatiliaque mea præceperunt ea.* Qua ergo specie dici potest, populum eam per ignorantiam commisisse? In illis, qui à Jerobeamo seducti sunt, & ex ejusmodi parentibus prognati illi cultui idololatrico assuescere cœperunt, aliqua ignorantiæ species locum habere posset: quatenus illi crediderunt, se à Mosis Lege non recedere, quoniam eundem quem Moses coli præscribit Deum adorabant: Verum crebra Prophetarum à Deo ad ipsos missorum reprehensio, qui cultum illum ut apostasiam à vero Deo damnabant, valde ignorantiam illam minuit: At nulla ignorantiæ species prætexi potest peccato illorum, qui idola gentium, quorum cultum divina Mosis lex disertis verbis damnat, adorabant. Simili modo ignorantia, licet crassior, aliquatenus Pontificiorum idololatriam excusat; quia verum Deum colunt,

lunt ; & quicquid colant in veri Dei honorem tendere credunt : Alia foret ratio , si falsos Ethnicorum Deos in Lege ac Evangelio expresse damnatos , colere præsumerent: Nulla enim illo in casu ignorantia obtendi , aut si quæ obtenderetur , crimen ipsorum excusare posset.

Finis castigationis divinæ.

Deum gravi hac captivitatis castigatione populum suum cohibere voluisse , ne idololatria denuo se pollueret , dubitandum non est : Verum *Deum intendisse , populum in hac quam prævidebat diuturna dispersione conservare , ne ullatenus cum gentibus* (jam ad verum Deum ejusque Messiam conversis) *commisceretur* , gratis absque ulla probatione ac fundamento dicitur. E contra ex antedictis & mox dicendis liquet , Deum voluisse , ut post Messiæ adventum populorum discrimen , utpote propter Messiam solummodo introductum , aboleretur , ex omnibus unus rursus coalesceret populus & Ecclesia , & una eademque inter omnes vigeret veri Dei notitia & cultus. Atque ita tota ista Ecclesia , ex Iudæis & gentibus simul collecta , ex castigatione illa severâ Israëlis per LXX annorum captivitatem , non minus quam Iudæi ante Messiæ adventum , exemplum capere potest horrendæ Dei iræ in idololatras ac pertinaciter impios , quo sibi à crimine ejusmodi sollicite caveat.

Non ego adscribo Judæis sanctitatem

Post hæc Vir Doct. prolixum instituit discursum , quo probet , *Judæos post reditum à captivitate Babylonica , stante secundo templo , & præsertim post ejus eversionem , non se servasse puros ab idololatriâ* ; ut ita causam hujus diuturnæ captivitatis speciosam proferre possit. Illud autem probare contendit statu Iudæorum *temporibus Antiochi , quibus multi Judæorum idololatriam commiserunt , & sibi præputium denuo inducere conabantur : accessere Theologi , qui suis distinctionibus probarent , talem cultum non esse contra legem Dei : nunc vero nostro tempore plures metu persecutionum ad idololatriam Papisticam deficiunt , præsertim in Hispania , & ob bona temporalia Christianissimum simulant , cum animo sint Judæi.* Quod ne temere dicere videatur Vir Doctiss. se ipsum nominat , *qui toties Baali genua flexerit.* Unde colligit , *Israëlem non esse adeo sanctum , uti à me depingitur.* Ego vero nusquam in toto meo scripto hodierno Israëli sanctitatem adscripsi , neque adhuc Judæorum impietatis ac idololatriæ patronus esse volo. Conclusi ego argumento hypothetico ; Si Iudæi jure D. Jesum Christum rejecerint , soli sunt hodie in terra veri gloriæ ac veritatis divinæ assertores ac patroni. Atqui ego nego antecedens , ideoque concludo ac concludere debeo , quod non sint gloriæ divinæ patroni , sed illius inimici ac conculcatores. Vir Doctiss. autem cum omnibus Iudæis sentit , se jure Dominum nostrum Iesum Christum rejicere : ac proinde concludere debet , gentem suam solam esse , quæ sincere gloriam ac veritatem divinam asserat ac tueatur. Est ergo argumentum , ut vocant , ad hominem , ex principiis Iudæorum desumtum , unde consequentia qua urgeantur deducitur.

Judæi sibi adscribunt , quod soli sint gloriæ Dei vindices,

Mens itaque mea est , quoniam Iudæi credunt se jure D. Iesum rejicere , quod concludere debeant , se hodie solos esse in terra veros gloriæ ac veritatis divinæ assertores ac patronos. Quam etiam consequentiam Vir Doct. paulo post admittit , & legitimam agnoscit. Inde ipsos porro urgeo. Quodnam sit illud peccatum , quod Deus benignus ob tam constantem (quam nempe sibi adscribunt Iudæi) Legis suæ adhæsionem , tam diuturno exilio , quin & tot afflictionibus & calamitatibus , quas nonnunquam tam à Mahomethanis quam à quibusdam Christianis , perverso zelo contra religionis suæ

Mm 2 genium

genium in eos sævientibus, misere perpessi sunt, testatam, fidis suis cultoribus non esset condonaturus? Videt Vir Doctiss. me semper argumentari non ex sententia mea, sed Judæorum, ipsosque suo principio premere. Dicunt nim: Judæi, uti & Vir Doct. ob peccata sua se pati hanc dispersionem adeo diuturnam: Interim sibi adscribunt zelum adeo eximium ac constantem pro Lege ac gloria Dei: Ego inde infero: Si in illis sit iste zelus pro Lege, ut soli in terra tam eximii sint gloriæ divinæ in mediis adversitatibus patroni; quod nec promissa quæ in Lege exstant, nec misericordia divina, quam passim Deus in Scriptura testatur, & erga populum suum ostendit, permittat, ut nulla zeli tam eximii habita ratione populum ob alia peccata tam plene negligat, & sine ulla consolatione, ullo alloquio prophetico in tam diuturnâ ac miserabili dispersione tabescere sinat: sed potius requirat, ut alia, quæ committunt peccata, ob virtutem adeo eximiam & vere heroicam, gratiose condonet, & dispersioni ac captivitati finem imponat: cum ob majora peccata, eadem nimirum quæ nunc committunt, & insuper idololatriam, peccatum maxime horrendum, & cui nullum æquiparari potest, tantum LXX annorum captivitate majores ipsorum puniverit, & interim Prophetas ad ipsos miserit, qui instantis liberationis promissione ipsorum animos in captivitate erexerunt.

Multi Christum profitentur, cum animo sint Judæi.

Vir Doctiss. hic se pressum sentiens, dicit, *Judæos non se ita ab idololatria servare impollutos*, prout ego sentio. Sane quæ Vir Doctiss. hic, & ad *Quæsitum secundum Num. V. pag.* 89. de Judæis & eorum improbitate prolixe refert, omnia credo vera esse. Credo plurimos eorum in Hispania Christum ore profiteri, cum eum animo execrentur: Credo Monachorum quorumcunque cœnobia in Hispania istiusmodi sceleratis hominibus esse repleta. Iam id indicavit Erasmus suo tempore: & qui apologias ejus contra Ioannem Lapidem Stunicam & Sanctium Caranzam attente legit, facile cognoscet, duos hosce impudentissimos ac malignissimos Erasmi adversarios ab ipso haberi Iudæos, fidem Christianam externe tantum simulantes. Operæ pretium est hac occasione paucis testimoniis id confirmare: ut inde veritas dictorum Viri Doct. constet, omnibusque illucescat, zelotas illos igneos, qui maximum ostentant zelum, & ferro ac igne sæviunt in quoscunque, etiam absurdissimis suis commentis vel minimum contradicentes, non esse sinceros Christianos, nec Christi gloriam Euangeliique promotionem spectare; sed plurimos eorum esse occultos Iudæos, homines desperate impios, ac fortasse, ut Vir Doct. recte observat, plane atheos, qui in Christi contumeliam absurdissima commenta insanis clamoribus proferunt, & cruentissimis suppliciis, ne quis contra hiscere audeat, recipi cogunt, ut, quoniam quem animo execrantur Christum palam negare non audent, occultiore via probro afficiant, hoc est, mentita zeli pro gloria Christi specie tecti, doctrinam Christianam absurdis commentis ac fabulis ridiculam faciant. Erasmus itaque *Apolog. ad Stunicam in Matth.* I. *annot.* v. *tom.* IX. *pag.* 245. non occulte indicat, Stunicam à se credi Iudæum. *Suspicatur Stunica me hoc ideo dixisse, quod Hieronymus hoc dicturus, ita præfatur*: Et ut risum præbeamus Iudæis: *Hinc colligit me non intellexisse verba Hieronymi, colligit errorem meum ac tumultuariam lectionem. Sed quid ego vicissim ex his Stunica verbis colligam, in præsentia non eloquar.* Et in *Matth.* VIII. *annot.* II. *pag.* 249. *Nescio quid suspicionis mihi parit, quod Stunica tam impense favet Hebræis, ut his omnia velit deberi, cum res nihil tale postulet.* Et in

Luc.

Luc. XXIII. *pag.* 258. *Cæterum quod argutatur, quibus elementis scribatur Hebraice nomen Jesu, quando ad me non pertinet, neque nunc vacat in his multum otii ponere, aliis Iudæorum amicis excutiendum relinquo.* In I. *Corinth.* VII. *annot.* II. *pag.* 276. *Nos certe verecundius vertimus, ne adsciscat præputium: Stunica in hoc rerum genere me peritior docet nos*, &c. Porro in *Ephes.* V. *pag.* 283. *Si sapiat Stunica, posthac se continebit intra pelliculam suam.* Verum est, Erasmum hæc verba explicare, *id est, intra lexica & adnotationes quinquagenarias.* Verum quicunque vel leviter in Erasmi scriptis versatus est, ejusque elegantias & argutias considerat, satis videt, Erasmum voce *pellicula* non designare lexica, sed Stunicæ Iudaismum tacite exprobrare voluisse. Verum apertius loquitur in *Apologia ad Sanctium Caranzam pag.* 352, 353. *Age, omissis hujusmodi contentionibus, ceu bellis civilibus, hæreticos pariter aggrediamur. Ego pro mea virili retundam istos, qui nimium hærent Euangelicis literis, ac plus satis abhorrent à Judaismo. Stunica & Sanctius adortantur diversum hæreticorum genus, quod jam se nimium miscuit segeti dominicæ. Magis enim ac magis invalescunt Iudæi quidam, sesqui-Iudæi & semi-Iudæi, qui mixti nobis titulum habent Christi, cum Mosen totum habeant in pectore.*

Mutemus, *inquiunt*, clypeos, Danaumque insignia nobis Aptemus.

Hac viâ gravius lædunt rem Christianam, & plus est quæstus ex calumnia, quam ex usuris. Hos nemo melius profligabit, quam Lopis & Sanctius. Et *pag.* 355. *Nec me latet, qui gubernent histriones hujus fabulæ: Pharisaicum genus est, & Ebionitarum reliquiæ. Satis sit Iudæis, quod semel occiderint Christum, quod nihil ab ipsis intentatum sit relictum, ne revivisceret. Obsignatum est monumentum, adhibiti sunt custodes: sed ille victor elusit illorum maliciosa consilia. Christus non amplius moritur, sed jam sedens in cælo deridet istos, & subsannat stulta molimina, nihil profectura nisi ad ipsorum perniciem.* Si forte contra Stunicam tectius sit locutus, hic aperte profert quod sentit: quæ si conferantur cum iis, quæ subinde inspergit *Apologia adversus articulos aliquot, per Monachos quosdam in Hispaniis exhibitos*, evidenter constabit, eos generatim, saltem plurimos eorum, occulti Judaismi ab Erasmo insimulari. Ita quippe in alloquio ad Alfonsum Manricum Archiepiscopum Hispalensem, *pag.* 829. de iis scribit: *Si mihi cum Judæis res esset, quemadmodum Paulo fuit, si cum hæreticis aut paganis conflictatio, ut parta victoria piis omnibus læta, non nisi impios vel læderet, vel sanaret. Nunc adversus hos agere cogor, qui se profitentur Christianæ religionis columina, quos ut optimos esse decet, ita pro optimis haberi conveniebat, quorum alterum illis adesse vehementer optarim, alterum haudquaquam inviderem, siquidem per ipsos liceat. Sunt enim, ut accipio, qui hæc movent, non Judæi, non hæretici, non schismatici, non pagani; sed Trinitarii, Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Augustinenses, Benedictini, jam olim gratiosa apud omnes orbis nationes nomina.* Et in ipsa apologia *pag.* 848. *Cuperem in sacris Literis Christum vel sexcenties appellatum verum Deum, quamquam hoc nobis non minus persuasum est, quam si sexies millies dictum esset. Utinam æque persuasum esset Iudæis omnibus?* Non sine causa Erasmus contra Hispanos scribens mentionem facit Judæorum, qualia in aliis ejus Apologiis non legas, quæ tacita Judaismi inter ipsos vigentis exprobratio sunt. Quare cum sibi rem cum Judæis esse negat, ironia aculeata eos quammaxime Judæos esse affirmat. Possem plura in hanc rem ex Erasmo testimonia congerere, verum hæc sufficiunt ad comprobandum, Hispaniam pessimis ejusmodi

ac sceleratissimis hominibus scatere, qui omni ejurata religione Christianam simulant, ejusque acerrimi zelotæ videri cupiunt, cum interim eam animo detestentur, & putidis ac ineptis commentis cuique cordato ridiculam faciant: Hac ratione vicem se rependere credunt malis Christianis, quorum sævitia coacti fuere, ut ejurato Iudaismo Christum inviti profiterentur: & quam ipsi perpessi sunt tyrannidem, nunc in alios, qui commenta ipsorum non adorant, vicissim exercent.

Totus Judæorum populus nunc se non polluit idololatria.

Hæc quando considero, dubium mihi nullum est, quin omnia quæ Vir Doct. de Iudæorum improbitate scribit sint verissima: sed nihil ea officiunt argumento meo. Quia quando Iudæos ab idololatriæ crimine immunes pronuntio, ego totum populum seu Iudæorum universitatem respicio; prout olim ante captivitatem Babylonicam totus populus, Rex, & primores, se criminis illius reos fecerunt, paucis tantum piis, qui in computum venire nequeunt, exceptis. Quam autem nunc committunt idololatriam Iudæi quamvis excusari minime queat, alterius aliquomodo generis est, & non proprie illa quam lex directe & in terminis vetat quando idola gentium condemnat: & licet non esset idololatria, sed genuinus ac sincerus Dei cultus, tamen quia contra conscientiæ dictamen à Iudæis præstatur, gravissime est culpandus: & præterea particularium peccatum est, non integri populi: Non ergo justitia divina permittit, ut particularium quorundam peccatum integer populus luat, nec ut Iudæorum Hispanorum crimen Germanis, Italis, aut Hollandis imputetur. Quæro ego, quodnam sit populi totius crimen idololatria gravius, ob quod integer populus in diutina hac captivitate detineatur.

Nec fuit idololatra cum Titus everteret urbem.

Sed demus tamen, Israëlem jam esse idololatricum, quod tamen alibi Vir Doctiss. disertis verbis negat, uti paulo ante vidimus *Quæst. III. Num. II. pag. 97.* Quibus adde *Quæst. III. Num. XIV. pag. 126. Sine idololatria; & non erat minima istius status circumstantia, sed potissima, quod populus ita dispersus — ab idololatria abstineret — à cultu idololatrico non immundatus. — Præsens Israëlis status, in quo nec idololatriam committit*; &c. Adeo ut de statu hodierno Israëlis directe pugnantia scribat: Verum, ut dixi, demus Israëlem esse jam idololatricum, & quod hæc sufficiens causa sit, ac ingens illud Deoque exosum peccatum, propter quod hac, in qua jam est, quamque plus mille sexcentis annis passus est, dispersione puniatur: Quodnam fuit peccatum, propter quod à Tito fuit direpta Iudæa, templum & urbs solo æquata, & Respublica penitus eversa, populusque universus in captivitatem abductus; cum eo tempore, & quatuor ad minimum post sæcula, minima quæ unquam in gente Iudæa idololatriæ suspicio, & maximus pro Lege Mosaica fuerit zelus? An Deus contra promissa, contra morem suum, populum suum dilectum tam insigni (cui parem in tota ejus historiâ non reperimus,) ruinâ castigavit & obruit, cum nulla erat publica à lege sua defectio, nulla nationis apostasia, nullum eximium crimen rebellionis toti genti imputandum? Si enim tollat Vir Doct. Messiæ rejectionem, nullum reperiet, nullum assignare poterit. Quod enim Vir Doct. dicit, hanc Romanam captivitatem esse Babylonicæ continuationem, ridiculum est; uti paulo ante vidimus. Iure merito igitur quæro, quodnam illud sit totius gentis peccatum, propter quod in tam diutina captivitate detineatur?

CA-

CAPUT V.

Refelluntur, quas Judæi credunt, hujus captivitatis causæ.

Peccata olim à populo commissa hodierno imputari nequeunt.

VIr Doct. quoniam tale nullum peccatum reperire potest, quia D. Iesum jure à populo suo rejici credit, ad vulgatum Iudæorum effugium recurrit, quod *respublica semper sit una ac eadem; & propterea quod peccata olim a populo commissa totius populi sint peccata, ac proinde hodierno populo omnia præcedentia crimina jure imputentur.* Hoc autem asserere non sufficit, verum aliqua Dei sive comminatione, sive declaratione probandum foret. Nihil horum Vir Doct. adducit. Contraria autem omnia tam in Lege, quam in Prophetis, occurrunt. Nusquam in Lege Deus comminatur, se peccata, à populo sæculis præcedentibus commissa, puniturum in eorum posteris, multis demum post sæculis exstituris: Per Eschielem autem *Cap.* XVIII. hanc Iudæorum criminationem, qui se ob parentum peccata puniri querebantur, vulgato isto proverbio, quod *patres uvam acerbam comederint, filiorum autem dentes obstupuerint*, Deus acriter refellit, docens, *unumquemque portaturum propriam iniquitatem: filium non portaturum iniquitatem patris, nec patrem iniquitatem filii.* Adeo ut hac criminatione nihil sit iniquius, & Deo magis injurium. Promisit enim Deus populo resipiscenti remissionem, & secundum fidem suam, promissis illis datam, in testimonium remissionis & reconciliationis populum è captivitate Babylonica, idololatriæ illius oblitum, reduxit, & in populum numerosum & florentem, qualis erat (ut probavi) tempore Jesu Christi, evexit. Non nego quidem, populum posterioris ævi eundem quidem esse populum, cum eo, qui prioribus exstitit ævis: Inde tamen minime sequitur, peccata olim à populo commissa, jure imputari eidem populo posterioribus ævis viventi: Licet enim unus ac idem sit populus, non tamen simul exsistit, nec ex iisdem individuis constat: & sicut actiones præcedentis populi, non sunt sequentis actiones; ita nec præcedentis populi culpa, sequentis culpa est, nec sequenti jure imputari potest. Certum quidem est, si populus, vestigiis parentum insistens, ab impietate non desistat, sed, licet à Deo monitus & paterne castigatus, in pejus quotidie proficiat, parentum peccata causam esse, quod ira Dei aut citius, aut gravius, exardescat contra posteros nequam: Non tamen illi pœnam impietatis parentum suorum, sed suæ tantum, luunt: Quia nec citius, nec gravius à Deo puniuntur, quam propria ipsorum peccata merentur: Parentum autem peccata, quorum vestigia filii premunt, causa sunt, quod Deus, omnia gratiæ suæ dona irrita, & desperatam esse populi improbitatem videns, longanimitatem suam, qua alias forte usus fuisset, abrumpat, & iram in populum tam proterve ac diu rebellem effundat; non tamen ultra meritum peccatorum, ab iis ipsis qui puniuntur commissorum. Hoc exigit æquitas divina; estque consentaneum comminationibus Dei in Lege, ejusque expostulationi, quam ex Eschiele adduximus.

In

Hoc esset summe injustum.

In sententia autem Viri Doctiss. summa iniquitas est. Si enim, quia unus idemque populus est, peccata olim à populo commissa hodierno populo jure imputentur: Quæram ab alterâ parte, an non & similiter obedientia ac resipiscentia præcedentis populi eorum posteris imputetur? Non video ullam discriminis rationem. Nam sicut *peccata olim à populo commissa sunt totius populi peccata*, hoc fundamento, *quod Respublica semper sit una ac eadem*; ex eodem fundamento vicissim concludere licet, obedientiam ac pietatem olim à populo præstitam totius populi esse obedientiam & pietatem; tam enim populus olim pius idem fuit cum hodierno populo, quam olim peccator & impius. Hoc si agnoscit Vir Doct. ulterius quæro: Si parentum virtus major sit, quam posterorum peccata, (loquor ex hypothesi Viri Doctiss.) an posterorum, quibus parentum major virtus imputatur, peccata propter illam majorem parentum virtutem impunita dimitti debeant? Ab altera parte: Si filii impia parentum vestigia deserentes toto animo se ad Deum convertant, & pietati studeant, legemque Dei omnibus viribus observent, ita tamen, ut ipsorum obedientia, quantacunque sit, nondum tamen possit æquare parentum impietatem, quam ipsis jure imputari Vir Doctiss. asserit; An filii obedientes ac pii jure puniantur propter majora illa Patrum suorum peccata, quæ detestantur? & quousque hæc filiorum punitio durare debeat? an, donec ipsorum resipiscentia superet magnitudinem peccatorum à patribus commissorum? Jure hoc urgeo: Quia communis, multorum saltem, Judæorum opinio est, oportere ut Judæi hanc præsentem calamitatem sustineant, donec pro suis ac parentum suorum, seu totius populi per omnia quibus substitit secula considerati, peccatis satisfecerint. Quicquid hic Vir Doct. respondeat, pressum se sentiet, & tam nocentes propter suorum parentum virtutes impunitos dimitti debere, quam pios propter impiorum parentum crimina jure puniri, affirmare cogetur: Quod utrumque summe injustum est.

Similitudo Viri Doct. exponditur, & rectius applicatur.

Quare & similitudo, quam Vir Doctiss. desumit à civitate rebelli, nihil ad rem facit. Secundum suam enim & communem Judæorum opinionem aliter longe se res habet cum Judæorum populo: Licet enim variorum peccatorum populum reum agnoscat, immunem tamen eum credit (loquor de integro populo, non de aliquot particularibus in populo) ab idololatria, per quam proprie Deus abnegatur; è contra valde tenacem Legis Mosaicæ, & ceremoniarum inibi mandatarum ad superstitionem usque observantem: tum &, in rejectione Jesu Christi summe constantem, quia fidem in Christum apostasiam à Lege credit: & licet varia propterea patiatur, tamen à Legis Mosaicæ professione nunquam recedentem. Quare ut tali Judæorum statui similitudo hæc quadret, hoc modo proponenda foret. Si rex rebelli civitati humaniter rebellionem, qua ipso rejecto ad hostem ejus juratum defecit, aliquoties remisit: eadem illa civitas alia quidem crimina, & gravia satis, contra legem ejus committit; non tamen se legi ac regimini ejus subducit, quin imo, licet ex civitate illa aliquis exurgat, qui apostasiam à Rege illo suadeat (cogor ita loqui ex mente Judæorum, quia illi credunt, Dominum nostrum J. Christum apostasiam à vero Deo & lege Mosis docuisse) & non tantum aliqui in illa civitate illius suasioni aurem præbeant, sed & omnes vicini avide eam imbibant, civitatem illam ad similem apostasiam allicere studeant, quin &, quia secum consentire non vult, sed regis sui imperio unice se subjectam cupit, variis cladibus afficiant, quas tamen illa amore regis sui ac reverentia legis ipsius alacri perferre animo mavult, quam

à rege

à rege deficere; dicemusne regem illum recte cum civitate illa agere, si neglecto fideli illo ac constanti erga ipsum ipsiusque legem obsequio, ad minora illa delicta respiciat, & populo illi, sibi adeo fideli, parentum, qui ipso derelicto ad juratum ipsius hostem olim defecerunt, peccata imputet, omniumque eorum pœnam ab ipso exigat? Dicemusne hoc consentaneum esse clementiæ, mansuetudini, ac paterno amori, quo rex erga populum suum fertur? Talis autem est, juxta communem Judæorum opinionem, conditio Judæorum hodierna.

Nulla posse esse hujus punitionis utilitas.

Et quam utilitatem, quæso, Vir Doct. in tali punitione reperire potest? An emendationem populi? At quæ emendatio sperari potest, quando posteri, peccatores quidem, sed Deo tamen ejusque legi constanter adhærentes, parentum suorum idololatrarum & à Deo ejusque lege deficientium peccata luere tenentur? Luunt peccatorum, quæ non commiserunt, pœnam: & licet Deum timeant, & à peccatis suis resipiscant, à pœna liberari nequeunt, donec pro parentum suorum peccatis satisfecerint; quibus luendis quot sæculorum pœnæ sufficiant incerti sunt; ac proinde nec spem, quâ solâ resipiscentia ab homine suscipitur, concipere possunt certam ac indubitatam, quod ne quidem per exactissimam ac perfectissimam obedientiam liberationis promissæ participes sint futuri; sed ea non obstante, incerti semper hærere debent, an unquam pro parentum peccatis Deo satisfacere possint. Quod quomodo cum promissis divinis, Deïque fidelitate, justitia, mansuetudine, ac amore, quo Deum se prosequi Judæi semper gloriantur, conciliari queat, ego non video.

Responsio ad aliam exceptionem.

Rursus aliud effugium quærit Vir Doct. nempe, *quod non sint Judæi adeo abjecti, quin aliquando non invideant ipsi Christiani sortem suam: quod negotiis variorum regum ac principum tractandis adhibeantur.* Quæ vera agnosco: verum illa est privatorum fælicitas; sed populus ut corpus unum consideratus est extorris ubique, proprio non gaudens regimine, sed alieno imperio subjectus, sine potestate, sine autoritate, & tanquam peregrinus dispersus & oberrans per totum terrarum orbem. Sed, inquit, *debuit, juxta Dei prædictionem, captivitas hæc multis sæculis durare; quia dispergi debuimus ab uno ad alterum terræ extremum: quod unica totius populi transmigratione fieri non potuit, sed sensim & per multos annos fieri debuit.* Verum ego antea fusius ostendi, omnia comminationibus divinis (ad quas Vir Doct. respicit) comprehensa exacte in captivitate Babylonica fuisse impleta, & nullo modo tempora præsentia respicere; quibus verbum addere si vellem, actum agerem.

Discrimen inter judicia in populum integrum, & in privatos in populo.

Tandem Vir Doct. in hoc argumento repugnantiam quandam quærit, qua adversetur alteri Christianorum contra Judæos argumento. Sed frustra. *Mirari se sæpe*, ait, *quando Judæi exspectant Messiam terrenum, quod Christiani eos vocent carnales, qui ad spiritualia animum erigere nequeunt: Quando vero ipsis objiciunt captivitatem, Judæos miseros dicant, eo quod sine Rege & Repub. vivant in mundo.* Verum nullam hic video repugnantiam. Videtur nempe Vir Doct. existimare, Christianos, quando Judæis objiciunt captivitatem, tanquam pœnam rejectionis Messiæ, contendere velle, siquidem Messiam agnoscant, quod à captivitate liberati rursus sint restituendi in regnum suum; & quod hac ratione carnalem fore Iudæorum liberationem ipsi urgeant, cum tamen Judæos reprehendant tanquam carnales, quod ejusmodi liberationem per Messiam exspectent. Verum longe fallitur Vir Doctiss. alia mens & alius scopus est hujus argumenta-

 menta-

mentationis. Contendunt Christiani, dispersionem adeo gravem ac diuturnam populi Judaici, signum esse iræ divinæ contra integrum populum: sicuti & cujuscunque populi excidium iræ divinæ contra illum signum esse agnoscunt. Licet enim fieri possit, in populo qui exscinditur aliquos superesse pios, qui communi cum aliis excidio involvuntur, quos ex ira à Deo puniri & tanquam exosos abjici dicere nequeamus, quoniam ob pietatem suam Deo grati sunt; tamen manifestum erga totum populum iræ divinæ indicium est, quod integrum populum exscindat, ne piis quidem in eo degentibus exceptis. Alia quippe, uti Vir Doct. ipse agnoscit, ratio est integri populi, alia privatorum in populo. Et privati singuli, & integri populi à Deo judicantur; sed diversa ratione, ac diverso sæpe tempore. Judicium de singulis Deus proprie exercebit in futuro sæculo, quando unusquisque Deo pro se redditurus est rationem: tunc nemo ob aliena peccata affligetur, aut alienæ virtutis præmio honorabitur. Judicium de integris populis Deus exercet in hac vita; in hac enim vita universitas populorum locum habet; in futura vita coram Deo non comparebunt, ut populi universitas, sed singuli pro se. Contingere autem potest, ut in populo impio, & quem ob impietatem Deus excidio destinavit, pauci aliquot sint pii, Deo ob pietatem suam grati. Non potest Deus integrum populum exscindere, nisi & hi pii, qui pars sunt populi, exscindantur. Affliguntur igitur, non puniuntur, ob peccata impii populi, & communi quo populus exscinditur excidio eos Deus involvit, ad demonstrationem justitiæ ac iræ suæ contra integrum populum contumaciter rebellem; interim erga pios istos in particulari iram suam non demonstrat: eos sibi habet gratos & amicos; & quia miseria sua Deo in hoc sæculo inservierunt ut justæ suæ vindictæ instrumenta, in futuro sæculo hanc eorum afflictionem excellentiore gloria est coronaturus.

Excidium populi Judaici est propter peccatum totius populi.

Inde jam liquet, nullum populum exscindi, nisi ex ira divina, & ob graviora peccata, quibus hanc in se Dei iram provocavit. Cum ergo tam miserabile sit populi Judaici excidium, & tam diuturnum, collegi, eximiam quandam populi Judaici impietatem illius excidii debere esse causam: Et ex Viro Doctiss. quæsivi, quodnam istud peccatum sit, idololatria gravius, cujus tota gens Judæorum rea sit, & à quo nullam per tot sæcula pænitentiam egit? Hic Judæi, qui peccatum quo tenentur, rejectionem vid. Messiæ, agnoscere nolunt, nihil quod reponant habent, & cum Viro Doctiss. frustra se torquent, ut aliquod tale reperire possint.

Non tamen sequitur, restituendos in terram suam, si credant.

Licet autem contendamus, captivitatis hujus causam esse rejectionem Messiæ; non tamen propterea terrenum Judæis proponimus redemtorem, quasi, si Christum recipiant, regnum & Hierosolyma ipsis, ut fælicitas proprie per Messiam conferenda, certo sint restituenda. Non enim hæc præcipua per Messiam conferenda fælicitas est, sed regnum cælorum: Nec certum est, quid Deus in hac vita Judæis largiturus fuisset, aut etiamnum, si ab infidelitate sua convertantur, largiri velit. Hoc affirmare possumus, tale, quale Judæi exspectant, regnum ipsi à Deo destinatum neutiquam esse: somniant quippe regnum, in quo populorum discrimen sit minime abolendum, in quo Judæi omnium gentium victores gloriose aliis imperent, in quo non tantum singulæ tribus in priores terræ Canaan possessiones, sed & templum & totus cultus Leviticus sit restituendus: Quod universali illi Ecclesiæ Dei ex omnibus absque discrimine populis collectioni, & spirituali cultui (cujus ceremonialis typus & umbra fuit) universali illi Ecclesiæ accom-

accommodato, adversum est. Immunes autem erunt à misera illa dispersione, in qua tanquam peregrini & inter omnes gentes abjecti vivunt; & reliquis gentibus permixti, æqualibus cum illis privilegiis gaudebunt, &, quod summum est, per Messiam participes erunt futuri regni ipsius in futuro sæculo. Quamdiu autem eum rejiciunt, & populus separatus manere volunt, iram ejus sustinere, & miseram hanc servitutem ferre coguntur.

Recapitulatio totius mei argumenti.

Ut tandem argumento huic finem imponam, ità colligo: Siquidem Judæi rectè Dominum Jesum rejiciunt, soli sunt veri Dei cultores in terra, & soli sincerum Dei cultum, non obstantibus tot adversitatibus, & gravissimis, quam nonnunquam à spuriis sustinent Christianis, aliisque in quorum ditionibus vivunt, persecutionibus, constanter profitentur. Antecedens statuunt Judæi: unde ut & consequentiam admittant, necesse est: Sicuti & Vir Doctiss. consequentiam meam admittit. De eo ergo inter nos convenit, quod Judæi credant, se esse solos genuinos veri Dei cultores in mundo. Inde ego porro concludo, non, uti me Vir Doct. concludentem fingit; *Ergo debent à Deo salvari, & eorum dispersio non amplius protrahi inter gentes*: Absit ut ego Deo agendi limites præscribam: Sed, oportet ergo ut universus populus Judaicus (non solummodo particulares aliquot in populo) reus teneatur gravissimi alicujus criminis, quod Deus non obstante tam constanti legis suæ amore, tot perpessionibus & ærumnis testatæ, per tot sæcula, tam graviter vindicare vult. Deus in Lege populo, si à se deficiat, captivitatem minatus est: si vero resipiscat, promittit restitutionem. Consentaneè huic comminationi ac promisso olim Deus ob idololatriam, non per ignorantiam (uti Vir Doct. ad populi sui excusationem peccatum hoc extenuare cupit) sed contra expressam Mosis legem & crebra Prophetarum monita, ac proinde & contra conscientiæ dictamen crebro ac diu sine ulla resipiscentia ab integro populo (licet forte pauci quidam pii, ne hic Vir Doct. cavilletur, ab eo se impollutos servaverint) commissam, populum septuaginta annorum captivitate punivit; & in ea captivitate per Prophetas populum allocutus, &, siquidem resipiscant, futuræ liberationis spe consolatus est; & elapsis septuaginta annis populo redeundi & templum reædificandi facultatem concessit. Nunc autem plus quam sexdecim sæculis populum in captivitate miseriore detinet, per totum orbem terrarum misere dispersum; nullum ad ipsum Prophetam mittit, qui futuræ liberationis spe populum erigat, aut de favore divino certum reddat; sed omnia iræ signa contra ipsum ostendit. Inde ego colligo, oportere ut integer populus (non aliqui in populo) reus sit criminis cujusdam execrandi, ob quod Deus populum, ab idololatria se, etiam in media sua afflictione, sollicite servantem immunem, multis vicibus gravius punit, quam olim populum idololatram punire sustinuit. Quæro etiamnum, ut Vir Doctiss. postquam omnia accurate circumspexit quæ in populo suo geruntur, tale nefandum crimen, quod publicum totius populi crimen sit, indicet. Non est hoc conjecturale argumentum, sed ex ipsis Dei comminationibus ac promissionibus, totaque divinæ providentiæ circa populum Israëlis administratione desumtum. Sane postquam diu se torserit, non poterit Vir Doctiss. aliud totius suæ gentis crimen reperire, præter execrandam Messiæ, à Deo ipsis gratiose missi, cædem: Quam Judæi etiam hodie approbant, & tanquam bonum factum laudant. Cum autem Vir Doct. utpote Judæus, hoc crimen non agnoscat, non mirum ipsum, qui veram calamitatis hujus causam agnoscere non

 vult;

vult, per incertas conjecturas oberrare, & nullam reperire posse in quâ acquiescat.

Ut autem tanto validius hæc Viri Doct. doctrina evertatur, hoc unum conclusionis loco addam: Quod ea falsa hac Iudæorum hypothesi nitatur, Messiæ adventum differri ob peccata populi; ideoque non fore ex hac dispersione per Messiam liberandos Iudæos, donec condignam peccatis suis pœnitentiam egerint: quod etiam Vir Doct. expresse hic docet. Atqui antea ostendi, certum adventui Messiæ tempus à Deo fuisse præfinitum, ac maxime conspicuas temporis illius, intra quod ejus adventum Deus determinavit, circumstantias expressas, antequam nempe sceptrum à Iuda esset ablatum, & stante adhuc secundo templo: Quod jam ultra sexdecim sæcula effluxum est. Adde: quod omnia Dei promissa de Messiæ adventu sint absoluta; nec ullam possunt Iudæi proferre, cui conditio illa resipiscentiæ, quam posterioribus sæculis excogitaverunt, sit annexa. Imo tantum abest, ut Deus eam promissionibus suis annexam voluerit, ut è contra Messias prædicatur adventurus statu populi corruptissimo, & populum tam eximie peccatorem reducturus ad resipiscentiam. Videantur solummodo (ut alia nunc præteream) duo illustria loca, *Jerem.* XXXI. 31, 32, 33, 34. & *Sachar.* XIII. 1, 2. Quin & Vir Doct. passim in hoc suo scripto inculcat, Deum tempore Messiæ lapideum cor ablaturum, ac cor carneum Israëli daturum: &c. Quæ omnia doctrinam hanc solidissime convellunt.

CAPUT VI.

Potuisse Messiam, etiamsi ad populi salutem veniat, rejici.

Casus quem proposui non intellectus à Viro Doct.

VIr Doct. continuo urget in suis scriptis, siquidem Iudæi Messiam rejicere possint, & ob rejectionem illam à Deo essent puniendi, necesse fuisse ut Deus id Israëlem præmonuerit. Respondi ego: Hoc non necesse fuisse, sufficere ut Deus Messiam mittat, & per illum inobedientibus pœnam denuntiet. Vir Doct. agnoscit, sufficere Messiæ promissionem, & exinde argumentum ducit, in quo se triumphare credit: *Siquidem*, inquit, *non egebat aliqua suasione, ut reciperetur is, qui in summam Israëlis felicitatem promittebatur.* Ut argumenti illius imbecillitatem ostenderem, dixi id verum esse, quando Messias veniens fælicitatem actu ipso confert, licet aliam quam homo exspectaverat. Non autem, quando promittit fælicitatem futuram, mediumque illam consequendi est cultus carnalis hominis inclinationi adversus. Id probavi proposito casu aliquo qui nunquam exstitit, nec exstiturus est: Si D. Iesus cum cælesti gloria venisset, omnesque Iudæos in cælum, coram oculis suis apertum, introducere paratus esset, plurimosque ipsum prompte recipientes coram aliorum oculis in cælum assumsisset, gloriaque cælesti vestitos ostendisset, dubium minime est, quin omnes Iudæi, licet nunquam de cælesti illa gloria cogitassent, sed regnum in terra gloriosum exspectassent,

ctassent, unanimes nemine excepto eum pro Rege & Messia promisso recepissent; neque necesse fuisset id ipsis præcipere, &c. Vir Doct. responsione sua ostendit se argumenti mei vim non intellexisse, & dum ei aliquid opponere videri vult, revera concedit & confirmat quod ego argumentatione meâ intendi. Putat me proposita hac conditionata argumentatione voluisse inferre contra Iudæos, quod eum recipere teneantur, quia si hoc contigisset, eum recepissent: Quæ fuisset ridicula argumentatio: Inde est quod contrarium casum fingit; *Si forte qualem Judæi exspectant Messias venisset, qui regnum terrenum restituisset, non armis sed sola Dei opera, qui cultum Leviticum & templum restituisset; Deusque pro quovis Judæo liberando in omnibus mundi regionibus miracula & prodigia fecisset majora quam in Ægypto*, & quæ plura recenset; *an non omnes Christiani crederent, illum verum esse Messiam?* Quasi nempe isto casu meum casum evertisset. Respondeo ego, omnino agnovissent Christiani illum esse Messiam, & Deus istiusmodi directione palam omnibus ostendisset, hunc esse Prophetiarum suarum sensum, & præsenti isto bono ac invictissimis miraculis omnes in Messiæ talis fidem traxisset.

Verum isto casu non evertitur, sed confirmatur argumentatio mea: Quod fælicitas quæ præsens est, ab homine contemni nequit; quia id quod coram videt negare, nec bonum quod ei fruendum offertur repudiare potest: Quia fælicitas amore sui homines trahit, & cum præsens est, tam potenter hominis appetitum allicit, ut refragari non possit. Confirmat ergo hoc suo casu Vir Doctiss. argumentationem meam: Uti & responsione sequente ad posteriorem argumentationis meæ partem, quod fælicitas quæ promittitur futura (addidi ego (quod Vir Doct. omittit) & medium illam consequendi est cultus carnali hominis inclinationi adversus) contemni potest; quoniam rari sunt homines, qui spem, etsi maximam, pretio velint emere, & per vitam miseram ad futuram fælicitatem contendere; ideoque persuadere sibi nolunt, vitam desiderio suo adversam, viam esse ac medium ad fælicitatem, olim obtinendam, perveniendi. Cum ergo hanc illationem Vir Doct. concedat, totum meum argumentum, & quicquid eô intendi, concedit. *Sua responsione totum argumentum confirmat.*

Solummodo hinc aliquid inferre conatur contra vitæ æternæ ac cœlestis promissi, quo religio Christiana homines ad Messiæ obsequium excitat, fidem; *quia futuras cœlestes fælicitates promittere, quas aliquando verificare hominibus est impossibile, facile quidem est, sed non creditu facile.* Fateor; & si nihil ad tanti promissi confirmationem, quod persuadendi vim habet, additum fuisset, frustra fides rei omnem ferme fidem superantis postularetur. At Deus non tantum variis ac divinissimis miraculis hanc Christi Filii sui doctrinam confirmavit, sed &, ad majorem fidei confirmationem, in ipso Christo vivum dedit promissi hujus exemplum, quem ex mortuis tertiâ die resuscitatum, post quadraginta dierum decursum, quibus se aliquoties redivivum coram discipulis suis ostendit, inspectantibus duodecim Apostolis, in cælum assumsit, gloria ac fælicitate immortali coronavit, & potestatem dedit omnes in se credentes eadem coronandi; & in illius potestatis fidem Spiritum S. decimo post adscensionem suam die juxta promissum suum in Apostolos effudit. Sine ejusmodi confirmatione frustra discipulis vitæ æternæ ac cælestis post mortem demum adipiscendæ promissum proposuisset. *Promissum vitæ æternæ confirmatum est exemplo J. Christi.*

Potest etiam sperari fælicitas terrena, per molestias acquirenda.

Sed & idem locum habiturum esset, si compareret Messias Judæos in terram promissam denuo introducturus, qualem Judæi exspectant, si modo unico momento virtute Dei insuperabili & miraculosa omnia non effecta redderet; sed, prout Judæi credunt, variis bellis, addo ego, per molestias gravissimosque labores, ab omnibus qui regni ipsius privilegiis gaudere cupiunt exantlandos, populum in terræ Canaan possessionem reducturus esset: Quia enim fælicitatem, quam sperant, præsentem non essent conspecturi, & per varios labores & discrimina ad eam deberent contendere, facile delicatiori vitæ generi assueti, aut qui sunt animi effæminatioris, laborem istum detrectare, & promissam in terra Canaan fælicitatem molestiis & laboribus, propter ipsam suscipiendis, postponere possent. Perinde atque populus Israel olim in deserto, audita exploratorum relatione, de magnitudine & robore incolarum Canaan, animo concidit, neque adscendere voluit, ut terram illam occuparet, *Num.* XIV. Adeo manifestum est, fælicitatem præsentem nullâ indigere suasione ut eam homines amplectantur, sed ipsâ ejus dulcedine homines sponte allici: absentem vero, ac non nisi variis molestiis acquirendam, qualiscunque ea sit, sive terrena, sive cælestis, magnis indigere suasionibus & documentis, ut ad constantem ejus amorem & prosecutionem homines permoveantur.

Respectu futuræ possessionis eadem est ratio fælicitatis terrenæ ac cælestis.

Si dicat Vir Doctiss. posse tamen fælicitatem terrenam aliquando hominibus in hac vita exhiberi, atque ita opere ipso promissi veritatem comprobari: non autem id dici posse de fælicitate cælesti & æterna, quæ post hanc vitam demum locum habitura dicitur: Resp. Quandiu adhuc fælicitas exspectatur, eadem respectu exspectantium ratio est: nam dum adhuc ut futura exspectatur, ut præsens apprehendi nequit; sed fides eam ut futuram apprehendens necessario inniti debet certitudini promissorum, & documentis quibus illa innititur; sive fælicitas illa consideretur terrena, sive cælestis. Si dicat Vir Doct. tandem fælicitatem terrenam in hac vita fore præsentem. Regeram, etiam tandem fælicitatem cælestem in futura vita fore præsentem. Si dicat: In hac tamen vita eam nunquam conspiciendam. Fateor: sed hæc vita, respectu fælicitatis cælestis, comparari debet cum tempore quo adhuc decertandum & laborandum est, ut regnum terrenum & fælicitas obtineatur: quamdiu certamen & molestia illa suscipitur, fælicitas terrena etiam præsens non est, nec videri potest. Possessio fælicitatis terrenæ, quæ omnem de ea dubitationem possibilem cessare facit, comparari debet cum possessione fælicitatis cælestis in futura vita, quæ etiam non permittet ut aliquis, ne quidem damnati ipsi, de ea, & glorioso Christi regno, dubitare queant. Si excipiat Vir Doctiss. quod ea certitudo, quam ex conspectu habent, damnatis fælicitate illa exclusis profutura non sit. Concedam; quoniam affirmanti Deo per Christum, & affirmationem suam evidentissimis signis, ac præsertim exemplo Christi ex morte resuscitati, & cælesti illa gloria coronati, confirmanti, fidem habere recusarunt, & medium fælicitatem cælestem consequendi, à Deo propositum, amplecti noluerunt. Sed idem ego respondere possum de illis, qui laborum & periculorum molestia deterriti Messiam ducem sequi nolent, ut cum eo terram Canaan profligatis gentibus occupent, sed eum aut abnegaturi sunt, aut saltem non agnituri; quod postea, quando omnia effecta videbunt, & Judæos restitutos, regem Messiam in solio Davidis magnifice imperantem, uti Judæi sibi persuadent, frustra sint regem agnituri, quem regnare videbunt; & quod

talis

talis agnitio ipsis non magis possit esse salutaris, quam propositum illud intempestivum ac serum Israëlitarum in deserto, qui, postquam Deus ob rebellionem ac incredulitatem ipsorum in irâ sua juraverat, quod non esset eos in requiem suam introducturus, frustra adscendere voluerunt & terram Canaan occupare: sed omnes, Josua & Caleb solis exceptis, in deserto mori debuerunt.

Addidi: Si Christus vitam cælestem Judæis promisisset, simulque regnum terrenum, q, qua-le exspectant, exhibuisset, quod ipsum amplexi fuissent. Agnoscit id Vir Doct. sed ægre fert, quod addam, *si religionem carni non ingratam, & carnali ipsorum exspectationi minime repugnantem exegisset, quod ipsum rejecturi non fuissent*: Unde colligit, *me credere, quod Judæi carni gratam religionem vel habuerint, vel desiderent*: Et hac occasione plura dicit *de perfectione Legis Mosaicæ*, contenditque eam *non esse carnalem, aut ullius peccati permittere commissionem; sed esse spiritualem, quin & perfectiorem Euangelio.* De comparatione Legis cum Euangelio ad Quæstionem Quartam prolixius dicendum erit: Nunc, quantum ad institutum nostrum hoc loco attinet, paucis dico. Me nihil quicquam dixisse contra legem divinam, quam absit, ut quis Christianus reprehendat, aut vituperet, aut desideriis carnalibus frænum laxare dicat; sed locutus sum contra pravos Judæorum, à legis divinæ observatione deficientium, mores ac desideria: Judæos dixi carnales, & desideriis carnalibus totos immersos. Et quæso, quo jure id Vir Doctiss. negare potest, qui toto hoc suo scripto contendit, Judæos ob peccata sua & legis transgressionem à Deo in captivitatem traditos, & quia impietatis paternæ vestigia premunt, neque peccatorum pœnitentia ducuntur, tot sæculis in captivitate detineri? Quis jure ægre feret, tales homines à me vocari carnales? Ostendunt sane, se desideriis carnis, non reverentia legis divinæ duci. Addo aliud: Contendit Vir Doct. quod *Judæi ex Lege exspectent vitam æternam*: Addit nihilominus, quod *simul exspectent felicitatem terrenam.* Atqui hoc est quod ego contendo; Non, quod nulla vitæ melioris spe ducantur (quamquam & hoc de Sadducæis, secta inter Judæos, merito dixerim) sed, quod viam ad vitam æternam quærant, desideriis suis carnalibus non adversam; nimirum, felicitatem terrenam, quæ carnalibus desideriis maxime arridet, cum vita æterna conjunctam volunt: ideoque religioni dediti sunt, in qua cum vita æterna etiam felicitatem terrenam exspectent. Alieni autem sunt ab ejusmodi religione, quæ mundi hujus bona abnegare, & crucem ac afflictiones pro consequenda salute æterna ultro suscipere jubet. Hinc est, quod non sponte Judæi crudeles pro Lege mortes patiantur; sed inviti; non quia se Judæos profitentur; sed quia, licet pertinacissime negent, Judæi esse convincuntur, aut tormentis, ut se Judæos fateantur, adiguntur: & quia mortem legis abnegatione evadere non possunt; libenter legem abnegaturi, siquidem abnegatione sua vitam redimere possent. Tales à me homines carnales vocari, & inidoneos, qui se in sanctissimæ Jesu Christi doctrinæ, quæ opes, uxorem, liberos, parentes, quin & vitam ipsam, sinceræ nominis Christi professioni postponere jubet, disciplinam tradant, quis jure ægre ferat? Imo etiamnum contendo, hunc carnalem affectum olim, & etiamnum hodie, populum Judæorum penitus occupasse, illumque præcipuam esse remoram, quod Dominum nostrum Jesum Christum agnoscere recusent.

Carnalis Judæorum affectus impedit fidem in J. Christum.

CAPUT VII.

Quis in redemtione, quam Iudæi credunt; sit futurus status oriundi è Iudæis, qui Christo nomen dedit.

De statu progenitorum ex Judæis in Christum credentibus sub regno Messiæ quem Judæi exspectant.

QUoniam Vir Doctiss. continuo contendit, *omnia, quæ nos in Euangelio impleta legimus, debuisse ad literam olim esse specialiter prædicta*; atque hoc fundamento exigit, *ut assignetur locus, in quo Deus dixerit, quod Israël propter infidelitatem in Messiam esset deperdendus*, &c. ego, ut fortius ostenderem, injuria tales locos à Christianis exigi, sed sufficere, Deum Israëli Messiam promisisse: exinde enim manifestum esse, voluisse Deum, ut quando veniret reciperetur; ac proinde neminem, qui eum agnoscere recusset, beneficiorum ipsius fore participem; Quæstionem hanc alia quæstione confutavi. Quæsivi, quid futurum sit sub Messiæ regno ex genere Judaico oriundis, quorum parentes jam olim in Jesum Christum crediderunt; quique parentum suorum vestigiis insistentes, etiam in Christum credunt, nec amplius originis suæ secundum carnem ex Abrahamo memores sunt? Vir Doctiss. hac quæstione se constrictum videns, & quæstionem suam elusam, multis modis directam ad eam responsionem declinat. Primo ait, *tales puniendos, non quia Messia, sed Deo immorigeri sunt.* Verum ego ostendi, hoc debere obtinere, sive Messias sit rex terrenus, sive cælestis. Sed quæro, ubi talis in Scriptura exstet locus: Quicunque ex Judæis ortus, sed originis suæ carnalis ex Abrahamo immemor in Iesum Christum crediderit, & Messiam (quem nempe Judæi exspectant) non agnoverit, punietur, neque partem habebit in regno Messiæ. Si exstet talis locus, proferatur. Si non exstet, & Vir Doctiss. putet hoc deduci posse ratiocinatione, ex naturâ rei desumta, & ex verbis generalibus quæ alibi in Lege aut Prophetis exstant, idque in hac materia sufficere; Dico ego, idem debere sufficere Judæo, quando Christianus ex natura rei, & generalibus quæ in Lege aut Prophetis leguntur verbis, solide deducit, omnes, quicunque Messiam non recipiunt, sive Israëlita sit, sive extraneus, à beneficiis ipsius esse excludendos.

Ille non prædictum per Prophetam.

2. Dicit nunc Vir Doctiss. *tales nihil cum populo Israëlis habere commune: Si vero legem acceptaverit istiusmodi quis, erit peregrinus, ut descendentes per Ismaëlem ex Abrahamo, vel ex Isaaco per Esauum.* Sed quæro ego locum in Lege disertum, qui id dicat: Non hic sufficit assertio aut collectio Viri-Doct. sed qui omnia secundum literam ex Lege & Prophetis à Christianis probari cupit, eandem etiam sibi legem præfigere debet, & manifesta legis aut Prophetarum verba afferre: Aut si putet, sufficere collectione, ex iis quæ Scriptura dicit, uti contra Christianos, fateri debet, idem sufficere Christiano contra Judæum.

Addi-

Addiderat Vir Doctiss. *Pios ex gentibus, sive ex Israële oriundos, sive non, qui verum Deum coluerint, Israëlis mirabilem redemtionem adjuverint, &c. redemtionis beneficiorum fore participes.* Quæsivi ego, an iisdem cum Judæis privilegiis in regno Messiæ sint gavisuri; an vero Judæi eminentiore supra eos honoris gradu sint donandi? Respondet Vir Doct. cum distinctione: *Si honoris gradus intelligatur respectu gratiæ divinæ, non modo ex Judæis oriundus, sed quivis ex gentibus talem poterit Dei amorem habere, talem fidem, ut præ omnibus Judæis superiorem gratiæ gradum consequatur.* Quæro ego textum ex Lege aut Prophetis, qui id disertis verbis affirmet. Addit Vir Doctiss. *Si autem intelligatur de gradu honoris terreni, semper Israëlita in suo populo debent extraneos præcedere: quia ex præcepto divino neque reges, neque judices ex extraneis licet constituere: & illi, de quibus loquimur, gentibus commixti, sive Christiani sint, sive alterius sectæ, jam prorsus extranei reputantur, qui respectu Israëlis infimum locum obtinebunt:* quod aliquot versibus ex *cap.* LX. *Esaiæ* probare contendit. Verum illis in locis, etiamsi in rigore literæ sumantur, nihil aliud dicitur, quam quod extranei Judæis sint ministraturi: Non vero, quod ex Judæis oriundi, qui Christum amplexi fuerint, eodem cum extraneis censu sint habendi, &, licet origine Judæi sint, & alienos Deos non colant, quia tamen Christum ut Messiam recipiunt, eodem loco quo gentes habendi in regno Messiæ. Talem quæro locum; & jure quidem; quia quod Vir Doctiss. à Christianis exigit, lege talionis ab ipso jure exigere possum. Si Vir Doct. excipiat, posse hoc consentaneè iis quæ in Lege & Prophetis exstant, deduci; Idem dico, de Israële infideli, quod consentaneè iis quæ in Lege & Prophetis exstant, & tota rei natura ita exigente, concludatur, Israëlem propter infidelitatem in Messiam perdendum, & inter gentes dispergendum ut amplius non sit populus; & præsertim, à Messia damnandos, quotquot eum supra se regnare noluerunt. Sicut enim Messiæ regi terreno immorigeri, juxta Viri Doct. sententiam, non tantum læsæ majestatis humanæ crimen committent, sed & peccatum contra Deum; ita multo magis contra Messiam regem cælestem refractarii contra Deum peccant; & sic tanquam perduelles & læsæ majestatis divinæ rei gravissimo supplicio afficientur.

Not. alia, quæ de ipsorum sorte Vir. Doct. affirmat.

CAPUT VIII.

Prophetiam Deut. XVIII. *agere de Messia, & in Domino Iesu impletam esse.*

De Prophetia *Deut.* XVIII. 15. *& seqq.* ait Vir Doctiss. *se acquiescere explicationi Joannis Calvini, quam etiam me admittere dicit, quod Deus ibi non præcise loquatur de Messia, sed de Iosua & successuris Prophetis.* Verum non plene mentem meam exprimit. Agnosco ego, verba hæc non ad solum Messiam restringenda esse, sed & alios Prophetas iis comprehendi: attamen præcipue Messiam hic à Deo respici, quæque hic de Propheta illo enuntiantur, ejusmodi esse, quæ nulli alteri

Deut. XVIII. agit de Messia.

alteri Prophetæ convenire possunt, sed Messiæ soli propria sunt, qui omnium Prophetarum princeps futurus erat.

Messias est omnium Prophetarum Princeps.

Hic per parenthesin ait Vir Doctiss. quod *hoc ex sacra pagina nunquam probabitur.* Fateor in sacra pagina nusquam dici totidem verbis, *Messias omnium Prophetarum princeps est futurus.* Verum ea de ipso prædicuntur, quæ nulli nisi Prophetarum maximo ac principi competere possunt. Hoc loco, uti mox videbimus, dicitur Propheta *similis Mosi* futurus, id est, legislator. *Esa.* XLII. 1, 2, 3, 4. de ipso ita inquit Dominus: *Ecce servum meum, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet; in veritate educet judicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulæ exspectabunt.* Quibus verbis manifestum est agi de eo, qui lucem allaturus sit Judæis & gentibus: qui alius non est quam Messias: Quod recte agnovit Chaldæus Paraphrastes, qui hic Messiæ nomen addidit. Et *Cap.* LXI. 1, 2, *&c.* *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere,* &c. Quæ verba egregiam de Messia continere Prophetiam, & in D. Jesu suum habere complementum, ipse nos Dominus docuit *Luc.* IV. 18, 19, 20, 21. Regeret fortasse Vir Doct. hanc esse prophetiam de liberatione è captivitate Babylonica; ac proinde Prophetam hic aut loqui de se ipso, tanquam futuram hanc liberationem annuntiante; aut per prosopopœiam introducere ipsum illum liberatorem, cujus ministerio liberationem illam efficere Deus decreverat, de se ipso loquentem. Equidem negare nolim verba hæc primo ac literali sensu de liberatione è captivitate Babylonica, tanquam typo excellentioris liberationis per Christum, accipienda esse; attamen quæ hic de Propheta aut liberatore populi dicuntur, non nisi dilute & solummodo ut Christi typo olim in ipso impleta sunt: Quo ipso quasi manu ducimur ad sublimiorem eorum sensum, typo illo præfiguratum, qui in Christo secundum literam perfecte impletus est, agnoscendum. Non enim, nisi valde dilute, Propheta de se, aut de liberatore populi è captivitate, dicere potest, quod *Spiritu Sancto unctus*, hoc est, admodum copiose donatus, & quasi totus perfusus sit. Recte autem ac vere de Domino Jesu Christo hoc affirmatur, qui non tantum è Spiritu Sancto est conceptus, sed & in quem Spiritus Sanctus visibili specie descendit, *Matth.* III. & *Luc.* III. & potestatem à Patre accepit Spiritum Sanctum effundendi in Apostolos ac fideles, non solummodo ex Judæis, sed & ex gentibus: Uti passim in Actis & Epistolis Apostolicis legere est. Ne jam alia loca plura allegem. Merito ergo Messiam omnium Prophetarum principem dixi, & verba Mosis *Deut.* XVIII. illi, ut tali, soli propria esse affirmavi: Quod etiam argumentis aliquot ostendi, ad quæ Vir Doct. nihil respondet.

Ex meis verbis male infertur, hic non agi de Messia.

Solummodo hic excipit, *etsi id verum sit, non tamen ex generali præcepto Messiam audiendi, liquere, quod Deus fidem in Messiam, tanquam unicum ad salutem generis humani medium, commendaverit: & cum ego in scriptis meis totus sim in probando, quod non fuit necesse de tali fide Deum aliquando Israëlem admonuisse, me eo ipso clare fateri, ex illis verbis*

verbis id non nisi conjecturaliter elici posse. Verum à mente meæ responsionis plane aberravit Vir Doctiss. Non enim unquam negare intendi, Deum præcepisse, ut Israël Messiam, quando nomine Dei ad populum loqueretur, audiret; sed disputationem nostram, vitatis omnibus ambagibus, ad rei caput deducere volui, ut de summa rei disputemus: quemadmodum in secundo meo scripto, ad *Quæstionem tertiam*, plenius ostendi. Prævidebam enim, siquidem non consideratis argumentis, quibus religionis Christianæ veritas ac divinitas adstruitur, mox initium disputandi fiat à prophetiis, quæ Messiæ adventum prædicunt, prolixam & morosam exurgere cum Judæis disputationem: Ideoque prius adstructa Religionis Christianæ veritate, volui ostendere, quæcunque in Euangelio impleta sunt, etiam à Deo olim per Prophetas esse præsignificata, non quidem totidem verbis, sed tamen non ita involute, quin, licet ante impletionem obscuriora fuerint, omnibus per Messiam impletis, facile cognosci possit, Deum verbis illis, licet ulterius quandoque extendi posse non negem, vel præcipue illud intendisse, quod in Jesu Christo, vero Israëlis Messia, impletum esse historia Euangelii docet.

D. Jesus omnia sua refert ad Patrem autorem.

Inde ego porro conclusi, siquidem ea verba etiam de Messia, ut Dei Propheta, intelligenda sunt, & audiri præcipiatur in omnibus quæ præcepit Israëli; ipse autem fidem in se ut Dei legatum præceperit, omnino etiam in eo ex vi præcepti hujus audiendum esse. Excipit hic Vir Doctiss. *Populum teneri fidem præstare omnibus, quæ Propheta Dei nomine dixerit: Si vero in nomine Dei vel suo aliqua, quantumvis bona, dixerit, quæ Dominus non præcepit, est pseudo-propheta. Non potest igitur in seipsum quasi imperantem, quasi principale etiam agens, fidem exigere, neque in suo nomine præcipere populo, ut hæc vel illa credat, vel faciat: Quod si etiam addiderit, seu affectaverit Deitatem, vel cum Deo æqualitatem, Propheta nullam rationem induit, neque ut tali credere licet, cum ex servo se dominum fecerit, ex creatura creatorem, & verba sua prædicaverit, non à Deo jussa.* Quæ omnia, & quæ porro sequuntur, directe in Dominum nostrum Jesum Christum conjecta, quoniam & alibi loco non suo tractatui Viri Doctiss. sunt inserta, operæ pretium est hic semel & solide confutare. Quæro itaque à Viro Doct. ubi de D. Jesu in Euangelio legantur omnia illa, quæ ipse D. Jesu objicit? Non quæro, quid alibi, & forte apud Doctores Scholasticos, legerit; sed quid Euangelium de Domino Jesu dicat? Sane si absque præjudicio & odio Euangelium examinetur, semper reperiemus D. Jesum omnia quæ dixit & fecit Deo Patri ut autori & causæ principali adscribere, sese autem Dei vocare ministrum, omniaque ad Dei gloriam referre. Primo enim se à Patre suo expresse missum ait, *Ioan.* v. 24. vi. 38, 39, 40. x. 34, 35, 36. & alibi passim: Qui autem se missum fatetur, etiam mittentem agnoscit. Quin & miracula quæ fecit, non sibi adscribit, sed potestati sibi à Patre datæ: *Joan.* v. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Unde & eodem *cap. vers.* 19. dicit, quod *Filius non potest à se facere quicquam: & vers.* 26, 27. *Sicut Pater habet vitam in semet ipso; sic dedit & Filio habere vitam in semet ipso: & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Sic & doctrinam suam non sibi, sed Deo ut autori adscribit: *Ioan.* vii. 16, 17. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Sic & ipsa ejus precatio, quæ legi-

tur *Joan.* XVII. aliæque, evidentissimum sunt argumentum, quod omnia ad Patrem autorem referat. Cum caperetur, iis qui eum comprehendebant ait: *An putatis, quod non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* Matth. XXVI. 53. Quin & moriens oravit Patrem, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, Luc. XXIII. 46. E morte resuscitatus gloriam suam cælestem Deo Patri acceptam fert: *Matth.* XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Idem Apostoli dicunt: *Act.* II. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus S. accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis.* Et *vers.* 36. *Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis.* Et passim alibi, tam in Actis, quam Epistolis suis. Adeo ut & honor & gloria, Christo ut regi in cælis regnanti tributa, non in ipso terminari, sed ad Deum Patrem redundare dicatur, *Phil.* II. 11. *ut omnis lingua confiteatur Dominum Jesum ad gloriam Dei Patris.*

Fidem in se, terminari in Deum docet. Itaque in se dum exigit fidem, nusquam se Deum summum prædicat, sed Dei summi legatum, ac fidem sibi præstitam non in se terminari, sed ad Deum à quo missus est tendere, aperte profitetur, *Ioan.* XII. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Quæ verba Erasmus in sua Paraphrasi ita explicat: *Omnes profitemini vos credere Deo: atqui cum à Deo sim profectus, nec quicquam dicam aut faciam, nisi illo autore, quisquis mihi credit, non mihi credit, qui ex me nihil ago, sed ei, qui me misit in mundum.* Et Grotius in suis Annotationibus: *Non tam mihi quam Patri confidit, cujus legatus sum.* Perinde ut qui legato aut proregi, nomine regis quid mandanti, credit aut obedientiam præstat, non tam legato aut proregi, quam ipsi regi in cujus nomine loquitur, & à quo omnem habet autoritatem, credit & obedit. Eodem sensu Christus ait discipulis suis, *Luc.* X. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

Nusquam se opponit Deo. Unde quando Dominus præcepta sua inculcans, ait, *Ego autem dico vobis*, non se opponit Deo: absit. Non magis, quam Moses, quando dicit, *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo*: *Deut.* VI. 6. Et *cap.* XXX. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Sed solummodo sua præfert præceptis Mosis; hoc est, ait se Dei nomine nunc dicere, seu præcipere, etiam ab iis abstinendum, quæ Deus per Mosen ob duritiem cordis populi olim indulserat: non vetat à Mose mandatum, aut præcipit à Mose vetitum: sed à Mose solummodo permissum, & tanquam imperfectionem ob populi contumaciam aliquamdiu toleratum, severe prohibet: tum & à corruptelis Pharisæorum, qui suis traditionibus & explicationibus genuinum Legis scopum pervertebant, legem vindicat. Quid hic Deo adversum? Potestatem sane habet Deus, perinde uti Mosen misit, & prophetiæ dono illustravit, etiam alium, Mose longe excellentiorem, mittendi: Et, si Prophetam sicuti Mosen, quemadmodum hic promisit, missurus esset, omnino legislatorem, perinde ac Mosen, mittere oportuit: Non potuit autem post Mosen esse legislator, nisi legem Mosis lege perfectiorem nomine Dei annuntiaret; sive præceptis Mosis alia perfectiora addendo; sive à Mose involutius dicta, & ex verborum generalitate potius deducenda, quam directe præcepta, distincte, plene, & speciatim præcipiendo. Quando *in suo nomine* D. Jesus exigit quid fieri, aut homines ait salvandos, & miracula patranda, id semper eodem modo intelligi

debet

debet ; in suo nomine, tanquam Messiæ, regis ac Servatoris, à Deo constituti, quem Deus adeo gratum sibique dilectum habet, ut beneficia, quæ nunc hominibus daturus est, propter ipsum, & in ipsius gratiam solummodo dare velit ; ut ita homines in ipsius nomine à Deo omnia beneficia accipientes, etiam ipsum ut Messiam & Regem summum (Deo tamen subordinatum) in cælo & terra imperium obtinentem, agnoscant, & ab ipso omnia beneficia exspectent, & in nomine ipsius à Deo petant.

Ita corruunt omnia, quæ hic à Viro Doct. ex sensu Judæorum acriter satis contra D. Jesum dicta sunt. Quæ Vir Doctiss. addit, de duarum in Christo naturarum unione, ea huc non spectant : Quia objectum fidei Christianæ, cui salus æterna alligata est, non sunt ; nec usquam in Scriptura sub amittendæ salutis pœna credi jubentur : imo ipse Vir Doctiss. ait, *nec Christum, nec Apostolos, eam Theologiam Judaeos edocuisse.* Nos autem hic solummodo inquirimus, quid D. Jesus, ejusque Apostoli, credi ab hominibus ut salutem consequantur præceperint : quod quale sit, fusius ostendi *Quæst. I. Cap. IX. pag.* 218. Non quid posteriorum sæculorum homines autoritate humana definiverint ; quorum decreta fidei Christianæ regula non sunt, sed sola verba θεόπνευστα, quæ in Apostolorum scriptis reperiuntur. *Sola doctrina Apostolorum hic est considerand[a].*

CAPUT IX.

Doctrinam Iesu Christi non pugnare cum Lege Mosis.

HIsce ita præmissis, porro concludit Vir Doct. exacte doctrinam Prophetæ examinandam, an vera vel falsa sit : Illius examinis regulam esse legem Dei antea per Mosen revelatam : Si ab ea discedat, judicandum esse, quod sit pseudo-propheta, atque de medio tollendus. Quod probare intendit lege quæ exstat *Deut.* XIII. de falso Propheta. Sed quoniam à Christianis excipi novit, legem hanc latam contra falsos Prophetas, qui à vero Deo apostasiam suadent ; non ergo exinde argumentum posse duci contra J. Christum, qui eundem Deum Israëlis prædicavit, qui populum ex Ægypto eduxit, & Patriarchas per Mosen & Prophetas allocutus est ; quique Mosis legem & Prophetarum oracula ut divina veneratur ; cujus doctrina Mosis legem non evertit, sed perficit ; & qui in missionis suæ confirmationem miracula edidit Mosis miracula & numero & magnitudine longe excedentia ; etiam hanc Christianorum responsionem summis viribus evertere contendit, & ostendere, Dominum Jesum doctrina sua homines abduxisse à vero Deo Israëlis, ut colant Deum alienum. Ut hoc commodius, suo judicio, evincat, aliqua præsupponit. *D. Jesus non alium Deum quam Moses.*

Primo : *Quod intellectus humanus ob sui limitationem, & Dei infinitatem, perfectam Dei ideam habere nequeat ; ideoque non positive Dei essentiam concipiat, sed per negationes solum, & remotionem eorum, quæ Deo competere nequeunt. Israël itaque solum habuit verum* *Deo nihil tribuendum, quod de se removet.*

Dei ideam, talem nimirum qualem ipse Deus ei voluit revelare. Assentior Viro Doct. veram esse Dei ideam, quæ expressa est ad revelationem quam Deus de se fecit. At essentiam divinam à nobis non positive, sed per negationes tantum concipi, probare nequeo. Fateor, non habere nos perfectam Dei ideam, quæ plene & adæquate essentiam ipsius repræsentat, quoniam mens finita perfectam & adæquatam infiniti ideam efformare nequit: positivam tamen ut Dei ideam habeamus, necesse est. Quamdiu enim Deum solummodo concipimus per negationes, & remotionem eorum quæ Deo competere nequeunt, cognoscimus solummodo quid Deus non sit; at possem cognoscere quid Deus non sit, & tamen ignarus esse quid Deus sit. Verum quidem est, qui Deo quædam attribuit, quæ ipse in Scriptura à se removet, falsam de Deo habet ideam; interim nec veram habet, quousque Dei essentiam non positive, sed tantum negative concipit. Et cum Israël Deum cognovit æternum, infinitum, purum spiritum, an non positive ejus essentiam concepit? Verum hoc monuisse sufficit: Agnosco enim cum Viro Doct. ut vera de Deo habeatur idea, nihil Deo esse attribuendum, quod ipse à se removet.

Non quivis error introducit alienum Deum.

Alterum quod Vir Doct. præsupponit, aut ex hoc præsupposito deducit, est, quod *quicunque Deum sub alia idea, quam quæ ab ipso jam revelata fuit, credat, vel colere intendat, Deum alienum colat: quia non est alter modus, quo Deus alienus fit, nisi quod alio modo, & sub diversa idea cognoscatur, ac Deus seipsum voluit ut Israëlitæ cognoscerent.* Sane si id Vir Doct. eò usque extendere velit, ut si quis simplici errore mentis forte aliquod Dei attributum non recte perceperit, quoniam in quo illud præcise consistat Deus non clare revelavit, statim alienum Deum habere dicendus sit, non solum plebs Judaica, sed & Rabbinorum plurimi, quorum per omnia non sunt nec esse possunt de hisce consentientes opiniones, Deum alienum colere ab ipso arguentur; & ipse vicissim ab aliis ejusdem criminis reus pronuntiabitur. Limitetur ergo hac restrictione: Quod si quis Deo attribuat, quod Scriptura expresse à Deo removet, & naturæ divinæ repugnat, alium colere Deum dicatur.

Casus Viri Doct. impossibilis.

Addit Vir Doct. *Quamvis dicatur esse idem Deus Israëlis, æternus, omnipotens, qui eduxit populum de Ægypto, qui legem ex Sinaï promulgavit: hi sunt effectus & attributa veri Dei, tamen non vero Deo applicata.* Sed vero fingit hic Vir Doct. casum, qui existere non posse videtur: ut quis attributa & effectus veri Dei percipiat, & tamen vero Deo non applicet. Qui concipit spiritum æternum, omnipotentem, summe bonum, justum, &c. qui Israëlem ex Ægypto eduxit, & Legem è Sinaï promulgavit, verum cognoscit Deum, & sub vera idea, quam Israëli de se Deus dedit: Neque ideam illam alteri enti applicare potest. Objicit Vir Doct. quod *tamen Israëlitæ in deserto, & Jerobeam vitulis illam applicuerint Dei ideam, dicentes, Ecce Israël Deum tuum, qui te eduxit de terra Ægypti.* Certe non impios tantum, sed & extreme stupidos ac communi sensu destitutos necesse est ut fingat Vir Doct. majores suos, quod crediderint, vitulum post eductionem ex Ægypto ex auro à se congesto ab Aarone conflatum esse spiritum æternum, omnipotentem, qui ipsos ex Ægypto eduxerat. Quis, nisi fatuus, tantam ipsis fatuitatem adscribat? Ubi nunc est illa *quasi visio beatifica, quasi intuitiva notitia*, quam Vir Doct. & in hoc tertio scripto, *pag.* 138. & in secundo suo scripto *pag.* 7. tantopere extollit, illa *clara & indubitabilis revelatio Domini, ibid. pag.* 14. quæ Israëlem in tam pudendo stupore reliquit, ut crediderint vitulum ex

auro

auro conflatum esse Deum suum, qui ipsos eduxit de terra Ægypti? Et si talem de Deo ideam habuerunt, etiam post claram illam Dei in monte Sinai revelationem, ubi est infallibilis illa traditio à talibus patribus in posteros propagata? Si dicat: Patres suos non tamen in posteros propagasse, Deum esse vitulum; sed potius, se ob perversam illam de Deo opinionem graviter punitos, ac pœna illa emendatos ac sapientiores redditos, veram rursus de Deo fidem amplexos: Respondeo: Si credat patres suos, post intuitivam illam Dei in monte Sinaï revelationem in tantum stuporem (qui in hominem non posse cadere videtur) incidisse, ut crediderint Deum, qui ipsis locutus fuit, fuisse vitulum ex auro conflatum; Quæram, an post illam revelationem major ac illustrior ipsis obtigerit, ex qua certiorem ac evidentiorem de Deo adepti sint notitiam? Si hoc affirmare non possit, uti non potest: Quæro rursus, ubi est illa in suâ origine infallibilis traditio, à talibus patribus, qui ex levissima occasione, relicta vera Dei idea, tam putidam ac absurdam sibi effinxerunt, in posteros propagata? Non ergo crediderunt, vitulum illum esse ipsum Deum; sed eo verum Deum repræsentari, ac proinde cultu, quo vitulum venerabantur, Deum, quem eo repræsentatum volebant, honorari. Quia vero coram vitulo procumbebant, qui cultus religiosi actus est soli Deo debitus, à Deo censentur, non aliter ac si vitulum dicerent Deum: quoniam si vere eum Deum crederent, alio circa ipsum non occuparentur actu honoris. Quia itaque actus ille eò natura sua tendit, hinc eum Deus interpretatur, perinde ac si vitulum credidissent esse Deum. Perinde uti de Ethnicis, qui se coram idolis à se fabricatis incurvant, pronuntiatur, quod illis dicant, *Tu es pater meus*, *Ierem.* 11.26, 27. & *Esa.* XLIV.17. Quoniam, si crederent ea esse Patrem ac Deum suum, alium illis honorem non exhiberent; ideoque à Deo censentur ac si vere illis hoc dicerent. Supponit autem hic Vir Doct. casum impossibilem: *Si & de aliquo bruto homines assererent, quod esset Deus Israëlis, licet infinita in ejus confirmationem facerent miracula, non forent audiendi.* Creditne serio, in tam fatuæ assertionis confirmationem vel unum posse fieri verum miraculum? Cui itaque fini tam absurda propositio? Quæ ex Thoma, Scoto, aliisque Scholasticis addit, impia sunt, & ex impuris hominum ingenio suo abutentium lacunis hausta, & doctrinæ Christianæ directe adversantia. Quæ portentorum ac absurdorum inventoribus ac patronis relinquo: quos Erasmus docte pariter ac graviter castigat in eximia sua annotatione in 1. *Timoth.* 1.6.

Sed quò tandem tota hæc Viri Doct. machina tendit? Ut evincat, *Dominum Iesum Deum Israëlis sub idea, diversa ab ea quam Deus Israëli revelaverat, colendum proposuisse, ac proinde alienum docuisse Deum: Licet itaque plurimis doctrinam istam confirmaret miraculis, quod secundum legem Deut.* XIII. *jure lapidandus foret: siquidem jussit adorare hominem Deum, Deumque fecit visibilem, mensurabilem, & loco conclusum.* Hæc omnia sola negatione refutare sufficit. Nunquam probabit Vir Doct. hanc esse Christi doctrinam, in Euangelio traditam. Nusquam hoc Dominus Jesus de se affirmavit; nec fuit Ecclesiæ Christianæ doctrina, quod Deus sit homo, mensurabilis, loco conclusus. Si qui phrasibus quibusdam durioribus usi sunt, semper addidere, esse figuratam locutionem. Unicum, non Tertulliani, ut Vir Doct. credidit, quia in Tertulliani operibus exstat, sed Novatiani, testimonium, totius Ecclesiæ Christianæ doctrina non est. Sed vero, omittamus particulares doctorum opiniones, voces ac loquendi phrases in Scriptura nusquam usurpatas, quarum defensionem in me non suscipio; solius me profiteor Jesu Christi disci-

Non docuit D. Jesus alium Deum.

discipulum: Proferat ergo Vir Doct. Jesu Christi doctrinam, ob quam merito reus peragi possit, quod alienum docuerit Deum.

Sensus Joan. xiv. 9. Objicit Vir Doct. verba Domini *Joan.* XIV. 9. *Qui videt me, videt Patrem. Quod idem est, ac asserere, sub hominis idea Deum videri & adorari voluisse.* Sed quis non videt, hanc esse verborum Domini maxime innoxiorum manifestam detorsionem? Ostendit Dominus Jesus, quod verba quæ loquebatur Apostolis à seipso non loquatur, quia Pater in ipso est, nimirum per potentiam suam, cujus efficacia maxima faciebat miracula, quibus invicte demonstrabat, Patrem in ipso & per ipsum operari ac loqui. Unde recte infert, quod qui ipsum videret, etiam Patrem videat: hoc est, qui ipsum ac doctrinam ejus cognoscat, & opera quæ facit videat, reverâ non audiat doctrinam ac videat opera ab ipso profecta, sed à Patre: in quibus cum bonitas, sapientia ac potentia Patris reluceat, merito in iis Patrem videri ait. Quid hic vel levissima reprehensione dignum? Quis ex verbis adeo innoxiis inferat, Dominum dixisse, quod ipse sit Pater, aut quod Pater sit visibilis & incarnatus?

Collectio Viri Doct. refellitur. Tandem concludit Vir Doct. quod *Propheta, qui in seipsum ut verum Deum Israëlis fidem exegerit, qui Dei omnipotentiam sibi arrogaverit, qui verba sua, ut à se pracepta, populo indixerit, admitti non debet; & dato impossibili, quod Messias, quem Iudai exspectant, eam doctrinam Israëlem edoceret, jure foret ut pseudo propheta lapidandus.* Sed ego jam isti illationi occurri, quod Jesus Christus semper se Dei Patris legatum & Filium prædicet, & in se, ut talem, fidem exigat. Neque ulterius quicquam ut necessario credendum Euangelium exigit. Si qui plura ad salutem creditu necessaria decrevere, contra decretis non teneor, qui solam Scripturam Sacram unicam fidei meæ regulam agnosco. Ex illa itaque Vir Doctiss. ut aliquoties monui, contra me argumentari debet: Non ex doctrinis, de quibus inter Christianos disputatur, & quarum fidem Scriptura nusquam sub amittendæ salutis pœna exigit.

Doctrina falsa non potest pluribus ac majoribus miraculis confirmari quam vera. Unicum, antequam ab hoc argumento recedam, addere necesse est: Me cum Viro Doct. admittere, quod vera doctrina esse nequeat, quæ evertit aut oppugnat doctrinam à Deo sufficientibus miraculis comprobatam. Verum incredibile mihi est, quod Deus in talis doctrinæ confirmationem miracula sit editurus plura ac majora, quam in confirmationem doctrinæ, cui perpetuo fidem adhiberi vult. Dicitur quidem, quod etiamsi signum, quod ejusmodi falsus Propheta prædixit, eveniat, nihilominus quia apostasiam à vero Deo suadet, sit lapidandus: Unde recte colligitur, Deum permittere posse, ut opus aliquod extraordinarium, quod in admirationem homines rapiat, ad prædictionem falsi alicujus Prophetæ contingat: ut ita Israëlis constantiam probet, utrum tali signo se permoveri patiatur ad deserendam legem tot prodigiis & miraculis invictis confirmatam: Sed ut ad falsæ doctrinæ confirmationem miracula fiant plura ac majora, quam quibus vera confirmata est, nec veritati nec sanctitati divinæ consentaneum est. Etenim miraculis in veræ doctrinæ confirmationem editis Deus illius divinitatem populo persuadere vult, ut illi, à miraculis, tanquam signis, quæ non nisi virtute divina fieri possunt, testimonium invictum habenti quod à Deo sit, autoritatem conciliet, & fidem illius ut divinæ populo persuadeat. Si itaque Deus in doctrinæ falsæ confirmationem plura ac majora fieri curet miracula, fidem doctrinæ veræ per miracula conciliatam destruet. Aut enim miracula sufficiens sunt divinitatis doctrinæ testimonium, aut non. Si non sunt; nec doctrina

doctrina vera sufficienter comprobata est esse divina: Si sunt: quæ illustrioribus ac pluribus miraculis est comprobata validius etiam à Deo habet testimonium: Nec ulla potest reddi ratio, cur plura & majora signa destituantur autoritate, quæ paucioribus & minoribus competit. Quare cum Deus sibi ipsi contrarius esse nequeat, neque ad destructionem doctrinæ antea sufficientibus miraculis comprobatæ, plura ac majora facere miracula, quoniam hac ratione homines à se & sua lege abduceret; Exinde evidenter colligo, quod doctrina pluribus & majoribus miraculis comprobata testimonium validius habeat à Deo; ac eo ipso constet, nisi Deum sibi ipsi contrarium statuamus, quod priori doctrinæ, à Deo profectæ & miraculis comprobatæ, nullatenus adversetur: Et si quis eam illi repugnare contendat, quod alterutram aut non recte intelligat, aut contra Dei intentionem in sequiorem sensum detorqueat. Quo ipso doctrinæ Jesu Christi veritas, & cum Lege Mosis convenientia, præter ea quæ antehac dicta sunt, solidissime est comprobata.

CAPUT X.

Non necessario requiri in vero Propheta, ut à Senatu Iudæorum approbetur, & Senatum Iudæorum non fuisse infallibilem.

TAndem aliud restat Viri Doctiss. argumentum contra Dominum Jesum refutandum, quod à Senatu approbari debeat, antequam à populo ut Propheta recipi possit. Ut argumentum hoc legitime concludat, duo Viro Doct. sunt probanda. 1. Quod tempore Prophetarum hujusmodi fuerit Senatus. 2. Deum istiusmodi judicium Senatui commisisse, ut quem ille verum judicaret Prophetam, ab integro populo ut à Deo missus recipi, quem falsum pronuntiaret, ab integro populo ut falso se prophetam jactans rejici deberet, nihilque ulterius, verusne an falsus esset Propheta, quam istud Senatus judicium, requisitum fuisse. Quod prius attinet, licet id difficulter probari posse credam, imo plura in Scripturâ occurrere, ex quibus contrarium quis colligat; de eô tamen Viro Doct. litem non movebo, sed cum ipso supponam, perpetuum fuisse à tempore Mosis ad captivitatem usque Babylonicam hujusmodi Senatum cum summa potestate, qualis à temporibus Esdræ in Republica Judaica obtinuit: Itaque alterum solummodo inquiremus.

An fuerit perpetuus Senatus in populo Israëlis.

Vir Doctiss. ut illud adstruat ac probet, ita procedit: *Debuisse aliquod esse judicium in populo, quod inter verum & falsum Prophetam discerneret: Illud autem non commissum esse, nec committi potuisse vulgo: Ergo commissum esse Senatui.* Ut argumenti hujus imbecillitas pateat, discrimen faciendum est inter judicium privatum, quod unusquisque sibi format: & publicum, quod toti populo judicandi regula est, & à quo dissentire nefas esset. De privato cujusque judicio non disputat hic Vir Doct. sed urget, requisitum fuisse pr-

Sufficit Prophetam ut recipiatur missio divina, signo comprobata.

se publicum Senatus judicium, à quo populo discedere nefas fuit; ita quidem, ut quemcunque Senatus pronuntiaverit falsum Prophetam, illum populus ut falsum rejicere obligatus fuerit; imo nec licuisse populo Prophetæ vero, & vere à Deo misso, ac missionem suam miraculis confirmanti, adhærere, nisi prius judicio Senatus approbato, cui omnes acquiescere tenerentur. Ego vero contendo, ut Propheta à populo reciperetur, sufficisse missionem divinam, nec ullum aliud, cujuscunque sive hominis sive Senatus, judicium præterea requisitum fuisse. Quia agitur de Propheta recipiendo ut legato Dei: Si itaque præter missionem divinam etiam requisita fuit autoritas judicii Senatus, missio divina sufficiens non fuit ad legato suo autoritatem conciliandum apud populum, sed autoritas humana intercedere debuit, quæ missioni divinæ autoritatem conciliet. Quo nihil absurdius dici aut cogitari potest.

Erat totius populi, signum id dijudicare.

Regerit Vir Doctiss. *Sufficisse quidem signum, ut Propheta reciperetur: Sed ut constaret tale signum esse à Deo, Dominus ad judices illius examen revocabat, ut exacte cognoscerent, an id esset vere divinum.* Resp. Judicum officium vel præcipue fuisse examinare signum & doctrinam Prophetæ, non nego: Eorum enim officium fuit, Prophetam verum recipiendo suo exemplo, ad quod totus ferme componitur populus, illi autoritatem conciliare: Sed si hic Judices officio suo desint, etiam populi fuit sine prævio Senatus judicio, imo contra illud, Prophetæ à Deo misso auscultare. Neque difficultas magna fuit, Prophetam verum à falso discernere. Duo illius signa dat Deus in Lege, clara, evidentia, & cuivis obvia: Unum, si *quid prædixerit in nomine Domini, & non evenerit, Deut.* XVIII. 22. Alterum, si dixerit, *Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus iis: Deut.* XIII. 2. Nullum hic errandi erat periculum; neque in subtilitate Metaphysica de idea Dei, quam hic Vir Doct. captat, negotium adeo grave, & ad populi salutem spectans, versatur. Notum erat Israëli, per *deos alienos* designari idola gentium, quorum cultum minimo è vulgo manifestum erat Dei Israëlis cultui esse adversum. Sed malitia hominum, in velanda & excusanda turpitudine sua mire sagax, subtilem distinctiunculam excogitavit, ut nequitiæ suæ velamen reperiat. De orthodoxia & hæresi nullæ tum erant contentiones, neque ullæ de iis apud Prophetas querelæ; sed solæ, & fere continuæ, de idololatria & cultu Deorum alienorum, qui manifestus erat, & omnium oculis patens. *Judicium* tamen *committitur Senatui*, inquit Vir Doct. *ut eum lapidari jubeat.* Sane: nec aliter poterat: Licet enim unusquisque ex populo facile dijudicare posset ex signis à Deo datis aliquem esse falsum Prophetam, & unuscujusque fuerit, sibi à falso ejusmodi Propheta cavere, ne ab eo ad idolorum cultum seduceretur; nulli tamen è populo, sed soli Magistratui jus erat, pœnam in illum decernendi, quæ potestatis supremæ actus est. Ita facile unusquisque ex plebe judicare potest aliquem esse homicidam aut adulterum: supplicio vero afficere, nemo nisi Magistratus. Sic & ab altera parte, ex signis à Deo datis unusquisque in populo agnoscere potuit Prophetam à Deo missum, illique ut à Deo misso auscultare & obedire, etsi publico Magistratus judicio non approbato.

Senatus Judæorum non fuit infallibilis.

Addo alterum argumentum: Quod si ejusmodi publicum in populo suo judicium Deus instituisset, à quo omnium judicia dependere debebant, oportuisse ut illud esset infallibile: Si enim falli posset, fieri facile potuisset, ut vel invidia, vel iracundia, vel vindictæ cupiditate, vel alio pravo affectu abrepti Judices, vel etiam per ignorantiam (siqui-

(siquidem ut Vir Doct. vult subtilis illa de idea Dei contemplatio esset in examen revocanda) in judicio suo errarent; & quoniam ipsorum judicium publica regula erat, à qua populo recedere fas non erat, totum populum una secum in errorem inevitabilem præcipitarent. Consequentiæ hujus evidentiam Vir Doct. agnoscit; ideoque concedit, infallibile Deum Senatui concessisse judicium. Evicto itaque, Senatus judicium non fuisse infallibile, simul corruit, quod illius judicium de Propheta, verusne an falsus fuerit, populo regula non fuerit, à qua discedere nefas esset.

Ad hoc autem probandum evidentius nullum argumentum est, quam crebra illius Senatus non errata tantum, sed & gravissima contra Deum crimina, quæ judicio illius falso, & mandatis ac verbis divinis contrario, ortum suum debent, enumerare. Jam ipsis temporibus Mosis, cum duodecim exploratores in terram Canaan missi renunciarent se vidisse civitates munitas, populos feroces & bellicosos, totus populus desperans de auxilio divino, & populorum illorum subjugatione, insurrexit contra Mosen, solis Josua & Calebo exceptis: Adeo ut Deus juraverit, quod omnes, qui viginti annorum ætatem excedebant, solo Josua & Calebo exceptis, in deserto essent morituri. Ubi tunc septuaginta illi Seniores, quorum judicium erat infallibile? Et ne hic rursus objiciat Vir Doct. exceptam fuisse tribum Levi, & constare Pineham ingressum in terram promissam; Sciat, tribum Levi non magis fuisse insontem quam reliquas: *Numer.* enim *cap.* XXVI. postquam per Mosen & Eleasarum nova populi recensio facta est, expresse tribus Levi una eum aliis numerata narratur, *vers.* 57. *& seqq.* Et immediate post indicatum tribus Leviticæ numerum additur *vers.* 63. *Hic est numerus filiorum Israël, qui descripti sunt à Moyse & Eleasaro Sacerdote in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho: inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt à Moyse & Aarone in deserto Sinai*, &c. Pinehas autem fuit filius Aaronis, contra quem & Mosen tota hæc rebellio mota est. Extra familiam autem Mosis & Aaronis omnes in deserto ob peccatum illud rebellionis mortui sunt, solis Josua & Calebo exceptis.

Probatur. 1. rebellione in deserto.

Si consideremus sequentia tempora, evidentiora erunt Senatus hujus crimina. Temporibus Judicum legitur populus aliquoties à Deo ad idolorum cultum defecisse: & quando ob crimen illud in potestatem populorum vicinorum traditi & servitute pressi Deum invocabant, misso judice ac liberatore Deus eos è miseria qua premebantur eripuit: & expresse legimus ipsos durante judicis illius vita & imperio Deum coluisse; post mortem autem ejus statim in idololatriam relapsos. Poteftne cuiquam credibile videri, solam judicis autoritatem potuisse populum in officio continere ne alienos Deos coleret; nunquam autem id potuisse autoritatem Synedrii infallibilis à Deo ipso instituti, quod (juxta Viri Doct. sententiam) semper se ab idolorum cultu impollutum servavit, cujusque mandatis populus sub pœna capitali parere tenebatur? Plurisne fuit judicis unius, quam integri Senatus, & quidem à Deo ita semper directi ut esset infallibilis, autoritas?

2. Statu populi tempore Judicum.

Sed & manifeste idololatriæ & rebellionis contra Deum accusantur, 2. *Chronic.* XXXVI, 14. ubi dicuntur non tantum populus, sed & *universi Principes Sacerdotum iniquè esse prævaricati juxta universas abominationes gentium, & polluisse domum Dei, & subsannasse nuntios Dei, & illusisse Prophetis.* Et ne hic Vir Doct. excipiat, Synedrium non consensisse isti iniquitati & idololatriæ; dico, primo, quis credat, neminem ex universis

3. Ex 2. Chronic. XXXVI. 14.

principibus Sacerdotum Senatus Judaici assessorem fuisse? Secundo: Quis credat, fieri potuisse, ut totus populus & universi Sacerdotum Principes unanimiter à Deo ad idola defecerint, si fuisset supremum infallibile tribunal à Deo constitutum, quod se non tantum ab idololatria purum servavit, sed & publice populi idololatriam damnabat? Tertio: Quis credat, supremum illum Senatum se ab idololatria impollutum servasse, & nusquam ejus vel minimam in tota Scriptura mentionem factam; sed potius ita generatim omnes omniumque ordinum in populo idololatriæ & rebellionis contra Deum accusatos, ut unusquisque historiam sacram sine præjudicio legens, etiam Synedrium generali illa accusatione comprehensum credere debeat? Tandem, quid verbis opus? ipse Deus Eschieli in visione ostendit Senatum illum magnum idololatriam nefandissimam committentem, *cap.* VIII. 10, 11. *& seqq.* Dicit quippe Eschiel se *vidisse septuaginta viros de Senioribus domus Israël, & Jezoniam filium Saphan stantem in medio eorum, stantium ante picturas reptilium & animalium quæ depicta erant in pariete; & unumquemque habentem thuribulum in manu sua.* Quæro, quinam sint illi *septuaginta ex senioribus Israël*, nisi Synedrium illud magnum ex septuaginta senioribus lectum, qui hoc nomine speciatim hic describuntur? Quid evidentius? Nec ulla hic distinctio elabendi rimam invenire poterit.

4. *Ex Rabbinis.* Quin & si consulamus Judæorum Doctores, manifestum est, quod agnoverint Synedrium suum in errorem incidere potuisse, & aliquid contra Legem decernere licitum vel illicitum. Quod egregie in Rabbinorum scriptis versatissimus docet Joannes Lichtfootus, in tractatu *de Ministerio Templi Hierosolymitani*, *cap.* VIII. *Sect.* II. *Oper. tom.* I. *pag.* 706. ubi docet, Rabbinos per *multitudinem Israël*, *Levit.* IV. 13. *quæ per ignorantiam fecerit quod contra mandatum Domini est*, Synedrium una cum populo intelligere; & ita quidem, *ut Synedrium prius per ignorantiam peccasset, populus vero posterior ejus errore in peccatum delapsus esset.* Quod porro sic probat. Rabbi Salomon (in *Levit.* IV.) rem ita exprimit. *Per congregationem Israëlis significatur Synedrium, & per rem absconditam significatur illud errasse in docendo circa Excisionem aliquam in Lege: hanc vel illam rem esse licitam, ut juxta ejus decretum egerit congregatio.* Sed Maïmonides (in *Schegagah*, *Perek* XIV.) rem fusius & clarius sic explicat. *In aliqua re per ignorantiam commissa homines tenebantur offerre oblationem pro peccato constitutam, si magnum Synedrium errasset in suo decreto, & docuisset id esse licitum quod interdictum erat, & populus errasset per ejus determinationem, & rem commisisset ea determinatione nixus, & postea cognosceret Synedrium se errasse. Ecce Synedrium tenetur offerre oblationem pro peccato propter errorem suum in decreto suo, quamvis ipsum rem non commisisset; quia actiones Synedrii dijudicantur non ex eo quod facit vel non facit, sed ex ejus decretis. Et ad reliquum quidem populum quod attinet, oblatione expiabatur, quia nitebatur Synedrii decretis.* Postea de oblationibus variisque offerendi ritibus differens Lichtfootus, porro ex Rabbinorum doctrina ostendit, qualis requireretur oblatio, *Si Synedrium errasset in negotio idololatriæ, deque ea aliquid decrevisset quod non licebat jure, & populus juxta ejus pronuntiata egisset, ac etiam errasset.* Ecce quantum communis Rabbinorum doctrina à sententia Viri Doct. distet; qui, tantum abest ut Synedrio infallibilitatem adscribant, ut diserte de eo affirment, quod non tantum possit docere *licitum esse quod Lege interdictum erat*, sed & in *negotio idololatriæ* (crimine omnium maxime detestabili) *aliquid decernere, quod non licebat de jure*; & sua determinatione integrum populum in errorem abducere.

Ad

Ad loca Esdræ quæ in præcedente scripto objeci, & præsertim Jeremiæ exemplum, quem Judæorum senatus ut pseudo-propheram & seditiosum indignis modis tractavit, Vir Doct. excipit, *se non negare, semper fuisse improbos homines, non tantum inter vulgares, sed & reges ac primores; nunquam autem ipsi malitiæ Senatum consensisse; neque Jeremiam sententia à Senatu lata punitum, sed potius ab improbis & magnatibus, absque aliqua juris autoritate:* Addit: *Plurimi ex piis fortasse senatoribus frustra clamabant, dicentes, quod sicuti Isaias & alii Prophetæ præcedentibus regibus plurima mala prædixerant absque aliquo periculo vel injuria eis illata: quare Ieremias pariter patienter non audiendus erat?* Recte & merito inquit Aristoteles, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τ᾽ ἄλλα συμβαίνει, *dato uno absurdo & alia sequuntur.* Cui semel constitutum est absurdum mordicus retinere, pressus argumentorum evidentia pluribus sese involvit & intricat. Reges ac magnates, aulæque ministros plures, fuisse improbos, nemo inficias iverit: sed & impietatem illam etiam pervasisse in Senatum, adeo manifestum est ex Prophetarum scriptis, & ex antedictis, ut in clara luce oculos claudere necesse habeat, qui id neget. Et tandem tota hæc Viri Doct. tam magnifica assertio resolvitur in *fortasse:* Cui justius multo contrarium *fortasse* quis opponat, quod Senatus ille impius regi ad omnem illam contra Jeremiam violentiam & injustitiam hortator & instigator fuerit: Solet quippe impii regis senatus hortator esse scelerum, ut regi gratificetur. Sed illud Viri Doct. *fortasse* evidenter satis convincitur ipso Jeremiæ scripto: nusquam enim Senatus, cujus judicio sit approbatus, ullam facit mentionem: & cum tam sollicite Abdemelechi Æthyopis pietatem & erga se benignitatem recenseat, ne verbum quidem occurrit de pietate Senatus, ad cujus tamen judicium, tanquam infallibile, quam maxime provocare oportuisset, utpote quo regis ac magnatum injustitia clare detecta fuisset: sed contra, generatim omnes Jeremiæ infensi fuisse leguntur: Quod argumentum evidens est, Senatum in eandem cum rege impietatem conspirasse. Sed *Senatus*, inquit Vir Doctiss. *Jeremiam ut verum Dei Prophetam semper venerabatur, & ejus scripta servavit, & posteritati divina esse decrevit.* Sed quid juvat aperte veritati contradicere? Senatum Jeremiam non fuisse veneratum clare satis jam ostensum est; nisi credamus eam unius vocis magicæ *fortasse* esse vim mirificam, ut argumenta quam validissima suo sono fugare & evertere possit. Scripta Jeremiæ à *Senatu fuisse asservata*, non à Barucho aliisque piis, quo argumento probabit Vir Doct.? Quod postea à Senatu ea pro divinis sint agnita, cum severâ illâ Dei castigatione, captivitatis nimirum septuaginta annorum, admoniti reverentius erga Dei legem ac Prophetas se gesserunt, & prophetiarum Jeremiæ complementum viderunt, neutiquam arguit, Senatores, qui vivente Ieremia judicio præerant, ipsius prophetias ut divinas agnovisse, & Ieremiam ut Prophetam veneratos esse. Quod per tumultum Sacharias fuerit interfectus, non arguit, semper id factum; & Synedrium nunquam consensisse iniquitati: Etiam corruptissimo tribunalium statu, & conniventibus, imo & clanculum instigantibus Senatoribus, talia nonnunquam fiunt.

Jeremias à Senatu male habitus.

Tandem: Senatum Iudæorum non fuisse infallibilem, controversia quæ Sadducæis intercessit cum Pharisæis invicte demonstrat. Contentio fuit, non de re levicula, sed maximi momenti, & unde tota Israëlis salus dependebat, resurrectione nimirum mortuorum: Errorem adeo exitialem tollere officii fuisset eorum, quos Deus omnium de sensu legis controversiarum judices constituisset; ipsique officio suo defuissent, ac gravis

Tandem, ex contentione Pharisæorum & Sadducæorum.

se coram Deo criminis reos fecissent, si sententiam suam decretoriam non interposuissent, & errorem pietati ac saluti animarum ita exitialem non damnavissent: Sadducæorum autem totiusque populi fuisset, sententiæ ipsorum absque mora auscultare, aut juxta legem morte plectendi fuissent: & sic error ille brevi tempore penitus fuisset exstirpatus. Atqui nusquam Sadducæos à Senatu condemnatos legimus, nec Iosephus, accuratissimus rerum Judaicarum scriptor, ullam talis judicii à Senatu contra Sadducæos lati mentionem facit: quin & eorum secta potens valde fuit in populo Judæorum, adeo ut quidam Senatores, quin & Pontifex maximus ex iis allectus fuisse legatur. Unde colligo, infallibile ejusmodi de rebus fidei penes Senatum non fuisse judicium.

Sensus Deut. xvii. 9, 10. Objicit Vir Doctiss. legem *Deut.* xvii. 9, 10. Sed locum vel leviter inspicienti, manifestum est, agi non de rebus fidei, sed controversiis civilibus, quando discerni debet *inter sanguinem & sanguinem, causam & causam*; aut observatione ceremoniarum legis, de lepra, similibusque: Quæ quæstiones remittuntur ad Sacerdotem, & supremum populi Senatum: Quia Reip. quies & populi tranquillitas requirit, ut ejusmodi contentionibus finis imponatur. Nec pœna mortis, reluctanti sententiæ judicis infligenda, infallibile illius arguit esse judicium: Sed tantummodo, ut litium finis sit, supremi Senatus judicio acquiescendum esse: alias enim mera in Repub. oriretur confusio. Si enim quando injusta à judice pronuntiatur sententia licitum esset illi non obedire, quoniam unusquisque sibi blanditur, & jus à sua parte stare credit, nunquam judici obedientia præstaretur, atque ita mera oriretur in repub. confusio. Quare omni sententiæ à supremo judicio latæ obediri Deus sub pœna mortis sancivit. Et si quis forte sententiæ injustæ obedire detrectaret, & propterea morte plecteretur, eo casu non bonus, sed malus è medio populi tolleretur: Licet enim contra proximum causam justam defenderit, injustus tamen ac contumax fuit, quod sententiæ à supremo judice pronuntiatæ reluctatus fuerit, & totius reipublicæ quieti privatam suam causam prætulerit: Quod non tantum in Rep. Judaica, sed in omnibus Rebuspub. ac regnis observatur.

Et Matth. xxiii. 2. Objicit præterea Vir Doctiss. verba Servatoris nostri, *Matth.* xxiii. 2. *Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosis sedent, facite omnia quæ dixerint vobis.* Sed vero verbis illis Dominum non agnovisse infallibile Senatus Judaici judicium nimis manifestum est. Sciebat Dominus & suam personam, & doctrinam, Judæorum Senatui esse maxime exosam, ipsos omnia contra se innoxium moliri: quin & eodem in capite ipsos variorum ac enormium criminum, hypocriseos, ac tandem injuste effusi sanguinis Prophetarum, reos agit: Quis sanæ mentis credat, Dominum hominibus adeo sceleratis ac desperate improbis infallibilitatem & perpetuam spiritus divini directionem adscripsisse? Quo argumento etiam probabit, de Senatu Judæorum hic esse sermonem? An Scribæ & Pharisæi constituunt Senatum? Aliud ergo Dominus indicat, quando *Scribas ac Pharisæos in cathedra Mosis sedere* ait: Loquitur de legisperitis, qui studium suum in scrutatione legis posuerunt: eos dicit *in cathedra Mosis sedere*; quia in cathedris sedentes populum docebant ex Lege Mosis, & Mosis autoritate doctrinas suas confirmabant. Quando itaque addit, *omnia quæ dixerint vobis facite*, non est hoc universaliter sine omni prorsus exceptione accipiendum, ac si quicquid illi præcepissent, qualecunque tandem esset, faciendum foret: Alias Dominus, qui se ab ipsis contemni ac odio haberi, ac brevi ut blasphemum condemnandum noverat, discipulis suis mandasset, ut decreto Senatus auscultantes

tantes ipsum etiam ut blasphemum ac pseudo-prophetam rejicerent: Et quoniam Vir Doctiss. (uti vidimus) existimat Euangelium hoc post Jesu mortem confictum, discipuli post condemnatum Jesum figmentum aliquod Euangelio inseruissent, quo ipsi præcepto Domini sui, cujus se discipulos profitebantur, evidentissime fuissent condemnati: Quo quid ineptius? Sed pro subjecta materia restringendum est, ad omnia quæ Legi Mosis consentanea, aut saltem illi non adversa, præcipiebant.

Quærit tandem Vir Doct. *Quis ergo signum seu miraculum, & doctrinam Propheta esset examinaturus, & de eo judicium pronunciaturus? an hoc judicium velim adscribere vulgo?* Resp. Ex iis quæ dicta sunt, ad objectionem hanc responsio sponte fluit. Publicum ac infallibile judicium, quod omnibus obsequii regula foret, nulli competiit, ita ut quicunque judicio ejusmodi non esset approbatus, nulli Prophetam agnoscere liceret; quicunque judicio illo esset condemnatus, qualiscunque tandem contra ipsum processus sit institutus, ut pseudo-propheta rejiciendus esset: Privatum autem Prophetam vel rejiciendi vel recipiendi judicium unicuique competiit: hoc autem judicium sibi quisque format, alteri vero nec credendi nec rejiciendi regula est. Uniuscujusque autem est, in hoc judicio recte officio suo fungi. Senatus est, pseudo-prophetas, quos ex indubitatis à Deo datis signis manifestum est falsos esse Prophetas, non impunitos dimittere: Verum Prophetam reverenter excipere, neque ex odio, invidia, aliove pravo affectu rejicere, & ut falsum condemnare; sed populo promptæ obedientiæ exemplum præbere. Uniuscujusque è populo est, pseudo-prophetam fugere, etsi sententia Senatus nondum condemnatum: Vero Prophetæ, etsi impiorum judicum sententia condemnato, obedire; neque majorem hominibus quam Deo autoritatem deferre.

Cujus sit à signum à Propheta datum examinare.

Pergit Vir Doct. quærere: *Quis Isaiam, Jeremiam, cæterosque Prophetas veros & à Deo missos decrevit? Quis etiam hos Prophetarum, & historicos libros, quos Canonicos habemus, tales infallibiliter esse sancivit?* Respondetque, *id non fecisse vulgus, sed Senatum, qui si in judicando Propheta falli poterat, posset etiam in Canonicis libris decernendis, Spiritu Sancto si pro uno, etiam pro altero non influente.* Satis apparet Virum Doct. in Hispania inter Pontificios enutritum, adeo manifeste hoc argumentum ex ipsorum schola depromptum est. Respondeo, nec Senatum, nec vulgus decrevisse, Prophetas à Deo esse missos, neque hoc ab alterutro decerni potuisse; sed Deum id documentis evidentibus testatum reddidisse, quibus tam Senatus quam populus fidem adhibere tenebatur; contumaciæ contra Deum reus futurus, nisi credidisset. Sic nec Senatus decrevit, Isaiæ aut Jeremiæ scripta esse canonica; judicium illud penes Senatum neutiquam fuit: sed solummodo sive Senatus, sive alius qui Prophetarum autographa vidit, eaque ipsorum autographa esse certus fuit, testatus est, ea ab ipso Isaia, Jeremia, aliove Propheta esse conscripta: Eo ipso enim divina agnoscebantur, quia ipsorum scriptores evidentibus signis comprobati sunt à Deo esse missi: Neque ulterius quicquam, sive Senatus, sive populus, ad scriptis propheticis autoritatem conciliandum decernere potuit, sed ea omnis à divina missione dependet. Populus tantum vel Senatus scriptorum Propheticorum, veluti depositi cujusdam pretiosissimi, custos fuit fidelis.

Unde dependeat autoritas Esaia, &c.

Hinc jam facile colliget Vir Doct. quid ipsi à me respondendum sit ad quæstionem ipsius; *Si nunc ad Batavos Propheta aliquis falsus adveniret, miracula faceret, & novas doctrinas prædicaret; an hoc judicium pertineret ad vulgus, ad nautas, ad mulierculas, an ad*

Cujus sit nunc, de falso Propheta, si existeret, judicare.

ad me? Dico ad omnes: unusquisque enim suæ fidei coram Deo rationem est redditurus; ideoque cujusque est, sollicite providere, ne decipiatur. Officium meum, omniumque eodem mecum munere fungentium, esset, vel imprimis cavere, ne impostoris fallaciis à veritate salutari abduceremur; tum quia in nobis minus excusabilis esset culpa; tum quia exemplo forte ac autoritate nostra plures in similem pertraheremus errorem: Quia autem meum judicium nulli fidei suæ aut judicii regula est, etiam populi, ac cujuscunque è populo, foret, pseudo-prophetæ doctrinam examinare, & non humanæ autoritatis, qualiscunque tandem sit, sed solius Dei in Scriptura loquentis, ductum sequi; & quemcunque Dei verbo adversa docentem deprehenderet, rejicere. Si quem hic male judicare crederem, non autoritate eum ut aliter sentiat compellere possem; sed solidis rationibus, è verbo divino depromptis, erroris convincere conarer; ut ita ab errore revocatus divinæ veritati constanter adhæreat, & in illius fide ac obedientia salutem suam quærat.

Judicium contra D. Jesum est pronuntiatum à Senatu scelerato.

Ex hisce ita prolixe de Senatus Judaici autoritate disputatis jam per se liquere puto, infallibile non fuisse ejus judicium; ac proinde, licet officium ejus fuerit inter verum ac falsum Prophetam discernere, quod tamen pravo aliquo affectu corruptus potuerit contra verum Dei Prophetam judicium pronuntiare, quod fuerit falsus; atque ita insontem è medio tollere. Unde porro infero, non fuisse necessarium veri Prophetæ requisitum, ut à Synedrio sit receptus, antequam populus eum ut verum Prophetam agnoscere ac revereri possit. Ex quibus omnibus tandem concludo, cum Dominus Jesus evidentibus ac omni exceptione majoribus signis ac miraculis comprobaverit, se esse à Deo missum, quod Senatus Judaici, qui ipsum ut blasphemum condemnavit, judicium nullatenus ejus autoritatem imminuere, ejusve missionem divinam in dubium vocare queat: Sed fuisse judicium ab hominibus sceleratis, ambitione, ac fastu tumentibus, invidia, ira, odio, vindictæ cupiditate, ac hypocrisi plane excæcatis, pronuntiatum, contra hominem sanctum, ne levissima quidem peccati labe aspersum, ac sanctissimam (vel ipso Viro Doctiss. judice) doctrinam annuntiante, hominumque illorum scelera ac hypocrisin palam libere & cum παῤῥησίᾳ reprehendentem: Qui vitia sua ac ulcera ita palam revelari ac traduci, atque ita larvam pietatis sibi detrahi, indigne ferentes, in furorem ac rabiem acti sunt, & quidvis sibi contra D. Jesum permiserunt, susque deque habentes qua via ac ratione ipsum è medio tollerent, dummodo ipsi exitium struerent: ut ita iræ, odio, ac vindictæ cupiditati satisfacerent. Tale judicium tantum abest ut infallibile, aut à Spiritu Sancto dictatum fuerit, ut nullius nisi ipsius Satanæ instinctui, cujus tam scelerati Senatores mancipia fuerunt, imputari possit.

QUÆ-

QUÆSITUM QUARTUM.

CAPUT I.

Quod Christus perfectiorem cultum præscripserit quam Moses.

Non necesse fuit, præmonere ceremonias esse umbram cultus perfectioris.

IN ultima hac quæstione iterum repetit Vir Doctiss. me non protulisse textum, in quo Deus disertis verbis permissionem hominibus dederit, ut totam divinam legem, præter moralia, non nisi futurorum umbram esse affirment. Sed vero, si unicum illud tantum voluerit, an talis textus exstaret, qui id disertis verbis affirmet, superflua fuit ipsius quæstio: Ipse enim satis noverat, ejusmodi textum non exstare. Verum ulterius quid sua quæstione intendit; Nimirum, exinde argumentum ducere contra religionem Christianam, quæ docet, ceremonias Legis perfectioris cultus spiritualis fuisse umbram; itaque accedente cultu spirituali ceremonialem, perinde uti præsente corpore umbram, debere evanescere. Itaque ut istius argumentationis Viri Doctiss. imbecillitatem ostenderem, recte respondi, necesse non fuisse, ut Deus olim, sive per Mosen, sive per Prophetas præmonuerit, ceremonias tantum esse perfectioris cultus figuram: Sufficere, ut Deus tempore à se præstituto immutationem istam faciat, & perfectiorem cultum introducat.

Minoris sunt pretii, quam cultus spiritualis.

Interim simul indicavi, ceremoniarum cessationem non adeo offendere debere Judæos, quia jam Deus olim satis indicavit, cultum ceremonialem sibi esse viliorem, & absque spirituali sibi neutiquam placere. Vir Doctiss. sibi fingit, quasi illo argumento voluerim probare, quod *liceat affirmare, ceremonias legis esse tantum futurorum umbram, easque ut vanas & inutiles relegare.* Sane nihil minus cogitavi quam hoc: Nimis enim manifestum est, licet ceremoniæ minoris apud Deum pretii sint quam sincera pietas, eas tamen, quamdiu vim legis obtinent, obligare: Tota mea vis in secundo argumenti mei membro sita est, quod Deus perfectiorem cultum per Christum introduxerit. Sed quia hoc durum est in Judæorum auribus, ideo præmisi, quod Deus jam olim per Mosen & Prophetas significaverit, sibi cultum ceremonialem absque morali neutiquam placere: Ut sic ostenderem, non offendi debere Judæos doctrinâ Christi, quæ ceremoniarum necessitatem nusquam inculcat, sed potius cultum Dei in spiritu & veritate, quasi illa legi divinæ sit adversa; cum potius ad perfectionem legis tendat, ac legislatoris intentioni optime congruat, utpote qui jam olim indicavit, ceremonialem cultum per se neutiquam sibi esse gratum, sed commendari per spiritualem & internum. Quare hoc sensu argumentum meum proponendum foret, & illius vis penitius expendenda.

Messiam debuisse

Pergens Vir Doctiss. negat Messiam perfectiorem cultum introducere debere; idque ex

perfectiorem cultum introducere quam Moses, constat ex Deut. *XVIII. 15.*

ex sacro textu clare probari cupit. Sed per claram probationem, quando eam à Christiano exigit, intelligit textum qui disertis verbis id affirmet, cujus probationem cupit. Interim mox in hoc eodem articulo clare, uti putat, probaturus, præcepta legis ejusdem esse perfectionis cum Euangelio, non claris pugnat textibus; sed ex præceptis quibusdam generalibus per consequentias longe petitas probationem suam instituit: perinde uti antea vitam æternam lege esse promissam similibus argumentationibus probare intendit. Hæ sunt ipsi in sua causa contra Christianum claræ probationes. Argumenta vero Christiani contra ipsum, quantumvis clara, modo non sint diserta Veteris Testamenti verba, sunt tantum *congruentia*, & *argumenta tantum verisimiliter concludentia*; sed requirit ab ipso purum Dei verbum. Quam inique, & præter leges disputandi! Interim si textum quærat, occurrit ille *Deut.* XVIII. 15. *& seqq.* ubi prædicitur venturus Propheta, *sicut Moses*: Antea autem ostendi, non posse esse Prophetam sicut Moses, nisi sit legislator, perinde atque Moses: alias Mose longe inferior esset futurus. Unde colligo, si sit futurus Legislator, perinde atque Moses, necesse est, ut præcepta quædam tradat Mosis præceptis perfectiora: Lege enim jam lata non potest novus mitti legislator nisi perfectiora quædam jam sancitis adferat: alias non est legislator, sed solummodo legis jam latæ approbator, aut confirmator. Sed objicit Vir Doctiss. me affirmare, quod *Judæis usque ad tempora Messiæ absconditum fuerit antiquum illum ritualem cultum cessaturum*, unde concludit: *Ergo talis unde id probetur textus non exstat.* Resp. Nulla est consequentia: Non quidem exstat textus, ubi Deus disertis verbis prædicit, cultum ceremonialem, ut figuram tantum & umbram, cessaturum: Verum textus hic dicit, Deum Mosi similem Prophetam, hoc est legislatorem missurum; Qualis autem illa legislationis ratio futura esset, ante impletionem perfecte cognoscere non potuerunt: At quando Deus Prophetam seu legislatorem illum misit, & novam per eum legem revelat, ex hac prædictione satis cognoscere possunt, hanc Prophetæ illius missionem optime cum consilio divino, iisque quæ Deus antea populo revelavit, congruere; & ex impletione Prophetiæ manifeste percipere, quis illius fuerit sensus, qui ante impletionem non ita patebat. Ne jam addam alia ex Prophetis loca, quæ ceremoniarum cessationem etiam tacite involvebant, de quibus mox plenius.

Jussu divino Messias potest legem ritualem abrogare.

Objicit porro Vir Doctiss. *Licet Messias totum cultum moralem & internum optimis & sanctissimis consiliis in majorem perfectiorem edoceret; si simul ritualem Dei legem jam inutilem & vanam prædicaret, non perfectiorem legem introduceret, sed unam ejus partem perficiens, & alteram destruens, totius divinæ legis prævaricatæ esset reus.* Resp. Siquidem Messias propria autoritate sine jussu ac mandato divino legem ceremonialem ut inutilem & vanam cessare faceret, vere legis violatæ esset reus: Dei enim solius est, perinde uti per Mosen populo legem ceremonialem dedit, ita etiam per Messiam perfectiorem legem introducere, & facere ut ad illius præsentiam ceremonialis cesset: quamdiu itaque illius obligatio durat, eam negligentes sunt refractarii contra Deum, & ut tales etiam severe à Deo puniti. Alia vero est ratio, quando Messias jussu divino perfectiorem cultum introducit, & ceremonialem, qui illius tantum umbra fuit, ut jam inutilem, cessare facit: Deus enim per Messiam ab obligatione legis ritualis Israëlem solvens, facit, ut qui nunc eam non observent, non sint violatæ legis rei, prout olim fuerant,

fuerant, quicunque ante Messiæ adventum eam negligebant. Jussu autem divino Messiam seu Christum docuisse quicquid docuit, in initio scripti hujus fuse ostendi.

Verum hic jam ipsam quæstionis arcem invadit Vir Doctiss. negatque Dominum Jesum cultum Mosis lege perfectiorem instituisse, ejusque probationem à me exigit. Age ergo perfectiora illa Legis Christianæ præcepta proferamus, quæ cum iis quæ Vir Doctiss. hic, & alibi sparsim in scripto suo de perfectione Legis dicit, accurate conferenda sunt, ex quibus inter se collatis manifeste patebit, quantum Euangelium dignitate Legem superet. Unum autem hic præmonendum censeo, quod Vir Doct. in Hispania inter Pontificios & Monachos educatus, totam religionem Christianam non ex puro Dei verbo, sed ex impuris Monachorum lacunis & pravis ipsorum interpretationibus æstimare videtur: Hinc est, quod miras non tantum verborum Christi interpretationes, à mente Domini alienas, partim ipse confingit, partim ab aliis confictas avide amplectitur; sed & præcepta Domini, quorum observationem sub amittendæ salutis pœna exigit, in consilia cum Monachis commutet, quæ observare quidem eximiæ pietatis est; verum quæ absque impietate, & amissione salutis possint omitti. *Præcepta Euangelii perfectiora præceptis Legis.*

Præcepta ergo, quæ Lege non expressa, sed Euangelio omnibus præscripta sunt, aut saltem perfectiora in Euangelio, quam Lege continentur, sunt hæc. Primo, quæ spectant perfectionem amoris erga proximum. Lex dum jubet ***diligere proximum***, per ***proximum*** non intelligit hominem quemcunque, sed Israëlitam: Quod ex præcepto ***Levit.*** XIX. 18. manifeste liquet. Verum est, & amore benevolentiæ etiam complecti jubentur Edomæos, Ægyptios, populosque qui se ultro in servitutem dabant: Verum iste est inferior amoris gradus, neque beneficia proprie comprehendit, sed potius ut à maleficiis abstineant. Religio autem Christiana, seu Euangelium, prout omne populorum discrimen abolet, quoniam ***in Christo non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Schyta, servus & liber***, ***Coloss.*** III. 11. ***Gal.*** III. 28. Ita & indifferenter amorem erga omnes extendi jubet; non tantum fideles & Christianos, ex quacunque natione, qui fraternus amor passim vocari solet, ***Rom.*** XII. 10. ***Hebr.*** XIII. 1. 1. ***Pet.*** 1. 22. & alibi passim: sed & cujuscunque sit religionis, modo ope ac auxilio nostro indigeat. Quod manifestum est ex ***Gal.*** VI. 10. ubi Apostolus quidem mandat ut ***maxime benefaciamus domesticis fidei***; interim tamen præcipit, ut ***benefaciamus omnibus***. Et 2. ***Pet.*** 1. 7. ubi dum ***amori fraterno*** addi jubet Petrus ***charitatem***, manifestum est, quod per ***charitatem*** intelligat amorem qui se indifferenter extendit erga omnes. Ita videmus quantum Legi præstet Euangelium solummodo circa objectum amoris, quod omnia officia, quæ Lex solis Israëlitis præstari jubet, extendat ad omnes homines. Idque elegantissime docet Servator ***Luc.*** X. 30. ***& seqq.*** sub parabola Samaritani, qui Judæum à latronibus spoliatum ac vulneratum, & à Sacerdote ac Levita prætereunte neglectum, amantissime fovit, vulnera curavit, ac in hospitium duxit. *Circa objectum amoris.*

His adde, quod Euangelium expresse vetet omnem vindictam, ab eaque tam alienos esse nos præcipiat, ut potius parati esse debeamus alteram injuriam ferre, quam jam illatam vindicare. ***Matth.*** V. 39, 40. Lex gravioris injuriæ vindictam permittit, dum permittit propinquo occisi hominis, ut homicidam interficiat, ***Num.*** XXXV. 19. *Et officia.*

Quin & inimicorum amorem præcipit Euangelium, & ut pro maledictis benedictiones rependamus, beneficia pro maleficiis, quin & oremus pro persequentibus nos, *Matth.* v. 44, 45. Quid hic Lex? Mandat quidem *Exod.* XXIII. 4, 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum*, &c. Verum, ut dixi, solum respicit inimicum Israëlitam, erga quem diutinum in corde odium fovere illicitum decrevit; non autem pro diris ac execrationibus preces & benedictiones rependere jussit.

Circa adulterium. Euangelium adulterium vetans, quemcunque conjugati cum altera concubitum, sive maritata sit, sive cælebs, uti & conjugatæ cum qualicunque masculo, adulterium esse definit; ut ita quibusvis vagis libidinibus occurrat, & sectatores suos castitatem servare doceat. Lex adulterium vetans, explicante ipso Viro Doct. solum Israëlitæ cum alterius Israëlitæ uxore concubitum intelligit. Unde sequitur, vel ipso Viro Doctiss. judice, quod lex vagum Israëlitis concubitum impune permittat, non tantum cum mulieribus conjugali vinculo non copulatis, sed & cum alienigenarum uxoribus: Quod & Vir Doctiss. etiam expresse in colloquio nostro contendit non esse adulterium. Ecce quam lata aperta fenestra infrænatæ hominum luxuriosorum libidini, licet cum gravissima alterius injuria conjunctæ.

Divortium & polygamiam. Lex permittit Israëlitæ uxori, siquidem gratiam non invenerit in ipsius oculis propter aliquam fæditatem, dare libellum repudii, *Deut.* XXIV. quin & permittit polygamiam, uxorique aliam superinducere, *Deut.* XXI. 15. Euangelium autem matrimonium ad priorem suam integritatem reducens, divortium extra causam adulterii non tantum illicitum pronuntiat, sed &, si uxore extra causam adulterii dimissâ alteram quis duxerit, adulterium committi docet: quo ipso uni marito unam tantum concedit uxorem; si enim plures habere haud illicitum foret, adulterium non committeretur, si altera ducatur, uxore priore extra adulterii causam dimissa. Scio excipi, repudii libellum esse remedium occurrendi multis incommodis, quæ ex discordi inter maritum & uxorem cohabitatione facillime oriuntur: Et apud Christianos, ut istis medeantur, etiam in usu esse separationem quoad cohabitationem & thorum. Verum exinde liquet, divortium aliquatenus repugnare perfectioni matrimonii, &, ut Dominus Jesus recte ajebat, Israëlitis indultum ob duritiem cordis ipsorum: Sed Dei matrimonium instituentis finem fuisse, ut conjuges arctissimo inter se vinculo, tanquam una caro, uniti, nunquam separentur; ad quam perfectionem Dominus matrimonium revocavit. Quod separationem thori ac cohabitationis attinet, constitutio illa est mere politica, de qua Euangelium nihil in alterutram partem definivit, utpote nihil tractans aut præcipiens statum politicum concernens: sed prudenti Magistratuum arbitrio dirigitur, qui ut quieti civili consulant sua autoritate nonnunquam cohabitationem conjugum, parte utraque auditâ, separant: Ne tamen quicquam lege Euangelii prohibitum committant, conjugii vinculum non solvunt nisi ob crimen adulterii: ut ita reconciliationi inter conjuges locus sit. Sub Lege autem marito licitum erat propria autoritate dato libello repudii uxorem dimittere si ingrata esset oculis ipsius, & mox utrique facultas erat libera ad alteras provolandi nuptias: quo ipso non tantum omnis reconciliationis spes præscindebatur; sed & hominibus luxuriosis maxima aperiebatur fenestra, siquidem alia allubescere inciperet mulier, uxorem ut sibi ingratam dimittendi, & alteram illius loco ducendi: aut

uxori

uxori luxuriosæ, sese incommodam ac contumacem ostendendi erga virum, ut ita ab ipso libellum repudii obtineat; atque ita à marito dimissa alteri viro nubat. Quæ omnia matrimonii perfectioni directe adversantur.

Circa directionem nostri ipsorum.

Si jam porro consideremus præcepta Christi, quæ directionem nostri concernunt, nihil horum in Lege expresse mandatum reperiemus: Qualia sunt, non esse amandum mundum, sed cælum ac cælestia præcipue spectanda; reliqua, quatenus à vitâ spirituali hominem abducunt, esse non abjicienda proprie, sed flocci facienda, animumque ab anxiis curis eximendum, carnem esse crucifigendam cum concupiscentiis, omnia, si necesse sit, pro nomine Christi abneganda, quin & vitam ipsam: Cogitationes & animum servandum esse castum, non minus quam corpus, adeo quidem, ut si quis mulierem adspiciat solummodo ut eam concupiscat, jam adulterium cum ipsa in corde commiserit, *Matth.* v, 28, 29. quatenus turpes ejusmodi cogitationes fovens, corde ac animo suo omnes committit actus quibus adulterium constat; & ex turpibus ejusmodi cogitationibus voluptatem percipit illi similem, quam ex ipso adulterii actu percepturus esset. Ne jam, prolixitatis vitandæ causa, alia allegem.

Bonum præcipitur decalogo.

Sed contra hæc Vir Doctiss. contendit, *Decalogo contineri perfectissimam vitæ regulam, cui nihil magis perfectum addi possit.* Absit ut ego quicquam contra Decalogi perfectionem dicam, aut illam defectus alicujus insimulare velim. Interim hoc affirmo, præcepta religionis Christianæ de directione sui ipsius jam à me indicata nusquam in Decalogo apparere. Dicet forte cum aliis Vir Doct. ea expressa esse decimo decalogi præcepto, de non concupiscenda uxore ac domo proximi, aliave quacunque re quæ proximi est. Sed vero, si præceptum illud, & ratio Reip. Israeliticæ penitius inspiciatur, apparebit hic non vetari concupiscentiam uxoris proximi ad adulterium, aut ut domus proximo per furtum ablata nostra fiat; sed qua quis proximi uxorem ac domum ita concupiscit, ut absque adulterio sua uxor, & absque furto sua domus fiat: nimirum concitando inter maritum & uxorem dissidia ac rixas, atque ita faciendo ut maritus molestæ cohabitationis pertæsus uxori libellum repudii tradat, atque ita ipse uxore à proximo dimissa potiatur: aut varia ipsi concitando per vicinos aliosque incommoda, ut domus ipsi ingrata fiat, ac proximus moveatur ut eam vendat, atque ita ipse ea potiatur. Quæ quoniam multarum turbarum in populo Israelis causa esse poterant, Deus præceptis de non committendo adulterio ac furto, etiam hoc, de non concupiscenda uxore ac domo proximi adjecit. Et hunc præcepti hujus sensum esse, exinde colligitur, quia est præceptum secundæ tabulæ, cujus omnia præcepta proximum respiciunt, & quorum violatione proximus directe læditur, uti ex omnium enumeratione liquet. Atqui concupiscentia uxoris proximi ad adulterium, quatenus ipsi adulterii actui opponitur, proximus non læditur, sed solo adulterii actu: polluitur vero animus concupiscentis: Sed concupiscentia illa, qua quis efficit, ut proximi uxor à marito dimissa sua fiat uxor, proximus gravi afficitur injuria, & directe læditur. Quod & circa omnes res proximi, quarum concupiscentia vetatur, locum habet.

Quomodo ad Decalogum præcepta Rel. Christ. referri possint.

Interim negare nolo, per analogiam & consequentiam omnia religionis Christianæ præcepta ad decalogum referri posse: Adeo ut, si præcepta Christi conferentes cum Decalogo, ad decalogum omnia referamus, quæ ex illius præceptis aliqua ratione deduci

duci possunt, & ad ultimam Dei intentionem, Decalogo non clare expressam, attendamus, dici possit, omnia Christianæ religionis præcepta generalibus decalogi præceptis esse comprehensa: Sed addo: Illud nunc à nobis, postquam ultima Dei intentio per Dominum Jesum clare est revelata, fieri posse: Antea tamen, cum plenior ille sensus generalitate verborum involutus fuit, id non ita plene fieri potuisse; neque eum, qui sensum istum plene assecutus non fuerat, sed solummodo à Lege manifeste vetitis sibi sollicite cavisset, non posse æque ac sub Euangelio, violatæ legis reum peragi. Unde quantum Legi Euangelium præstet manifestum est, quod ea clare præcipiat, quæ per consequentiam ex Lege industria ac labore potius deducenda erant, quam in ea expresse definita ac præcepta, proinde quibus se teneri non intellexerunt Israelitæ; non enim homines animum suum inducere solent, ut legem strictiore, quam qui in verbis ipsis exprimitur, sensu contra seipsos interpretentur. Quod vero directionem nostri ipsorum attinet, omniumque afflictionum, quin & mortis crudelissimæ pro nomine Dei tolerantiam, aliaque Euangelio clare mandata, ea decalogo esse comprehensa, nescio quo fundamento affirmari possit.

Sensus præcepti de amando Deum ex toto corde, &c.

Verum hæc omnia clare mandata contendit Vir Doct. *præcepto illo generali, quod totius Legis quasi summa est, Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: hoc est, tam perfecte, ut nullum desiderium de rebus creatis hunc amorem diminuere possit, quantum viribus naturalibus possibile est, & plus quam vitam tuam, quam pro ejus amore libenter tradere ne dubites.* Et quærit *an amor Dei in Euangelio perfectiore modo præcipiatur?* Sed vero, non inquirimus, an modus quo amor ac obedientia Dei præcipitur sub Euangelio, sit perfectior illo, quo amari Deus præcipitur sub Lege; sed de ipsis præceptis divinis, an illa eadem sint, aut æque perfecta sub Lege, quam sub Euangelio? Præceptum hoc *amandi Deum* generale est, & totius Legis summa ac compendium: Atqui ex ejusmodi generali præcepto inferri nequit, omnia specialia præcepta, quæ Euangelium præscribit, etiam olim sub Lege mandata esse; sed tantum, obediendi modum, qui ex animo procedat, olim sub Lege exactum esse, similem illi qui nunc exigitur sub Euangelio. Quod ut pateat, sciendum, quando Deus sui dilectionem præcipit, considerari Deum ut legislatorem: Legislatoris autem dilectio mandatorum ejus observatione consistit: Nemo enim Legislatorem, quatenus legislator est, amare potest, nisi mandatis ejus obediendo. Quicunque ergo præceptis divinis obedit ex toto corde, etiam Deum ex toto corde diligit. Sed exinde non sequitur, quando Deus in Lege illum dilectionis modum præcipit, eundemque postea in Euangelio exigit, eoque perfectiorem exigere nequit, quod in Euangelio perfectiora non dederit mandata, quam in Lege: sed id ex utriusque præceptis specialibus, eorumque inter se comparatione, dignosci debet. Non jam inquiram, an verba, *ex tota anima*, significent, *plus quam vitam tuam, quam pro ejus amore libenter tradere ne dubites.* Unum tantum dicam, hunc præcepti hujus esse sensum non credi à Judæis Hispanis, qui liberos docent, licere metu mortis, & ut evadant inquisitionem Hispanicam, abnegare Legem, quin & juramento abnegationem suam confirmare: tales enim credunt, licere sibi vitam hanc præsentem præferre amori Dei, neque contrarium sibi isto præcepto mandatum credere possunt.

Non exigit illud, ut Deum amemus sine spe præmii.

Sed contendit Vir Doctiss. *Jesum Christum non tam perfectum Dei amorem docuisse; quoniam*

quoniam ad hoc divinum praeceptum homines mittebat ; ut vitam aeternam consequerentur. Non esse autem perfectum amorem , quando Deus amatur propter timorem in pana aeterna, neque propter vitam aeternam , quia uterque amor in propriam utilitatem dirigitur : sed quando amatur propter infinitam bonitatem , & quia dignus est summo amore diligi , sive gloriam aeternam dederit , sive infernum : Et *hunc amorem ab omni propria utilitate independentem Israëli à Deo praescriptum* affirmat. Audio quidem magnifica verba , sed quae nullum sanum continent sensum , & manifestam involvunt contradictionem. Vult *Deum amari propter infinitam suam bonitatem , licet dederit infernum.* At quomodo is, cui se amanti Deus infernum , omnium malorum summum , & in quo nulla bonitatis ratio est , dederit , infinitam in Deo bonitatem agnoscere potest ? Qui Deum agnoscit bonum , sibi bonum esse ut statuat necesse est. Verum ut distincte de amore Dei dicamus , dico Deum dupliciter à nobis posse considerari , vel ut bonum summum , vel ut Legislatorem. Amor in Deum ut bonum summum , est desiderium unionis cum Deo, bonisque divinis fruendi. Amor in Deum ut Legislatorem est observatio mandatorum divinorum. Deus consideratus ut bonum summum , ac boni summi largitor , necessario à nobis amatur : nemo enim bonum summum odisse aut contemnere potest : Consideratus autem ut Legislator , varia carni nostrae ingrata praecipiens , & ab altera parte majora bona promittens , non amatur necessario : quia homo inter praesentium fruitionem, cum qua saepe obedientia mandatorum divinorum consistere nequit , & spem bonorum à Deo in futurum obtinendorum medius constitutus , libere vel futura quae exspectat , vel praesentia quibus mox fruendi occasio adest , praeferre potest , atque ita Deum ejusque mandata vel amare , vel odisse. Unde liquet , posteriorem hunc Dei amorem priori tanquam fundamento inniti : Quia enim Deum amamus ut summum bonum summique boni largitorem , eique ut tali uniri cupimus ; etiam illi ut legislatori prompte & alacriter obedimus , ut ita ipso tanquam summo bono fruamur. Inde jam praecepti divini de amore Dei sensus facile percipitur : Mandat Deus , ut ipsum tanquam legislatorem amemus , hoc est , praeceptis ipsius obtemperemus , *ex toto corde* , &c. an hoc excludit amorem Dei , ut boni summi ? Imo potius includit , eumque amorem pro fundamento habet ; Si enim Deum ut bonum summum non agnosceret , sed ut mali summi datorem ; eum amare , ac proinde illi obedire , non posset. Atqui , ait Vir Doct. *sic Deum amabit ob propriam utilitatem.* At quaero ego ; an aliquis summum bonum amore ardentissimo amare queat , sine desiderio ac spe illo fruendi ? An illius fruitionem desiderare possit , absque propriae , quam ex fruitione illâ consequetur , beatitudinis respectu ? Imo hic est summus ac sincerus Dei amor , omnem in illius fruitione beatitudinem quaerere. Et fieri nequit , quin amans in rei amatae fruitione suam collocet beatitudinem. Siquidem à Deo aliud speraret bonum , à Deo diversum , & solummodo illius obtinendi spe Deum amaret , Deum , nisi spe illa fulciretur , non amaturus ; recte inferretur , quod quid amaret prae Deo : Sed cum ipse Deus bonum illud est , cujus fruitione se beatum credit , & cujus desiderio legi divinae obedit , Deum supra omnia diligit , omniaque amori quo in Deum fertur postponit.

Sed vero , ut magis convincamus Virum Doctiss. unde novit , legem Dei amorem praecipere , ab omni propria utilitate independentem ? Christum amorem illum non praecipere , exinde colligit , quia hominibus spe vitae aeternae eum commendat. At *Retorquetur argumentum Viri Doct.*

quid

quid lex? An non & illa spe præmii à Deo obtinendi eundem mandat? An non creberrima est illa ratio commendandi observationem legis, *ut vivas, ut bene sit tibi & semini tuo?* &c. Et quod magis est, nusquam in Lege occurrit diserta & expressa vitæ æternæ promissio, sed eam Vir Doctiss. ex generalibus quibusdam Dei verbis per ambages & consequentias elicit: Diserta autem & plana ubique ferme in Lege occurrit vitæ hujus præsentis, & fælicitatis terrenæ promissio: Unde juxta Viri Doct. argumentationem justius quis concludat: Moses promisso hujus vitæ & fælicis possessionis terræ Canaan Israëli præcepit amorem Dei: ergo amorem Dei præcipit, qui respicit propriam utilitatem, & quidem quæ percipitur non ex fruitione ipsius Dei, sed bonorum à Deo quam maxime diversorum. Hoc argumentum ubi Vir Doct. solverit, etiam propriam suam objectionem contra Euangelium solutam videbit. Huic adde, quod Judæi etiam nunc, pænitentiam à se præstari ajunt pro suis ac parentum suorum delictis, donec tandem satiata ira divina ipsi per Messiam è captivitate sua diuturna liberentur, & regno ac statu fælici hic in terris sub Messia fruantur: Quo omnium spes præcipue tendere videtur. An autem hæc spes omnem propriæ utilitatis considerationem excludit, & quidem utilitatis terrenæ?

Sensus veriorum præceptorum Euangelii.

Ut magis impugnet Euangelium, varia illius præcepta recenset in sensum alienum detorta, uti & ad *Quæst. I. Num. XIV.* atque *illa omnia, quatenus Legi quid superaddere creduntur, esse præstitu impossibilia.* Animus mihi non est, prolixe genuinum horum præceptorum sensum vindicare, esset id extra disputationis nostræ limites; solummodo dico, nihil rectæ rationi adversum illis præcipi. Vetat Dominus omnem vindictam, mandatque ut alteram potius parati simus ferre injuriam, quam illatam vindicemus; ut fælicitatem nostram non quæramus in mundi hujus divitiis ac voluptatibus, quæ fluxæ sunt, sed in cælo ac vita æterna; ac proinde, quando divitiarum acquisitio aut possessio impedimento nobis est, ne vitam æternam quæramus, eas abdicandas, quin & vitam ipsam: Quoniam præ amore divino omnia nobis vilia esse debent: Animum itaque nunquam ita alligandum divitiis, quin, si honor Dei & salus æterna exigat, facile eas abdicare queat: Quia autem hoc diviti ordinarie valde difficile est, ideo difficile & tantum non impossibile pronuntiat, divitem in regnum cælorum intrare. Divitias nusquam sine causa abjiciendas docet, nusquam æqualitatem omnium fieri præcipit; sed pauperibus liberaliter succurrere jubet. Deo servientes providentiæ ipsius confidere vult, neque præ anxia in futurum sollicitudine in cultu Dei segnescere; nusquam autem otium & desidiam præcipit, sed ut manibus laboremus quod bonum est; ita tamen, ut providentiæ divinæ confidamus, & utraque sorte, sive obtingant divitiæ, sive non, contenti animo tranquillo in Deum recumbamus. Quid hic impossibile? Fateor, horum observationem impossibilem homini, qui id sibi à Deo mandatum non credit, ideoque nec se peccare, quando carnali affectui indulgens immoderatius hæc sectatur: Nullo modo autem impossibilia sunt Christiano, qui & hæc sibi præcepta novit, ac Deum vitamque æternam sibi mercedem fore, siquidem hæc servaverit, fide indubitata certissime sibi persuasum habet. Impossibile non est, caduca, fragilia, imperfecta, præsentia licet, abdicare, ut fruaris perfectis, æternis, permanentibus, ac nunquam perituris, & de quorum licet futurorum possessione fides adeo persuasos reddit, ac si præsentia forent.

At,

At, inquit, *Christiani nunquam hac observarunt, quin imo nulla religio, nulla secta, qua tot vitiis conspurcata sit.* Sed vero, ipse agnoscit, hoc esse contra religionis Christianæ genium: doctrinæ imputari non debet, quod degeneres ipsius discipuli committunt. Dolendum non majorem esse Christianorum erga sanctissima Servatoris sui præcepta reverentiam: attamen non sine maxima Christianorum injuria ita generatim dicitur, quod hæc non observent: Constat quippe plurimos omni sæculo fuisse Christianos, qui hæc religiosissime observarunt, qui opum amore se non teneri opere ipso manifeste testati sunt: & quod vita ipsa, omnesque hujus mundi possessiones, pro nomine Christi ipsis viles fuerint, tot myriades martyrum, non qui inviti coguntur fateri se esse Christianos, ut Judæi Hispani se Judæos fateri coguntur, & libenter, si hac ratione vitam redimere possent, Judaismum abnegare vellent, sed qui ultro Christianæ fidei confessionem edunt, vitamque oblatam siquidem Christum abnegare velint fortiter respuunt, in quavis ferme terræ regione non testantur modo, sed clamant. Adeo ut necesse non sit, *omnes fieri Monachos Capucinos, ut Euangelii præcepta observentur*; non magis, quam omnes fieri Pharisæos, ut præcepta legis Mosaicæ præstentur. Qui vitiis sese totos immergunt, nominis Christiani probra sunt, atque opprobria: Interim, licet impietatem late inter Christianos grassantem agnoscam ac deplorem, illud vere affirmare possim, nullam unquam fuisse doctrinam Christianâ sanctiorem, nec quæ plures ad eminentiorem sanctitatem perduxit, quam Christianam: Et si Vir Doctiss. communem Christianorum & Judæorum vitam inspiciat, ac inter se conferat, nihil reperiet, quod Christianis objiciat, sed ob quod erubescat.

Mores Christianorum doctrinæ imputari non debent.

Tandem Vir Doctiss. non tantum nullam præceptorum Euangelii præ lege eminentiam agnoscit, sed & Legem perfectiora continere præcepta quam Euangelium contendit. Verum tota illa major perfectio in eo consistit, quod *Deus Israëli dederit legem civilem, qua Resp. gubernetur, cum Christianismus dirigatur decretis juris civilis*: ad *Quæst. II. Num. II. pag. 77.* & quod *lege ceremoniali jam non amplius obligante, plurima carni grata permittantur, quæ Dominus spiritualiori populo prohibuerat*: Ad *Quæst. III. Num. V. pag. 105.* Resp. Quod ad legem civilem; sicut Christi regnum non est de hoc mundo, ita nec hujus mundi politiam legibus civilibus direxit: ea tantum docuit, quæ hominibus credenda & facienda sunt, ut vitam æternam consequantur in cælis. Hæc quicunque observant, cujuscunque sint conditionis, sive Magistratus, sive subditi, sive divites, sive pauperes, sive Judæi, sive Græci, certo vita æterna potientur. Magistratus, qui Christo nomen dedit, officium est, nullas, quæ præceptis Christi adversantur, leges condere: Et in eo si deficiant, id non doctrinæ Christi, sed ipsis imputandum est. Leges politicæ, quæ in Mosis lege exstant, accommodatæ sunt peculiari populi Israëlis & terræ Canaan, in duodecim tribuum possessionem distributæ, statui: quarum itaque pleræque ab alio populo, aut ab eodem populo in alia terra observari nequeunt: Non mirum itaque eas nec à Christianis Magistratibus observari. Interim pleræque Christianorum leges civiles ex lege naturæ ita sunt per certam rationem deductæ, ut nihil jure in illis reprehendi queat: Quædam etiam, quantum cujusque populi status permittit, ex Lege Mosis desumtæ: aliæ, quæ non præcise ex jure naturali in hanc aut illam partem decidi jubentur, pro legislatorum ac populorum arbitrio, prout quieti

Præcepta Legis non sunt perfectiora Euangelio.

De lege civili.

publicæ pro vario populorum statu variaque indole maxime accommodatæ creduntur, sancitæ sunt. Verum hæc nihil ad Euangelium, quod, ut dixi, solum vitæ cælestis ac æternæ consequendæ viam ac regulam præscribit.

De libero usu rerum indifferentium. Indifferens usus rerum antea per legem ceremonialem prohibitarum non arguit legem magis laxam, aut carni magis indulgentem: quia & dum liberum cujusque rei usum concedit, cupiditatum carnis crucifixionem severe mandat: Sed, quicquid Vir Doctiss. contra nitatur, perfectionis majoris signum est, dum Deum non externis, quæ carnem solum spectant, sed animo ac corde puro, actibusque ex corde puro proficiscentibus, coli docet; atque ita loco cultus carnalis spiritualem unice commendat. Si quæ Christiani ab Apostolis vetita sibi licita faciant, ne hoc religioni Christianæ imputet: non magis quam Legi Mosis, quod Judæi Hispani legis abnegationem ut vitæ consulant sibi licitam liberos suos doceant. Quæ de concubitu Christianorum cum menstruata, & fœmina enixa addit; non puto ipsum probaturum, licet eodem cum ipsis mariti lecto utantur, quod minus ab uxoribus suis abstineant, quam Judæi. Quod addit, maritos Judæos singulis mensibus quatuordecim dies ab uxoribus abstinere, non arguit ipsos minus carni indulgere; cum & polygamiam & concubinarum greges sibi lege vetitas non credant, nec concubitu cum aliarum gentium uxoribus quicquam se contra matrimonii leges peccare existiment. Quibus tam lata libidini explendæ potestas indulta est, iis abstinentia ab uxoribus per dimidiam anni partem argumentum esse nequit, quod carni minus indulgeant aut populus sint spiritualior quam Christiani, qui perpetuo cum uxore sua vivunt, & omnem cum alia, qualiscunque sit, concubitum adulterium esse, & ut adulterium Euangelio damnari, sciunt.

De pœna adulterii, aliisque. Pergit Vir Doct. quod *Christianismus adulterio non constituat pœnam capitis.* Sed vero quam propterea Euangelio imperfectionem adscribere potest is, qui metu pœnæ Deo obedire indecorum putat, & Deo obediendum docet, etiamsi infernum dederit? Addo, quod Euangelium adulterio graviorem pœnam constituat, æternam nempe in inferno luendam. De pœnis civilibus tacet, quia politiam, uti dixi, hic in terris non erigit, sed tantum ad cælestem gloriam contendere docet. Ad criminationem, quod *idololatria vix in Euangelio prohibeatur, in Epistolis Pauli raro*, jam ante respondi, & omnia quæ Vir Doctiss. congessit prolixe satis confutavi. Quod vero addit, *Euangelium ferme totum esse in Pharisæorum & Scribarum hypocrisi detegenda, alia autem graviora, quæ passim in populo vigebant, vitia vix reprehendere*, indicium est, Euangelia ab ipso vix aut non nisi oscitanter, aut cum præjudicio lecta esse. Hypocrisin Pharisæorum ac Scribarum juste à Domino reprehensam inficiari non audet Vir Doct. sed exigua Euangelii pars ea reprehensione occupatur; nec tam occasionem eos reprehendendi Dominus quæsivit, quam sibi à Pharisæis luculenter oblatam præterlabi passus non est. Interim alia majora sunt quæ præcipue docuit. Legatur solummodo divina illa concio *Matth. capp.* v. vi. vii. aliæque plures, quæ passim in Euangeliis occurrunt, & conferatur cum *Levit. capp.* xix. & xx. facile apparebit, utrum Lex, an vero Euangelium ad perfectiorem sanctitatem discipulos suos adspirare jubeat. Vitia, sanctitati adeo consummatæ repugnantia, & in Euangelio aliquoties, & creberrime in Apostolorum Epistolis prohibentur, addita, qua gravior excogitari nequit, æternæ mortis comminatione. Adeo ut alia omnis doctrina cum ipsa comparata imperfecta esse comperiatur.

Tan-

Tandem materiam hanc conclusurus, ait; *Tota Evangelica doctrina perfectio consistere videtur in ablegatione rituum Legis Mosaicæ, ut sic Christiani omnino spirituales evadant: cum præter id nullam aliam se habere majorem spiritualitatem nobis probare queant.* Si hæc in Christianorum vitam dicat, uti sequentia arguere videntur, jam iis respondi. Si in doctrinam Christi: ex dictis liquet, quam sine ratione hoc ab ipso affirmetur. Sed &, si Christiana religio hoc unum docuisset, externa hæc nos Deo non commendare, sed cultum moralem & internum, qui animum à prava concupiscentia purgat, & actus animo ita purgato consentaneos producit, haud parum legi præferenda esset, quæ dum magnam cultus divini partem in externis, quæ carnem solummodo spectant, consistere docet, ita eorum observatione homines occupatos tenet, ut iis præcipuam cultus divini partem absolvi credant, uti mox in Viro Doct. videbimus: atque ita, dum se illius observatione præcipuum cultus divini perfecisse credunt, de cultu morali non adeo solliciti sunt, sed Deo se placere credunt externis, licet animus intus à vitiis purgatus non sit. Quæ ipsa illa hypocrisis est, quam Dominus Jesus toties in Scribis & Pharisæis reprehendit, & quam à Prophetis aliquoties acriter Dei nomine reprehensam legimus. *Conclusio.*

CAPUT II.

Quod cultus externus, seu ceremonialis, sit imperfectior Deoque minus placeat, quam internus, seu Moralis.

IN hoc capite ulterius procedit Vir Doctiss. & argumento meo, quo ego probaveram legem ritualem dignitate cedere morali, quia moralis in ipsa naturali ratione fundatur, ritualis vero à solo legislatoris arbitrio dependet, contrarium adstruere conatur, quod lex ritualis perfectior sit lege morali: *Quia insignioris est obedientiæ, ea observare, quæ legislator pro arbitrio suo præcipit, toto corde credentes, omnia quæ nobis observanda proponit, sua infinita sapientia digna, esse valde bona & perfectissima, quam quæ à Deo etiam imperata in ratione nostra fundamentum habere invenimus: Ista siquidem, etiamsi Deus non jussisset, homines scirent, & observare possent.* Verum hæc argumentatio contrarium concludit: Si enim ea quæ Deus præcipit in ratione nostra fundamentum non habeant, sequitur nullam iis inesse intrinsecam bonitatem, neque ea ex naturæ divinæ perfectione immediate fluere; sed pro arbitrio divino, ob causas soli infinitæ ipsius sapientiæ cognitas, esse tantum mandata. Quoniam itaque recta ratio docet, Deo in omnibus quæ mandat obtemperandum; virtute generalis illius officii etiam dictat, cuicunque præcepto, quod à Deo præscriptum constat, obedientiam præstandam, licet in præcepto ipso nulla honestatis ratio per se pateat: Verum neutiquam exinde sequitur, ejusmodi præcepta præstantiora esse iis, quæ in ratione naturali fundamentum habent: sed potius

Lex Moralis est præstantior ceremoniali, quia fundatur in ratione.

contrarium: Quoniam enim eorum honestas à solo Legislatoris arbitrio dependet, apparet eam non esse intrinsecam, sed mutabilem; adeo quidem, ut si contrarium Legislatori præcipere placuisset, etiam contrarium honestum fuisset, & ob reverentiam præcepti divini observandum. Eorum autem, quorum honestas in ratione naturali fundata est, natura est immutabilis ac æterna, utpote ex ipsa immutabili naturæ divinæ sanctitate & rectitudine immediate fluens. Quis autem non videt, ea, quorum honestas est immutabilis, quorumque contrarium nisi turpe esse nequit, longe præponderare iis, quæ per se honesta non sunt, sed tantum ob præcipientis reverentiam observanda sunt, quæ à cultu divino abesse possunt, imo quorum contraria, æque atque hæc, præcipi potuissent? Horum enim observatio hominis animum intus à vitiis purgare nequit, ac proinde nec hominem per se Deo gratum reddere, sed tantum, quatenus præceptum divinum respiciunt. At sine præcepto divino, licet exactissime observarentur, eorumque numerus multiplicaretur, uti à Pharisæis per innumeras traditiones est factum, Deo neutiquam sunt gratæ, neque ulla in iis pietatis pars quæri potest: *Frustra* enim *timetur Deus mandato hominum & doctrinis*, *Esa.* XXIX. 13.

Non minus est lex Dei, quam ceremonialis.

Contrarium autem Vir Doctiss. concludere vult, majorem nempe perfectionem consistere in observatione ceremonialium quam moralium mandatorum: hoc, prout ego concipio, usus argumento: Quia moralia ita naturæ lumini sunt congrua, ut homo illa faciat quasi impulsu naturæ; Ceremonialia vero ejusmodi sunt naturæ, ut vim obligandi solummodo habeant à mandato divino, nec aliquam congruentiam cum lege naturæ: Inde colligit, majorem in hisce observandis Deo præstari obedientiam, ac majorem in hac obedientia esse perfectionem. Quæ argumentatio falsâ nititur hypothesi, quod obtemperando legi naturæ non obtemperamus legi divinæ: Lex enim naturæ non minus est lex Dei, quam positiva; differt solummodo in modo promulgandi: & quamvis magis conveniat cum lumine rationis, quam lex mere positiva; magis tamen contraria est concupiscentiæ hominum naturali, & pravis affectibus, adeoque illius observatio majorem testatur erga Deum obedientiam, quia ipsum animum Deo in obsequium flectit: magisque nos ei acceptos reddit, quam observatio ejusmodi præceptorum, quæ per se animum nequaquam purgant, quæque solis externis corporis membris peragi possunt, & solummodo reverentiâ Dei præcipientis observantur; qui, si contrarium præcipere voluisset, etiam potuisset.

Lex rituális fuit accommodata statui populi Israëlis.

Sed, ait Vir Doctiss. ***quæ Deus nobis observanda proponit, credenda sunt infinitâ ipsius sapientiâ esse digna, ac proinde valde bona ac perfectissima.*** Resp. Nihil Deum sapientia sua indignum præcipere, extra omne est dubium. Sed vero sapientia divina etiam aliquando sese accommodat indoli hominum quibus leges fert; Ac proinde non semper mandat, quod in sese spectatum optimum est sibique convenientissimum; sed nonnunquam, quod hominum indoli & ingenio, ut ad cultum sui ac salutem perducantur, maxime est accommodatum: Sic parentes infantes & pueros adhuc immaturos mandatis captui ipsorum accommodatis sensim perducere solent ad perfectiorem obedientiam; & filios contumacis ac præfracti ingenii officia quædam, summam ac perfectam obedientiam non spirantia, præscribere, ut contumaciam eorum sensim frangant, & sibi morigeros esse assuescant; ut ita ad perfectiorem disciplinam & nobiliorem obedientiam perducantur: cum si statim perfectissima obedientiæ ac reverentiæ officia ab ipsis exige-

exigerent, de eorum emendatione plane actum foret. Eodem modo sapientia divina egit cum populo Israël, quem passim, etiam in ipso deserto, accusat, quod *duræ cervicis populus* sit. Habitavit ille populus in terra Ægypti: vidit illic ritus Ægyptiorum & cultum idololatricum; totus fuit cultui illi externo & idololatriæ deditus; quod vel in deserto, potenti Dei manu miraculose ex dirissima Ægypti servitute recens liberatus, conflatione vituli ostendit; & postea crebrâ suâ ad gentium, quas coram ipsorum facie Deus è terra Canaan expulerat, aliarumque vicinarum idola defectione magis confirmavit: Populo illi non alium cultum quam internum ac vere spiritualem, quo animus à vitiis plane purgatur, præscribere, esset operam ludere: ut ergo illi sensim assuesceret, non summa perfectio erat exigenda, sed contumaciæ ac duritiei cordis ipsius quidam defectus erant indulgendi: & ne totus ad idololatriam, cui maxime erat deditus, deflecteret, ceremoniis quibusdam externis, & ritibus in oculos incurrentibus, erat cohibendus, quorum observationi intentus, sensim disceret, Deo, cui horum observatione cultum, sed minus perfectum, exhibebat, adhærere, illiusque solius cultui se tradere, abnegatis gentium idolis, quæ magna pompa ritibusque ambitiosis passim coli videbat. Hinc est quod Deus & cultum suum variis ritibus voluerit conspicuum, & in oculis populi, externum illum rituum splendorem admirantis ac cupientis, aliquatenus augustum & venerandum reddere: Partim quædam Ægyptiorum instituta, quibus jam assueti erant Israëlitæ, aliquâ ratione immutando, & cultui suo accommodando; partim ritus quosdam gentium ritibus plane adversos ac contrarios præcipiendo. Scopus certe Dei fuit, populum, ritus externos perdite amantem, plurium rituum externa pompa ac splendore gentium ritibus idololatricis nihil cedentium, & illis directe oppositorum, observatione ad sui unius cultum adducere, & ab idololatria gentium cohibere; ut ita totum sibi habeat obstrictum ac devotum, ac ad cultum internum qui animum intus purgat, hominemque Deo commendat, paratiorem. Hac ratione sapientia divina in Lege rituali se conspiciendam præbet. Cum si præcepta illa in se, sine relatione ad statum & indolem populi Israëlis, inspiciamus varia ejusmodi sint, ut cum sapientia divina vix conciliari posse videantur. Quale inter alia est præceptum de ciborum delectu, quo Deus quædam à se creata, quæ omnia vidit esse valde bona, immunda pronuntiat; ne alia nunc commemorem. Ex quibus omnibus liquet, licet sapientiæ divinæ consentaneum fuerit, ritualia hæc populo Israëlis præcipere; neutiquam tamen ea perfectione posse certare, cum iis, quæ in lege naturali fundamentum habent, quorumque honestas est æterna, ac plane immutabilis.

Sed dicit Vir Doctiss. *quod cultus externus à Deo præscriptus, ut talis est, utrumque essentialiter includit, & internum moralem, & actum corporeum, qui internum cultum perficit, & opere exequitur.* Quod cultus olim à Deo præscriptus utrumque includat, verissimum est; sed quod internus cultus per externum ceremonialem perficiatur; hoc est (uti ego explico, alias enim nihil ad disputationem nostram facit) quod internus seu moralis cultus non foret perfectus, nisi Deus illi adjunxisset cultum ritualem seu ceremonialem, gratis dicitur, & neutiquam probari potest, sed potius contrarium. Verum est, quando Deus utrumque præscribit, utrumque etiam ab homine esse præstandum, neque alterum posse omitti: Sed exinde minime sequitur, quando Deus tam ceremonialem quam moralem cultum præscribit, quod excellentiorem cultum exigat,

Cultus externus quatenus obest interno.

Quia animum hominis distrahit. quam cum in solo morali hominem occupatum esse vult. Nam utrumque exigendo cultum, in duas quasi partes cultum sui distribuit, & utriusque observationi hominem esse intentum cupit; & præsertim, si magnus ceremoniarum sit numerus, non leviter eatum observatione, ne in quapiam peccetur, hominem detineri necesse est. Atqui negari nequit, si utriusque cultus natura in se spectetur, per moralem proprie animum hominis purgari à vitiis, & sanctum ac impollutum constitui coram Deo; Ceremonialem autem per se nihil facere ad internam animi purgationem, sed tantum occupari externo exercitio carnis: omnes enim ritus non minus exacte præstari possunt ab hominibus hypocritis & impiis, quam sanctis ac piis. Cum itaque multitudine rituum, qui nihil ad internam animi purgationem faciunt, homo detinetur, aliquatenus ab interna purgatione avocatur; & quicquid meditationi & observationi cultus mere externi impendit, id ut à cultus interni ac spiritualis meditatione decerpat & subtrahat necesse est: atque ita, dum animi purgationi intentus esse posset, ad cultum externum avocatur.

Et in oculos incurrit. Huc accedit, quoniam cultus moralis ac internus non hominibus, sed soli Deo est conspicuus, cultus vero externus ac ceremonialis in oculos incurrit, & externo splendore majestatem quandam præ se ferre videtur, quod internus cultus soleat hominibus esse vilior; externum vero soleant admirari ac in veneratione habere, quin imo cultui spirituali longe præferre: Et quia externus observatu facilis est, applaudunt sibi homines, se ejus observatione egregie totius legis obedientiâ perfunctos. Nec mirum; quando enim credunt, Deum non minus, imo, ut Vir Doctiss. contendit, perfectius, coli ritibus externis, quam actibus veræ pietatis, facile se officio suo egregie defunctos credunt; quando cultum, suo judicio perfectiorem & excellentiorem, Deo exhibuerint. Atque ita contingit, ut, quo cultum internum perfici Vir Doctiss. ait, id ad cultus illius eversionem tendat.

Sacramenta non sunt perfectiones Euangelicæ. Aliud argumentum ducit Vir Doct. à Christianis, quorum *lex tota in spiritu consistit; & tamen Sacramenta, quæ corporalibus signis & externis actionibus constant, legis Euangelicæ perfectiones sunt.* Verum ex quorundam Christianorum errore, legi Euangelicæ directe adversanti, male argumentum formatur. Nusquam docet Euangelium, nusquam docuere Apostoli, ritus illos externos, qui communiter Sacramenta appellantur, legis Euangelicæ esse perfectiones. Imo minima sunt Euangelii præcepta, quæ quidem ob mandati divini reverentiam observanda sunt; non autem, tanquam sanctitatis perfectionem continentia, sed tanquam externa signa & tesseræ, quibus nos obsequium Deo, utrique sanctimoniam vovemus; quæ ergo per se nihil ad internam ac veram sanctitatem conferunt: nec ullum mysterium rationi imperscrutabile continent, sed sunt ritus valde simplices, quorum significatio & usus unicuique manifestus est. Si qui hic mysteria venentur extra Euangelium, illorum erroris defensionem suscipere meum non est, qui doctrinæ Christianæ, non decretorum humanorum, propugnatorem ago.

Externus cultus per se Deo placet, internus non. Quod exinde porro deducit, quod *cultus externus à Deo Israëli præscriptus, si in solis externis actibus sistat, non est cultus legalis, sed prorsus humanus, Deo abominabilis,* &c. Magis confirmat sententiam meam: Exinde enim liquet, cultum internum & moralem per se hominem Deo commendare; externum vero ac ceremonialem nequaquam:

quam : quia ipsum externum cultum interno ac morali commendari, absque quo Deo abominabilis sit. At quod per se Deo placet, praestantius est illo; quod Deo per se placere nequit: Et quod alterius ope indiget, ut Deo commendetur, minus est illo cujus praesentiâ commendatur, tantum abest, ut illius perfectio sit. Sed, inquit Vir Doctiss. *non est ille cultus quem Deus mandat.* Imo, dico ego, idem est cultus externus; sed abest cultus moralis & internus, sine quo externus nullam apud Deum laudem aut gratiam habet.

Sed dicit Vir Doct. *ille cultus hominis animam non purgat; neque sanctificat; maxime alter quem Deus praescripsit, qui internam pietatem supponit, & testatur, quo cultus divini rationem induit*: Idque ex eo probare contendit, quod *populus passim per illum cultum non tantum ab aliis populis separari, sed & sanctificari dicatur.* Sed verò, uti omnibus phraseos Scripturae peritis notissimum est, nihil est usitatius in Veteri Testamento quam per *Sanctificationem* intelligere separationem ab omni cultu profano, & consecrationem ad cultum Dei: quae constabat certo quodam ritu, quo homines id quod sanctificabant speciatim Deo dicabant; & actione quadam divina, qua Deus illud sibi, & in usus sacros vindicabat. Hoc sensu templum, & omnia templi vasa passim vocantur *Sancta*: Non quod illis inesset aliqua sanctitas, quae vitae puritate consistet; absit; sed quod à quovis usu profano separata soli cultui veri Dei dicata essent: & Deus actione extraordinaria ac miraculosa, nube densa, praesentiae suae symbolo, quae totum templum replebat, id speciatim sibi ac cultui suo vindicaverat. Sic jubentur dies quosdam, aut *jejunium sanctificare*: hoc est, dies illos speciatim dicare cultui Dei, atque ita segregatos habere. Eodem sensu populus Israël per ritus illos externos Deo *Sanctificari* dicitur; non quod ritus illi veram conferant vitae puritatem; ipse enim Vir Doctiss. eos à maxime impiis praestari posse affirmat: Sed quia per illos Deus populum Israël à reliquis gentibus secrevit, & sui solius cultui dicavit; ut ita ab omnibus aliis nationibus, usque ad Messiae, cujus ortus ex ipso promissus fuit, adventum segregatus viveret, neque aliarum gentium sacris, à suis adeo diversis, facile alliceretur ad Deum verum deserendum, atque ad idola, quorum cultus ubique in mundo vigebat, deficiendum. Hoc sensu frequentissima vocis *Sanctificationis* acceptio est, & semper eo sensu, quando populus per ceremonias *Sanctificari* dicitur, accipitur; uti loca singula inspicienti manifestum fiet.

Quomodo Israël per eam sit sanctificatus.

Addit Vir Doctiss. *quod etiam moralia absque Deo & sine interno cultu fieri, quodque homines maxime improbi virtutem simulando externos ejus actus exercere possunt.* At multum errat, si credat externis solum actibus moralia constare. Cultus moralis praecipue internus est & spiritualis: externa simulari possunt; obedientia autem animi, qua homo se omniaque sua Deo consecrat, propriè cultus ille moralis est, quem urgemus. Animum enim internosque animi motus Deus hominum potestati reliquit, ut vel eos abnegando Deo ejusque legi se subjicere, vel iis indulgendo Deo ejusque legi obluctari possint: Ita ut praestantissimum quod homo Deo confert, & in quo propriè ac vero obedientia consistit, sit animus ac voluntas. Verum cum sterilis voluntas non sufficiat, sed ea sese factis externis, animi latentis indiciis, prodere debeat, necesse est, ut producat facta sibi consentanea, quae animi pii Deoque devoti sunt fructus. Et hic est cultus moralis, sine quo ritus externos Deo non placere dixi. Si facta illa virtutum externa

Cultus moralis sine interno peragi non potest.

fiant

fiant animo non sincero, sed externe simulentur tantum; fit hoc per accidens, & vitio hominis, qui actionis sua natura è virtute in animo latente profluentis speciem quandam exhibet: Interim ipsa actio in se nude absque isto hominis vitiô spectata honesta est, & è virtutis genio fluit; ejusque contrarium, quocunque tandem animo fiat, non potest quin sit inhonestum & vitiosum. Ita ipse Deus de factis illis judicat passim apud Prophetas: quotiescunque enim ceremonias à profanis & impiis hominibus observatas detestatur, facta hæc commendat, iisque præstitis remissionem peccatorum ac favorem suum promittit. Vide inter alia *Esa.* 1. 16, 17, 18. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite bene facere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* & *Mich.* VI. 6, 7, 8. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quasi innuere volens, hæc esse veræ virtutis genuinos fructus, & opera per se ac sua natura bona ac honesta, Deoque placentia. Et quia supponuntur esse, prout natura sua sunt & esse debent, ea sibi Deus semper grata esse pronuntiat. Si vitientur hypocrisi hominum, id contra earum naturam est, & extrinsecus illis accidit. Secus se habet in ritibus externis: Eos Deus simpliciter & nude consideratos non approbat, nec ob eos solos hominem gratum habet: Nulla enim virtus animi est, quæ præcise ejusmodi ritus requirat, aut eorum contrarios damnet; solummodo eos homo observat, quia à supremo legislatore sunt præcepti; quorum contrarios cum pro arbitrio suo præcipere potuisset, eadem præcepti reverentia etiam contrariorum observantiam produxisset. Tum in ipsis illis ritibus nihil est, quod ullatenus animi puritatem spectat: omnes enim, si in se spectentur, constant factis quibusdam externis, & membris corporis peragi possunt: Adeo ut dici non possit, ritibus hoc esse per accidens, quod externis solummodo membris perficiantur. Quod Deus hoc sibi non sufficere testetur, sed cultum moralem, non tantum virtutem animi, sed & facta externa illi consentanea, requirat, manifestum indicium est, cultum ritualem absque morali neutiquam Deo placere posse.

Deo animo & corpore potest coli sine ritibus. Tandem Vir Doct. probare intendit, *cultum externum* (intelligo ritualem, nam de eo disputamus) *interni maximam esse perfectionem*, hoc argumento: *quoniam nunquam internum cultum Deo placuisse legimus, absque aliquo externo: quippe homo spiritu & corpore Deo debet inservire, ita ut quod carnis et inest, quodammodo spirituale etiam efficiatur.* Idque probat exemplo *Abelis*, *qui procul dubio didicerit ab Adamo*, & *Noacho*, *qui sacrificia non obtulerunt ut à gentibus separentur, quæ nulla erant; sed ut Deo creatori grati fierent: & quoniam nusquam legitur ea à Deo esse præcepta, fortasse à lumine rationis sunt dictata, & intrinsecam sanctitatem habent.* Addit exemplum *Abrahami*, *cui Deus, cum ad Isaaci immolationem accinctus esset, arietem quem sacrificaret misit: & tandem Deus toti populo Israëlis non tantum circumcisionem, sed & sacrificia præscripsit.*

præscripsit. Quod argumentationis hujus fundamentum attinet, indubium est, hominem non tantum spiritu, sed & corpore Deo inservire debere: Tam enim corpus quam anima à Deo est creatum; & interni animi motus factis externis, quæ corporis membris peraguntur, sese ostendere debent. Verum exinde minime sequitur, requiri, ut homo ritibus quibusdam externis, & præcise non aliis, sed his, occupetur; multo minus, externis ejusmodi ritibus cultum moralem, qui non tantum animo sed & corpore exercetur, perfici. Quoniam sine his Deus corpore & animo coli potest. Verum Vir Doctiss. hic actum ritualem cum externo confundit, & quoniam ritualis est externus perinde argumentatur, ac si omnis actus externus foret ritualis. Qui perpetuus illius in hac argumentatione error est.

Sacrificia Abelis, &c. unde originem habuerint.

Ad argumentationem ipsam respondeo: Credibile mihi esse, à Deo non esse sacrificia præscripta Abeli, Caino, aliisque qui ante legem vixerunt hominibus: Nulla enim illius præcepti divini in Scriptura occurrunt vestigia: Sed ea ex pio hominum motu profluxisse, qui ratione duce cognoverunt, Deum esse colendum, eique, ut supremo benefactori, pro beneficiis gratias esse agendas: credidisse autem illos, se externo quodam actu gratum animum Deo oportere testari; idque commodissime fieri, si partem bonorum sibi à Deo datorum peculiariter Deo consecrarent, & in honorem Dei destruerent. An porro crediderint, se sacrificiis suis propitiationem facere pro peccatis, nunc non inquiram; quia illud extra disputationis nostræ limites est. Exinde liquet, sacrificia illa primorum hominum, originem quidem debere pio animi motui, à lumine rationis seu lege naturæ dictato: Is autem animi motus non præcise dictavit ritum quendam externum esse exercendum, multo minus, non alium esse præstandum quam sacrificium; sed solummodo, sacrificium istiusmodi, è pio animi motu profectum in animi grati testimonium, Deo esse acceptum. Itaque animum gratum ut cultum necessarium naturæ lumen dictavit; sacrificia autem ut necessario, & immediate ex animo grato profluentia, non præcise præscripsit; sed potuerunt ea esse inventionis mere humanæ, ex pio tamen animi motu procedentia; quæ Deus respectu animi pii qui ea dictavit, accepta habuit, & in prima illa mundi ætate, cum se voluntatemque suam nondum lege scriptâ hominibus revelavit, tacitam apud se approbationem habere voluit.

Non sunt indicium, Deum velle sacrificia esse perpetua.

Verum ex illa universali consuetudine, & lege rituali postea toti populo Israëli præscriptâ, minime sequitur, Deum velle, ut ritus isti externi in perpetuum observentur, & nunquam cessent. Contrarium ego concluderem: Deus, in mundi infantia, cum nondum voluntatem suam per præcepta, promissa ac minas revelaverat, sed monitis tantum quibusdam generalibus dictamen rectæ rationis confirmavit & illustravit, approbavit pium illum animi motum, quo homines proprio instinctu inducti fuere ad sacrificia ipsi offerendum: Postea lege lata magnam rituum externorum farraginem populo Israëlis præscripsit, ut se genio populi illius accommodaret, & per ritus illos populum ab aliis populis segregaret, & ab idololatria gentili, in quam totus propendebat, averteret, donec Messias, populo illi promissus, venturus esset: Ergo cultus ille externus non est cultus perfectus, qui per se Deo placere potest, neque semper observari debet; sed solummodo, usque ad tempus illud, cui subservire debuit. Tempore isto adveniente, cessantibus causis ob quas cultus ille introductus fuit, idololatria gentili ex-

 stincta,

stincta, gentibusque ad cultum unius Dei Israëlis conversis, atque ita populorum discrimine abolito, cultus ille externus & carnalis, utpote complementum suum habens, cessare debet, & spirituali ac interno ut perfectiori, tanquam umbra corpori, cedere. Neque ex cultus illius cessatione concludi debet, religionem Christianam, in qua ille cessat, à Deo non esse profectam: Sed ex religionis Christianæ divinitate, solidis argumentis adstructa, concludendum est, eum cessare debere, & sapientiam divinam eum olim, non ut perfectum, sed ob alios fines ad tempus instituisse; qui cum complementum suum habuerunt, ille etiam sponte cessare & evanescere debuit.

CAPUT III.

Ob quas causas Deus cultum externum possit abrogare.

Lex ritualis minori in pretio est apud Deum quam moralis.

EGo, ut evincerem, cultum ritualem per se Deo non esse gratum, inter alia hoc argumento usus fueram. Quod Deus aliquando legem ritualem impune violari permiserit. Vir Doctiss. non tantum non negat, sed & agnoscit, Deum, siquidem velit, legem ceremonialem posse abrogare: verum ne conclusionem meam admittere cogatur, aliam causam ob quam Deus legem ritualem abrogare possit, excogitavit, consentaneam ejus opinioni, quam de rituum excellentia & præstantia habet: quam cum capite præcedente satis confutaverim, necesse non est, ibi dicta repetere. Tota argumentationis vis breviter huc redit. Quod *Deus cultum externum ritualem abrogare possit, quia est summa cultus interni perfectio: illius itaque oppositum* (fortasse absentia) *non est positive malum, sed tantum privatio majoris perfectionis ipsius boni. Cultum vero moralem & internum abrogare non potest, quia est suapte natura & simpliciter bonum; & bono contrarium Deus, utpote infinite sanctus & bonus, velle non potest.* Verum supponit, quod jam evertimus, cultum ceremonialem perfectionem summam esse cultus moralis, qui cultum moralem in se contineat, & *perficiat, ut perficiens suum perfectibile.* Sed cum hoc capite præcedente fuse sit refutatum, tota illa argumentatio sponte collabitur. Nec video, qua ratione, quod Vir Doctiss. hic tam crebro inculcat de majore perfectione cultus ritualis præ morali & interno, conciliari possit, cum iis quæ scribit in scripto suo secundo *ad Quæstionem quartam: pag. 11. Cum divina majestati externus cultus absque interno placere non posset, reprehendit sæpe Hebræos, qui externo cultui, utpote faciliori, intenti, ab aliis vitiis & peccatis non abstinerent.* Ecce Virum Doctiss. disertis verbis affirmantem, non tantum, quod cultus externus sine interno Deo placere non possit, sed & quod interno sit *facilior.* Atqui, quæ ratio credere permittit, cultum faciliorem præstare majoris esse perfectionis, quam difficiliorem? Etiam ipse Deus aperte contrarium de cultu ceremoniali pronuntiat: Inter alia *Jerem.* VII. 22.

Non

Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum: Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, &c. Cum itaque ipse Deus pronuntiet, se cum beneficium illud ingens liberationis ex Ægypto populo Israëlis præstitit, nihil ipsis præscripsisse de victimis, sed quod legem illam demum post præstitum illud beneficium tulerit; eo ipso satis ostendit, legem illam ritualem non tanto apud se esse in pretio, neque illius se observatione proprie induci, ut populo benefaciat; sed cultu morali, qui in eo occupatur, quod audiant vocem Domini, &c. Vera ergo causa, quod Deus cultum ceremonialem non instituere, aut semel institutum abrogare possit, hæc est: Quia cultus ille in se & natura sua bonus non est, sed indifferens, & solummodo obstringit, quando jussu & autoritate summi legislatoris necessarius est redditus: ac proinde illius natura non est immutabilis: Sicut enim in arbitrio legislatoris fuit, actus indifferentes lege sua non præcipere ut necessarios; ita etiam, postquam præcepit, novo præcepto obligationem illam solvere, contrarios ritus præcipere, quin & à totius legis ceremonialis vinculo homines absolvere potest, & maxime, cessantibus illis rationibus, ob quas Deus olim sapientissimo consilio ritus illos præcepit: salvo interim manente cultu morali, cujus officiis, tanquam per se & sua natura honestis, cujusque rationes æternæ sunt & immutabiles, Deus proprie ac vere colitur.

Positivum præceptum Adamo datum non fuit perfectio legis naturalis.

Pergens Vir Doct. in hac sua probatione, aliud argumentum desumit è S. Literis. Sed non video, quomodo hoc serviat materiæ quam nunc excutimus; potius ad præcedens caput referendum videtur. Ait *Deum in primo mundo sola naturæ lege non fuisse contentum: sed Adamo præter naturæ legem interdictum de comedendo fructu arboris scientiæ boni ac mali dedisse: & post diluvium, Noë & filiis præceptum de abstinentia à sanguine dedisse; & utrumque quidem, ad majorem hominis perfectionem.* Præceptum Adamo datum fuisse positivum, negari nequit. Sed quomodo probabit Vir Doctiss. id ad majorem hominis perfectionem serviisse? Sane Adami in statu integritatis alia longe quam reliquorum hominum ratio fuit. Lex naturæ, cujus transgrediendæ nulla tum occasio erat, Adamo non tam fuit lex, officium promisso præmii & comminatione pœnæ præscribens; quam naturalis instinctus, quo Adamus sponte propendebat & incitabatur ad faciendum illi consentanea. Non itaque per legem naturæ experimentum aliquod obedientiæ, quæ proprie consistit in abstinentiâ à carni gratis & patratione carni ingratorum, reverentiâ legislatoris, ab Adamo Deus capere potuit. Ut itaque illius experimentum aliquod habere posset Deus, requirebatur, ut positivum aliquod præceptum, à naturæ lege non dictatum, Adamo præscriberet, continens interdictum rei gratæ; ut ita occasionem haberet, interdicti exacta observatione, quæ molestiam aliquam in se includebat, obedientiam suam, vel violatione ac transgressione, cum voluptate quadam & obsecutione appetitus sensitivi, inobedientiam suam testatam faciendi. At quomodo exinde concluditur, præceptum positivum legis naturalis esse perfectionem? & postquam violatione præcepti divini lumen naturæ induit rationem legis, & homines spe præmii & metu pœnæ ad officia alias ingrata compellit, legem ritualem semper legis moralis perfectionem fuisse? Fidiculis opus est ad hoc eliciendum. Præceptum Noacho datum de non comedendo sanguine si positivum esse velit Vir Doct. uti meo judicio est, nulla major vitæ perfectio est in eo, qui interdicti divini reverentiâ ab esu sanguinis abstinet,

net, quam in alio, cui nullam de abstinentia ab esu sanguinis legem Deus præscripsit, ac proinde licite sanguinem edit, modo moralium observationi intentus, Deum juxta naturæ legem sincere & ex animo colit. Neque ullum, quo contrarium probetur, adfertur argumentum.

Errores Viri Doct. circa rel. Christ.

Tandem Vir Doctiss. putat se idem ex Euangelio, & communi Christianorum de doctrina Euangelii sententiâ confirmare. Quærit ergo Vir Doct. *an non doctrina Euangelica omnium præcedentium doctrinarum summa sit perfectio?* Affirmo. Pergit: ***An non potuisset Deus, si voluisset, neque in mundum venire, neque eam doctrinam hominibus præstare, sed eos in solo cultu interno, qui omnibus fuerat lex communis, perseverare velle?*** Et hoc affirmo. Sed quid jam exinde inferre cupit? ***Deus, ait, nullo tempore vel suspendere internum cultum, vel eum differre, vel non velle potuit: Sed Euangelica doctrina, quia interno cultu & moralibus omnibus perfectior est, seu cultus interni summa perfectio, potuit à Deo sua sanctitate indemni, per multa sæcula non præcipi, vel nunquam dari: Sed quare hoc? Nisi quia Euangelica doctrina est summa perfectio, absque qua posset homo interno cultu simpliciter servato, esse Deo gratus; quia perfectioni Euangelicæ oppositum non est malum, sed majoris perfectionis negatio.*** Multa in hac argumentatione occurrunt, ex quibus evidenter liquet, naturam ac genium religionis Christianæ Viro Doct. parum esse cognitam, ejusque qualem qualem habet cognitionem non tam ex divinis Apostolorum scriptis, ubi pure & sincere tradita est, sed ex impuris Monachorum, inter quos natus & educatus est, lacunis ab ipso haustam, ubi misere est deturpata ut vix agnosci possit. Doctrinæ enim Euangelicæ observationem non credit necessariam ut Deo placeamus, ejusque oppositum non esse malum, sed majoris perfectionis tantum negationem: Perinde quasi consilia tantum contineat, perfectionem anhelantibus tantum necessaria; non autem ut pii & boni evadamus; ac proinde sine quibus salus æterna apud Deum obtineri potest. Deinde, distinguit inter cultum internum, & doctrinam Euangelicam: quasi ea cultum quendam externum, seu opera externa ac ritus, exigat, qui cultus interni perfectio sint, quæ accedat iis, qui cultum internum præstantes jam in statu salutis coram Deo sunt. Hæc in Euangelio nusquam reperiet; illud enim cultum spiritualem seu moralem, interna animi pietate actibusque illi consentaneis, constantem, requirit: nullos vero externos ritus, ut majorem perfectionem, præscribit: præceptaque sua omnia observatu necessaria dicit, non ut majorem, quam quæ simpliciter ad salutem necessaria est, perfectionem acquiramus, sed simpliciter ut salutem adipiscamur: imo sine quorum observatione salus obtineri minime possit. Ideoque totum ipsum argumentum à scopo plane aberrat.

Libera Dei dispensatio circa rel. Christ.

Ut itaque directe respondeam, dico; Potuisset Deus, siquidem voluisset, Filium suum non in mundum mittere; missio enim illa actus est indebitus ac plane spontaneus summi amoris ac benevolentiæ divinæ: potuisset solam naturæ legem, sive rectæ rationis lumen, hominibus dedisse, per quam, siquidem eam plene servasset homo, Deo potuisset esse gratus. Sed quid si homo legem illam naturæ transgrederetur, seque variis illius transgressionibus reum pænæ coram Deo constitueret; non perinde potuit illa lex culpæ reatum auferre, hominemque in gratiam cum Deo reducere, ne quidem licet prioris delicti pœnitentiam ageret. Non enim sequens vitæ emendatio prioris delicti reatum per se tollit; sed culpam remittere solius gratiæ, quæ indebitus est

est favor, opus est. Addo; Potuisset Deus, siquidem voluisset, pro absoluto suo, quod in omnia habet, dominio hominibus peccata remittere gratis, ab iisque exigere observationem legis naturæ ut salutem æternam consequantur: Potest quippe Deus pro arbitrio de beneficiorum suorum dispensationibus statuere prout libet: Non tamen propterea homines virtute legis naturalis vitam æternam consecuti fuissent, sed gratiâ Dei: Nullius enim legis ea est virtus, ut per se peccatorem in gratiam cum Deo reducere queat; neque ulla resipiscentia, seu obedientia quæ post admissum peccatum præstatur, præcedentis peccati remissionem sua virtute promereri potest: sed tantum est officium debitum, non novæ gratiæ meritum, quæ indebitus ac immeritus favor est. Dei ergo solius cum sit, peccata remittere; ita etiam modum ac conditionem præscribere, qua præstita remissionem concedere velit. Hæc autem doctrinâ Euangelicâ continetur, quæ omnium quidem doctrinarum perfectio est, non tamen præcepta habet positiva, qualia Lex, sed legi naturæ per omnia congruentia, quæque lex naturæ, seu recta ratio, sibi per omnia consentanea apprehendit: Quæ ergo non sunt cultus naturalis perfectio, per additionem rituum nihil cum ipsa commune habentium, uti Vir Doctiss. asserit de Lege; sed per dilucidam ac plenam legis naturalis explanationem.

Ut clarius dicam: Lex Euangelica nihil præcipit (duos tantum ritus, qui minima ipsius pars sunt, excipio) à lege naturæ diversum; sed defectus quosdam, quos naturæ lex non quidem approbat, sed nec præcise damnat, tollit; ac majorem quandam in virtute perfectionem (quam lex naturæ non præcise quidem exigit & præscribit, sed tamen approbat, laudat, ac tanquam generosæ virtutis actus veneratur) ut salus obtineatur necessariam docet; atque ita sanctitatem exigit naturæ legi per omnia consentaneam, attamen abundantiorem & eminentiorem, quam sola naturæ lex præscribere potuisset. Ex: Gr: Inimicum odisse naturæ lex non præcise damnat; agnoscit tamen aliquid ei inesse defectum: inimicum diligere non præcise jubet; agnoscit tamen amorem illum, eximium generosæ virtutis esse actum, eumque exercentes laudibus in cælum extollit. At Christiana religio defectum illum sustulit, & quod lex naturæ non præcise damnat, illicitum pronuntiat; adeo ut nunc inimicum odisse violatio sit præcepti Euangelici. Similiter quod lex naturæ non præcise exigit, sed tamen ut virtutis actum eximium approbat, amoris Christiani necessarium officium esse docet, & aperte præcipit: Ita ut inimicum diligere, illi benefacere, pro eo orare, officium sit, sine quo Deo placere, ejusque favorem obtinere nequeamus. Atque idem in aliis, quæ Euangelium excellentiora habet præ lege naturæ, præceptis locum habere, singula inspicienti, & cum naturæ lege conferenti, manifestum evadet. Interim licet ipsa naturæ lex hæc præcise non exigat, nihil tamen hic præcipitur, quin ab ipsa approbetur; & accedente vitæ æternæ promisso præcepta hæc, quibus officiorum horum præstatio necessaria exigitur, sibi quammaxime consentanea, imo ex lumine suo derivata, agnoscit. Qui in doctrina Euangelica alterius generis præcepta quærunt, quorum observatio ad salutem necessaria non sit, sed consilia tantum sint à majoris perfectionis studiosis observanda, eam misere pervertunt, & vim illius enervant.

Præcepta rel. Christ. perfectiora præceptis legis naturæ.

Neque in contrarium facit præceptum Domini, *Vende omnia quæ habes.* Non enim Dominus docere voluit, actu isto venditionis bonorum omnium, & distributione in pau-

Sensus præcepti, vende omnia quæ habes.

pauperes, contineri perfectionem majorem observatione legis divinæ; & quæ necessaria non sit, ad acquirendum salutem æternam: Nam religio Christiana alia exigit officia multo præstantiora, qualia sunt, dilectio inimicorum, abdicatio vitæ pro nomine Christi, aliaque, sine quibus salus obtineri nequit: Præterea ipsum actum venditionis & abdicationis bonorum in se spectatum non esse summam perfectionem, vel exinde liquet, quod absque charitate esse possit, & si sit sine charitate nihil profuturus sit ad salutem, docente id Apostolo Paulo, *1. Corinth. XIII. 3. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et si eo maxima contineretur perfectio, Dominus eum procul dubio mandasset Apostolis suis: Atqui illi etiam post vocationem ad apostolatum habuere navigia & retia sua, quæ subinde repetivere ad piscandum: Joannes habuit propria sua, id est, propriam domum, *Joan. XIX. 27.* Non ergo hæc est perfectio omnibus Christi discipulis non mandata ut ad salutem necessaria, & solummodo tanquam consilium commendata iis, qui majorem gloriæ gradum in vita æterna quærunt: prout cum Monachis Vir Doctiss. credit. Quod & exinde porro evincitur: Quia juvenis, cui Dominus hoc mandat, non quærebat quid sibi faciendum esset, ut majorem quam quæ ad vitam æternam necessaria est perfectionem adipisceretur: sed, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam.* Cum itaque Dominus primo ipsi dixisset, *Serva mandata*: Ipseque respondisset, se ea à juventute custodivisse, & porro quæreret, quid sibi deesset, Dominus respondit, *unum tibi deëst*: Quod sane ad præcedentia referendum est: Unum tibi deëst, ad vitæ æternæ consecutionem. Quare quod additur, *Si vis perfectus esse*: Non significat, si majorem vis perfectionem, quam quæ necessaria est ut vitam æternam consequaris: sed si vis habere illam perfectionem, quam Deus requirit ad salutem: vel, si vis à me perfecte instrui, & præstare quæ tibi necessaria sunt ut vita æterna doneris; age, vende quæ habes, & sequere me: Quasi dicat: Doctrina mea requirit, ut te ipsum abneges, omniaque quæ hic tibi cara sunt; & quando occasio exigit, id opere ipso testeris: Quare, quoniam vitæ regulam, ut vitam æternam consequaris, à me exigis, animus tibi à rebus hujus mundi abstrahendus est; quoniam doctrinæ meæ sectatoribus persecutiones & afflictiones imminent, quibus alacriter pro nomine meo ferendis idoneus non est, quicumque animum habet divitiis affixum, curisque mundi hujus gravatum. Hoc autem nunc testatum redde facto aliquo eximio: vende quæ habes, & da pauperibus: atque ita à vitæ hujus negotiis expeditus, sequere me. Atque ita apparet, præceptum hoc nihil continere speciale, quod non à quovis Christiano simili in casu exigatur, & quod ratio recta unumquemque hominem eo in statu facere jubet.

Discrimen inter præcepta Evangelii, & ceremoniales legis.

Quæ jam est similitudo inter præcepta doctrinæ Euangelicæ & legis ceremonialis, ut de ea, perinde atque de Euangelio dici possit, quod legis naturalis seu moralis perfectio sit? Doctrina enim Euangelica, uti ostendi, legis naturalis perfectio est, quia defectus, quos lex naturalis tolerat, tollit ac damnat; & actus eximios, legi naturæ consentaneos & ab ea laudatos quidem, non tamen præcise præscriptos, necessarios observatu mandat: Unde sequitur, eam respectu præceptorum moralium præstantiorem esse lege naturæ; & cultum Dei, ad illius mandata expressum, esse magis eximium & honestatem seu sanctitatem vitæ perfectiorem continere, quam qui præstatur solummodo consentaneè legibus à lumine naturæ dictatis. Quid simile habet lex ceremonialis?

nialis ? An ea præceptis moralibus majorem confert perfectionem, & consequenter rituum observatio cultui morali juncta ejus officia reddit magis eximia, ita ut dici debeat, castitatem aut justitiam ac liberalitatem Judæi eam solam ob causam esse præstantiorem castitate, justitia ac liberalitate Christiani, quia Judæus est circumcisus aliasque legis ceremonias observat, Christianus non ? Sed quis non videt, id ineptum esse ? Quæ enim communio inter ritus, & officia castitatis ac justitiæ ? Vel an præcepta ceremonialia partem faciunt cultus divini, ita ut cultus integer constet ex virtutibus moralibus, & ritibus seu ceremoniis tanquam partibus integrantibus ? Si hoc velit; nec sic dici potest, cultum ceremonialem perfectionem esse cultus moralis : Quia cultus moralis ceremoniali confert suam dignitatem, adeo ut ceremonialis sine morali nullam pietatis rationem habeat, nec Deo gratus sit; uti Deus passim per Prophetas testatur, & ipse Vir Doct. agnoscit : moralis autem per se Deo placet. Tantum itaque abest, ut cultus ceremonialis perfectio sit moralis, ut contrarium sit dicendum, quod moralis cultus perfectio sit cultus ceremonialis. Adde, quod tot ceremoniarum rigida exactio homines in sedula ipsarum observatione occupatos detineat, atque ita aliquatenus à debita legis moralis observatione avocet, uti antea ostendi.

CAPUT IV.

Quod lex ceremonialis à Deo non sit data ut nunquam desineret.

PErgit Vir Doctiss. & contra me probare intendit, Deum legem ceremonialem non dedisse eô fine, ut unquam desineret. Idque primo ex ratione congruentiæ colligit : *Quia lex ritualis perfectior est lege morali : Deus siquidem à majore perfectione ad minorem descendere non solet.* Verum cum jam ante evidenter satis probaverim, legem ritualem dignitate cedere morali, simul argumentum hoc corruit : & juxta Viri Doctiss. collectionem contrarium inde concludendum foret : Deus à majore perfectione non solet descendere ad minorem ; sed quidem à minore perfectione adscendere ad majorem : Sic Noacho paucissima quædam præcepta dedit : Postea plenius se revelavit Abrahamo, inito cum ipso fœdere. Exinde toti Israëli legem dedit per Mosen, multa continentem præcepta, non tantum moralia, sed & ceremonialia, ac promissis & minis sancitam. Inde sequitur, quæ postremis hisce temporibus per Filium ipsius Jesum Christum promulgata est, etiam præstantiorem esse prioribus : Ac proinde, cum nunc exigat cultum mere spiritualem seu moralem, absque ceremoniis ac ritibus; recte sequitur cultum mere moralem perfectiorem esse cultu ex morali & ceremoniali mixto. Hæc sufficiant, ad imbecillitatem argumenti hujus ostendendum. Quæ porro hic repetit, de ritibus quibusdam, quibus lex moralis perficiatur, ut & quæstio, qua quærit, *an lex moralis perficiatur per actus quosdam ritibus istis contrarios*, plane extra oleas sunt: Præterquam enim quod ritibus actus quosdam morales, ex chari-

Retorsio argumentationis Viri Doct.

tate

tate proximi profluentes, immiſcet, omnia antehac pluries dicta ſunt, & à me refutat. Itaque ne actum agam, ad ſequentia pergam.

Explicatio Viri Doct. vocis perpetui admittitur.

Poſt argumentum à ratione congruentiæ deſumtum, addit aliud Vir Doctiſſ. è Scriptura Sacra. Sed primo præmonet, quod *Dominus pro cultus illius perpetuitate ea phraſi non utatur, qua ſua æternitas deſignari ſolet.* Atqui ſuperflua eſt illa præmonitio. Quis enim ejuſmodi legis perpetuitatem ſomniet? Nec ego ejuſmodi locum exegi. Præmiſſa præmonitione iſtâ addit; *S. Literas pro perpetua legis duratione reſpectu Iſraëlis, qui aliquando cum mundo finem habebit, uti omnibus phraſibus, quibus abſolute conſtet, Deum nunquam derelicturum populum ſuum, neque quam dedit legem mutaturum, præcepta, judicia, atque ceremonias.* Et prolatis aliquot Scripturæ Sacræ phraſibus, in quibus potiſſimum occurrit vox *perpetui*; exinde concludit, *quia eâdem perpetuitatis voce in rebus donec mundus perſeveraverit duraturis, Spiritus divinus utitur, ut* Jerem. v. 22. *etiam quando eadem voce de legis duratione loquitur, quod ſenſus ſit, legem juxta Iſraëlis vitam ſubſtituram, & ab Iſraële obſervandam, donec Iſraëlita vivi eſſent ſuper terram.* Gratulor mihi hanc vocis *Perpetui* à Viro Doctiſſ. datam interpretationem, quæ diſputationi noſtræ elucidandæ non parum inſerviet. Ex illa ſiquidem liquet, non ſemper eandem illius eſſe ſignificationem; ſed alio ſenſu accipi quando de Deo, alio quando de rebus creatis uſurpatur. De Deo uſurpata, ſignificat omnimodam æternitatem, quæ ſicut principio caret, ita nec finem habitura eſt. Rebus creatis attributa, ſignificat non durationem nunquam finiendam, ſed, accommodate rebus quibus tribuitur, durationem non finiendam & continuo permanſuram, quamdiu natura earum permittit quod durare poſſit. Quod egregie confirmat locus à Viro Doct. ex *Jerem.* v. 22. allegatus: *Qui diſpoſui arenam terminum mari ſtatuto perpetuo, quod non tranſgredietur:* Quod, ut recte monet Vir Doct. non ſignificat æternitatem; ſed immutabilitatem in natura, quamdiu mundus hic eſt duraturus: Quando enim mundus hic abolitus erit, etiam arenam non amplius mari fore terminum, manifeſtum eſt. Ita de ſervo, qui elapſo anno ſeptenario apud dominum ſuum manere voluit, dicitur, *ſerviet ei in perpetuum*: *Exod.* xxi. 6. Qui tamen anno jubilæi dimittendus præcipitur: *Levit.* xxv. Itaque *ſerviet in perpetuum*, *Exod.* xxi. 6. conſentaneè explicationi Viri Doct. ſignificat, ſerviet, vel erit ſervus ei, quamdiu ſervitus juxta legem in populo Iſraëlis perdurare potuit, ad annum nimirum jubilæi, qui omni ſervituti in Iſraële finem imponit. Qui itaque ſervus eſt, quamdiu lex permittit ſervitutem durare, *perpetuo*, ſeu *in ſæculum* ſervus eſſe dicitur, oppoſite ad illum, qui anno ſeptimo dimittebatur. Eodem modo cultus ceremonialis vocatur *cultus perpetuus*, *fœdus perpetuum*, &c. quia ab Iſraële obſervari debet, quamdiu Deus eum vult eſſe populum ſeparatum, & ab omnibus aliis populis diſtinctum; ac proinde, quamdiu natura ceremoniarum permittit, ut obſervari poſſint. Sicut enim antea oſtendi, ceremonias illas à Deo introductas, ad ſeparationem inſtituendum populorum; ita etiam quando *perpetuo* obſervari præcipiuntur, id intelligendum eſt, quod non ante earum obſervatio ceſſare debuerit, quam Deus ſeparationi populorum finem eſt impoſiturus, & populos rurſum in unum eſt collecturus: ſeu, quod idem eſt, quamdiu Deus velit, populum Iſraël ſeparatum ac peculiarem eſſe populum, ab omnibus aliis populis diſtinctum: hoc eſt, quamdiu natura illarum ceremoniarum permittit, ut obſervari poſſint. Oppoſite ad leges ac ſtatuta, quæ Deus populo

populo ad tempus dedit in deserto, quæque observari tantum poterant, quamdiu Israël in deserto degebat extra terram Canaan. Sic sacrificia olim debuere offerri in tabernaculo; postea in templo, quod erat ædificium firmum ac immobile, in quo Deus se velle quiescere testatus est.

Sensus Deut. XII. 1.

Jam inquirendum, quamdiu Deus illud populorum discrimen durare voluerit, & Israëlem peculiarem esse populum ab omnibus aliis distinctum. Vir Doctiss. ait, Israelem cum mundo finem habiturum, ac proinde, separatum mansurum populum, donec mundus stabit: Unde paulo post ait, quod ***Deus voluerit legem subsistere juxta Israëlis vitam, dicens, quod eam observarent, donec vivi fueritis super terram.*** Respiciens procul dubio ad verba Mosis, ***Deut. XII. 1. Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris.*** Verum ex illo loco ego contrarium concluderem: Quod Deus præceptorum ac judiciorum illorum observationem alligaverit habitationi populi in terra Canaan; nam quæ sequuntur particularia præcepta, de exscindendis Cananæorum idolis, aliaque, manifeste habitationem in terra illa requirunt: Et quod Deus terram illam ipsi dederit possidendam, quamdiu populus separatus esset futurus. Adeo ut verba, ***cunctis diebus quibus super humum gradieris***, non significent, quamdiu aliqui ex posteritate Israëlis futuri sunt vivi: Nam & qui relicto Judaismo Religionem Christianam sunt amplexi ex posteris sunt Israëlis: At quam diu progenies & posteritas ipsorum durat (quæ licet hominibus, imo sibi ipsis ignota est, Deo tamen omniscio occulta esse non potest) Deus terram Canaan Israëli non dat possidendam. Imo nec quamdiu illi super terram gradiuntur, qui Judaismo pertinaciter adhærent: jam enim ultra sexdecim sunt sæcula, quod terræ illius possessione careant, & extorres degant super terram. Verba itaque illa, ne ulla inter promissum divinum ejusque executionem sit repugnantia, ita sunt accipienda, cunctis diebus quibus Deus vos, ut populum peculiarem, & ab omnibus segregatum, super terra existere velit. Nam quoniam, ut discrimen populorum introduceretur, lex data est; ita etiam, quando nullum amplius populorum discrimen Deus superesse vult, necesse est ut ipsa, naturâ rei id exigente, sponte rursus evanescat.

Deus voluit, ut discrimen populorum in Messia desineret.

Noluisse vero Deum, ut discrimen populorum perduraret ad finem usque mundi, sed in Messia, propter quem institutum erat, rursus desineret, antea prolixe probavi ***Capp. IV. & V. ad Quæstionem secundam.*** Nec certius illius documentum dari potest, quam, quod Deus populum è terra illa ejecerit, & pluribus sæculis in dispersione miserrima detinuerit, quam illius possessionem concesserit; ita quidem, ut omnes eorum genealogias aboleverit, adeo ut nemo nunc ex omnibus qui Judaismum profitentur documentis authenticis probare possit, se vere ex posteritate Abrahami originem ducere. Quanquam enim ego inficias ire nolim, Abrahami progeniem esse, qui nunc eâ se jactant, & Judaismum profitentur: tamen mihi certum est, documentis authenticis neminem ex illis originem suam probare posse. Quod itaque majus ac evidentius signum Deus dare potest, quod populum Israël non amplius peculiarem, & sibi ratione suæ posteritatis carnalis præ aliis gratum, esse velit, quam omnia abolendo documenta, ex quibus solis indubitato eorum origo comprobari potest ac debet? Et quia ceremonias præscripsit in perpetuum observandas, donec populum illum peculiarem & à cæteris segregatum in

terra Canaan existere voluit; sequitur etiam, quando populum illum ex terra Canaan ejecit, simul, ex vi significationis vocis *perpetui*, quam ipse Vir Doctiss. agnoscit, finem observationis ceremoniarum advenisse. Verum de eo paulo post latius erit dicendum.

Cur cultus sub Messia sit prædictus quasi etiam ritualis.

Aliam addit Vir Doct. quam eximiam vocat, probationem: *Quod in omnibus captivitatibus, maxime post redemtionem & Messiæ adventum, ritualia Deus observari jussit, & quod sacrificia & cætera omnia restituenda sunt*: Et ridet Christianos interpretes, qui dicunt, *phrasibus illis adumbrari cultum spiritualem, quem nunc sub Novo Test. Deus observari jussit.* Verum immerito. Ratio enim œconomiæ divinæ, & temporum, quibus hæc à Prophetis prædicta sunt, conditio, omnino requirebat, ut cultus, quem Israël, & gentes cum illo promiscue Deo sub Messia essent exhibituræ, non aliis quam istis phrasibus exprimeretur. Lex enim, quam Deus Israëli præscripserat, cujusque observationem severe exigebat, multa continebat præcepta ceremonialia, quorum transgressionem Deus impunitam dimittere noluit. Hæc itaque severa Dei exactio non permittebat, ut eodem illo tempore cultum, quem sub Messia à populo præstandum esse prædicebat, aliis phrasibus describeret, nisi quibus totus ille cultus, prout tunc exigebatur, repræsentatus fuit. Si enim Deus eodem illo tempore clare indicasset, aliquando cultum ceremonialem cessaturum, facile populus, quem Deus contumacem ac duræ fuisse cervicis passim accusat, se ab illius obligatione solutum credidisset. Quod plane adversum fuisset rationi regiminis Dei, qui per ceremonias populum Israël ab omnibus aliis populis usque ad Messiæ adventum separari, sibique in populum peculiarem sanctificari voluit.

Judæis omnia prius fuere revelata quam Græcis.

Addit hic Vir Doctiss. sarcasmum, quod *Deus spiritualia sub ceremoniarum umbra rudi populo proposuit* (ex mente nimirum Christianorum) *non vero Græcis & Romanis, majore intellectus acumine præditis, seu melioribus legibus dispositis & præparatis.* Verum hic non requiritur acumen intellectus, qui vel mediocriter exercitatus facile deprehendit, in ceremoniis nullum esse cultum per se & sua natura Deo gratum; sed animi probitas, qua divinæ revelationi ac voluntati homo non reluctetur. Ad acumen enim Judæorum, qui in ritibus externis deprehendunt legis moralis ac spiritualis perfectionem, & licet eos Deus absque morali sibi minime gratos pronuntiet, imo detestetur, tamen contra Dei declarationem tantam in illis inveniunt excellentiam, ut cultum internum ac moralem Deo commendent, atque ita verbo divino contraria intelligere norunt, omnium, etiam maxime perspicacium, acies hebescit. Verum enimvero non hæc revelavit Deus Græcis & Romanis, præteritis Judæis: Verum primo typos illos & figuras Judæis clare explicuit, antequam Græcis & Romanis ullam earum revelationem largitus est. Fuit itaque hæc prærogativa Judæorum, ut quæ antea sub typo & involute prædicta erant, & ipsis concredita, ipsis primo omnium clare evolverentur. Quibus cum plurimi ipsorum fidem adhibere noluerint, tum demum Euangelium translatum est ad gentes. Atque ita apparuit, licet Judæi acumine non cederent Græcis ac Romanis, plerosque tamen animi fuisse minus docilis magisque præfracti: & (si qui ea opinione, qua nunc Vir Doct. fuere imbuti, ceremonias perfectionem esse cultus moralis) acumine suo se ineptos reddidisse, ut in Euangelii simplicitate & cultu spirituali sapientiam divinam agnoscerent.

Sed

Ceremonialis absque morali Deo non placet.

Sed requirit Vir Doctiss. ut Christiani probent, *cultum ceremonialem aliquando mutandum.* Et merito. Hoc itaque nunc faciendum. Tria, quibus id probem, adhibui argumenta. Primo: Deum jam olim non tantum sæpius declarasse, cultum ceremonialem per se absque morali sibi neutiquam esse gratum; sed & per Prophetas ea prædixisse, quæ licet verbis expressis non contineant, cultum ceremonialem desiturum, illud tamen insinuant: quoniam illorum impletio cum cultu ceremoniali consistere non potest: Ac proinde, licet obscurior eorum olim ante impletionem fuerit intellectus, prout omnium Prophetiarum; tamen accedente impletione, & accurata Prophetiarum cum illa institutâ comparatione, facile cognosci potuit, illum Prophetiarum, quem impletio indicat, fuisse sensum. Deus itaque involutiore locutione est usus, ut à pervicaci populo, dum adhuc subsisteret Lex, nihil ejus autoritati detraheretur, populusque sibi indulgeret legem non observando; ita tamen, ut cum tempus abrogationis adesset, dignosci potuerit, Deum hoc prædeterminasse & prædixisse.

Cultum ceremonialem absque morali Deo neutiquam placere, adeo evidens est in Scriptura, ut ipse Vir Doctiss. id agnoscat. Putat vero, se in antecedentibus ostendisse, minime exinde liquere, ceremonialem cultum Deo minus esse gratum, quam moralem ac internum. Itaque quoniam omnia, ad quæ Vir Doct. provocat in antecedentibus fuse à me sunt refutata, ad alia pergam.

Insinuavit Deus eum desiturum.

Deum involutius prædixisse cultum ceremonialem desiturum, seu ea prædixisse, quibuscum cultus ceremonialis apte consistere nequit, quæque proinde eum desiturum & evaniturum involvunt, hoc argumento probo. Prædixit Deus sub Messia omnes gentes ad unius veri Dei cultum adducendas, *Esa.* XI. 2, 3. *Mich.* IV. 1, 2. *& seqq.* *Esa.* XI. 10, 11. XLIX. 6. LX. & pluribus aliis locis, quæ commemorare longum foret, præsertim cum hoc ipsum Judæi agnoscant & urgeant. Atqui præcipua pars cultus, quo Israël à gentibus discernebatur, fuere sacrificia, reliquæque partes cultus, quæ Hierosolymis in templo fieri debebant, & quovis alio in loco peragere illicitum fuit. Unde & *gentes adscensuræ* dicuntur *ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob*, *Esa.* II. 2, 3. & *omnis caro ventura ut adoret ante faciem Domini*, *Esa.* LXVI. 23. Atqui Deum hæc noluisse proprie accipi, quod gentes essent venturæ Hierosolyma, atque in templo oblaturæ victimas; sed sub figura sacrificiorum quibus cultus constabat, & adscensionis in templum Hierosolymitanum, in quo totus ille externus cultus peragi debebat, voluisse Deum adumbrare cultum verum ac spiritualem, quem omnes gentes Deo exhibituræ essent sub Messia, vel ex eo solo liquet: Quod fieri non possit, ut cultus ille ceremonialis ab omnibus gentibus observetur; Quoniam in remotioribus regionibus habitantes, uti nos, & nobis remotiores, Hierosolyma in quovis casu qui sacrificium juxta legem exigit adscendere nequeunt; neque quotannis ter eò confluere, ad festorum celebrationem. Cui accedit; Quod Scriptura expresse dicat, *altare* futurum *in terra Ægypti, & Ægyptios Dominum culturos in hostiis & muneribus*; *Esa.* XIX. 19. *& seqq.* Et quod *in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini* Domini *oblatio munda*: *Malach.* I. 11. Quod tamen juxta legem alibi quam Hierosolymis fieri illicitum erat; *Deut.* XII. *coll. cum* I. *Reg.* IX. Ut itaque hæc concilientur, necesse est ut dicamus hæc non esse proprie accipienda de altari & sacrificiis; sed quia Deus illo tempore colebatur per sacrificia, per ea adumbrari cultum qui Messiæ temporibus locum esset habiturus: quemad-

modum ex locis *Psal.* L. 14. LI. 19. *Esa.* LXVI. 2. in priore meo scripto probavi, sub figura sacrificiorum officia cultus moralis adumbrari, quin & sacrificiorum appellatione insigniri.

Ipsius E-sa. XIX. 19. *Deprecatur* me Vir Doctiss. *ut utrumque textum attente velim inspicere; & quod priorem attinet, considerare, quo in loco tum sit futurus Israël inter gentes: & an ea, quæ ibi prædicuntur tempore Christi, vel postea fuerint impleta.* Sane inspexi, legi & relegi textum; verum alium illius sensum ab eo quem dedi deprehendere nequeo: Et quæ ibi prædicuntur tempore Christi impleta video. Ægyptus enim Christi tempore ad veri Dei cultum est conversa, & nomen divinum in tota Ægypto invocatum, quod per *altare* & *sacrificia* adumbratum est. At inquit Vir Doctiss. *hodie pro earum regionum possessione totum negotium stat pro Mahometanis, antea pro Romanis.* Resp. non prædicitur, quis dominator sit futurus in terra Ægypti; sed verus Deus in terra Ægypti colendus. At sive Romani, sive Græci, sive alii populi Ægypto dominentur, verus Deus inibi coli ac adorari potest: Quemadmodum & tota terra Ægypti ad verum Deum & religionem Christi olim est conversa. Quod nunc à Mahometicis possideatur, non infringit Prophetiæ veritatem: Deus enim Euangelium in Ægyptum mittendo, & Ægyptios ad Christum convertendo, prædictionem Prophetæ implevit. Si postea ob Euangelium indigne habitum populum illum in manus Mahumetanorum tradidit, qui religionem Christianam non quidem penitus in eo oppresserunt, valde tamen afflixerunt, suamque Mahumeticam introduxerunt, eo non infringitur Prophetiæ veritas. Siquidem Deus jam olim promissum suum implevit; & quod beneficium istud non sit perpetuum, Deus non est in causâ, quasi qui promisso suo desit; sed homines, qui erga beneficium sibi jam collatum ingrati, & nova contumacia gratiam divinam conculcantes, justo Dei judicio traditi sunt in potestatem hominum, qui veritate oppressa erroris & seductionis thronum erexerunt.

Ex Malach. I. 11. Quod locum Malachiæ attinet, quanto eum attentius considero, tanto evidentius eum, quod intendo, comprehendere video. Verum est, non dicit ibi Deus, sacrificia post Messiæ adventum fore inutilia: Sed aperte prædicit, *omni in loco sibi offerendam hostiam mundam*: Cum autem juxta legem Deo hostiam offerre non liceret extra templum Hierosolymitanum (quare nec hodie Judæi, è terra sua expulsi, & templo destituti, ullas Deo hostias offerunt) manifestum est, hæc verba proprie non esse accipienda; sed per figuratum loquendi modum, Sacris Scriptoribus valde familiarem, per *hostiam mundam*, quæ olim erat ratio colendi Deum maxime conspicua, intelligi cultum purum ac sincerum, quem omni in loco homines ad Deum conversi sunt exhibituri, seipsos ac corpora sua sistentes hostiam sanctam, vivam, Deoque beneplacentem.

CA-

CAPUT V.

Quod Deus cultum ceremonialem aliquando cessare voluerit.

Cessatio cultus ceremonialis per cultum perfectiorem, & eversionem templi.

HIsce per Prophetas prædictis, ex quibus Judæi non quidem plene percipere poterant, cultum ceremonialem penitus desiturum, attamen aliquid circa eum debere contingere, quod quale futurum esset distincte nondum percipiebant, cujusque plenam patefactionem per ipsam Prophetiarum impletionem exspectare debebant; Placuit Deo, definito à se ante sæcula tempore, Filium suum, populi redemtorem ac diu per Prophetas promissum Messiam, in mundum mittere, & per illum mutationem illam in cultu ceremoniali efficere, atque ita reipsa plenum ac ultimum prædictionum suarum sensum, antea involutum & minus notum, patefacere & in apertum producere: Introducendo nimirum cultum perfectum & spiritualem, qui non purgatione corporis, sed animi constaret, per externum illum tanquam figura adumbratum; ac proinde ad cujus præsentiam externus ille cultus, tanquam umbra ad præsentiam corporis, sponte esset evaniturus. Cui accessit eversio Reip. Judaicæ, & destructio templi, cui potissima & maxime conspicua cultus ritualis pars alligata erat; quo ipso Deus Legis abrogationem, jam per Euangelium factam, oeconomiæ illius eversione, in sæcula duratura, confirmavit, & evidentissimo documento declaravit, ceremoniarum illarum finem advenisse; utpote quæ adventante cultu perfectiore ac spirituali jam languentes & morti vicinæ, per templi eversionem honeste sepulturæ sunt traditæ.

Templo tota ceremoniarum majestas fuit alligata.

Hic Vir Doctiss. acriter obsistit, & minimam ceremonialis legis partem templo fuisse alligatam contendit, nimirum sacrificia. Verum si quis rationem sacrificiorum Judaicorum, omniaque quæ sacrificiis annexa erant, consideret, totam templi cum omnibus suis partibus structuram, tam multiplicem vasorum sacrorum apparatum, totum illum ordinem sacerdotalem, ritusque qui tum in consecratione & inauguratione Pontificis Maximi, tum in toto eorum ministerio observandi erant, tum & quotidiana sacrificia, & multiplices oblationes quæ pro peccatis ex ignorantia commissis quotidie creberrima offerri debebant, aliaque mundationum genera, quin & omnia Levitarum ministeria, quæ templo alligata erant, ambigere nequaquam poterit, quin tota ceremoniarum majestas templo alligata fuerit, ac proinde, templo destructo potissimam & maxime augustam ceremoniarum partem evanuisse. Observari possunt, & etiamnum hodie à Judæis observantur ceremoniæ quædam, templo non alligatæ: Verum illæ exiguæ sunt, & neutiquam splendore conferendæ cum illis, quæ una cum templo evanuerunt. Pascha celebratur, sed valde mutilum; præcipua enim ejus pars, mactatio agni, & postium domus illius sanguine aspersio, in qua potissima beneficii illius divini adumbratio est, destructo templo observari nequit. In festo expiationis

Pontifex olim in Sancti Sanctorum, omnibus inaccessa, quin & ipsi Pontifici, nisi semel in anno hoc ipso expiationis die, ingrediebatur, & coram Arcâ stans peccata populi toto illo anno commissa, quæ nimirum sacrificiis legalibus expiari poterant, expiabat, & egressus populo remissionem nomine Dei annuntiabat, omniaque fausta vovebat: Quæ erat propria illius diëi solemnitas. Quam mutila hodie est festi illius celebratio? Nulla Sancti, nullus Pontifex, nullum sacrificium, nulla reconciliatio: Nuda tantum superest beneficii illius commemoratio, & paucarum quarundam ceremoniarum, quibus se Judæi ad diëi illius celebrationem præparant, observatio. Ceremoniæ quæ hodie observantur, circumcisio, Sabbathum, abstinentia à cibis immundis, aliqualis quidem legis ceremonialis pars sunt: Verum neutiquam cum toto illo sacrificiorum apparatu, ac quæcunque illuc spectant, & à templo dependebant, conferenda. Quibus adde, licet omnes ritus legis ceremonialis non exercerentur in templo, ad templum tamen aliquo modo alligabantur, cum omnes lapsus & errores in eorum observatione in templo debuerint expiari: Cujus igitur usus jam potest esse per tot sæcula pars Legis quæ jam observatur, cum populum criminibus onerat, quæ secundum istam legem nusquam possunt expiari? Præceptum de connubiis prohibitis ceremoniale non est, nec per ejus observationem, utpote & Christianis communem, Judæi dignoscuntur. Mirum autem Virum Doctiss. mihi opponere Mosen Maimonidem, cujus ipse hoc eodem in loco autoritatem rejicit, & opinionem refellit; hoc enim ipso autoritatem ejus extenuat. Quæ vero addit, ut sacrificiorum valorem ac dignitatem elevet, *pro ignorantiis tantum esse instituta; voluntaria autem ac graviora, stupra, homicidia, similiaque solâ pænitentiâ deleri; & preces ex bono animo profectas non minus coram Deo valere, quam victimas quæ in templo immolabantur*, pulchre inserviunt instituto meo, & validissime pro me contra Virum Doctiss. concludunt, ceremonialem cultum inferiorem esse morali, Deoque minus gratum, & in se consideratum plane esse inutilem.

Discrimen inter captivitatem Babylonicam & dispersionem præsentem.

Excipit porro Vir Doct. *Idem contigisse in captivitate Babylonica.* Verum est; sed alia erat illius ratio, quæ hodiernæ dispersionis. Deus expresse septuaginta annorum captivitatem prædixerat, iisque elapsis, restitutionem promisit terræ ac templi: Quod & præstitit. Ad paucos itaque annos interrupta tantum fuit præcipua ceremoniarum majestas; & spe brevi instantis redemtionis suffulti Judæi, quæ extra terram suam observari poterant ceremonias custodierunt; & reversi totum cultum ceremonialem, reædificato templo in integrum restituerunt. Nunc vero Deus templum penitus evertit, nunquam, ut ante probavi, restituendum; atque ita potissimam ac maxime conspicuam cultus externi partem exstinxit. Sed, inquit Vir Doctiss. *hoc ad essentiam legis non valde pertinebat.* Miror me hoc ex Judæi ore audire. Quid? potuissetne Israël, in terra Canaan vivens, carere templo, Sacerdotibus, & sacrificiis, & neglectu horum omnium nihil commisisset contra legem? Dicet forte; Potest carere extra terram Canaan; quia quæ terræ Canaan annexa erant extra eam omittere per eandem legem divinam jubebatur. Ita est: indeque concludo, quoniam præcipuam & maxime augustam ceremoniarum partem extra terram Canaan observare illicitum est juxta legem; quod Deus, populum ex terra illa exscindendo, & templum destruendo, eo ipso aperte confirmaverit, se cultui isti ceremoniali finem imposuisse, quoniam populum

pulum in ejusmodi statum redegit, & per tot sæcula detinet sine aliqua per Prophetas ad eam rem missos consolatione facta, sine aliqua restitutionis promissione, in quo secundum statuta Legis ceremonias observare fas non est.

Tandem objecit mihi Vir Doctiss. Prophetiam Oseæ *cap.* III. 4. ad probandum, quod Deus hæc tempora captivitatis prædixerit, & iis elapsis post longum annorum decursum templi restaurationem promiserit. Respondi ego, Prophetiam illam respicere non Judam, sed regnum Israëlis, seu decem tribuum, quod expresse à Juda distingui, probavi ex *Cap.* IV. 15. & porro explicationem, rationibus ex variis textus circumstantiis desumtis, confirmavi. Vir Doctiss. nihil ad textum illum ex *Cap.* IV. nec ad rationes meas respondet; solummodo distinctionem facit inter *domum Israëlis ac filios Israëlis; illam esse diversam à Juda; sed ex utraque nominari filios Israëlis.* Sed contrarium ex hoc ipso Propheta manifeste probatur. Nam sicut distinguit inter *Israëlem & Judam*, ita etiam distinctionem facit inter *filios Israëlis, & filios Juda*, *Cap.* I. 11. *Et congregabuntur filii Juda, & filii Israël pariter.* Et totus Prophetæ contextus, etiam in aliis capitibus, manifeste docet, quod semper discrimen faciat inter *Israëlem*, seu *filios Israëlis*, & *Judam* seu *filios Juda*; ac proinde, quando *filios Israël* nominat, quod intelligat regnum decem tribuum, contradistincte à regno Judæ. Neque hoc ulla subtilitate Metaphysica eludi potest. Ose. III. 4. agit de statu decem tribuum.

Addit Vir Doctiss. rationes, quibus suam explicationem confirmare conatur: *Quia in hisce verbis præsens Israëlis status perspicue depingitur, sine rege, sine principe, sine altari, sine sacrificiis, & sine idololatria*; idque postremum, tanquam non minimam circumstantiam, valde exaggerat. Mirari hic subit, qua ratione Vir Doct. per hanc eximiam circumstantiam statum populi præsentem perspicue depingi contendat, qui in præcedentibus contra me plurimis contendit, populares suos idololatria pollutos esse, seque quotidie polluere; & hanc inter causas tam diuturnæ captivitatis recenset: Quin & hunc per Prophetas statum aliquoties graphice depictum contendit, cum prædicunt, quod *sint servituri Diis alienis, quos nec ipsi, nec ipsorum Patres noverant.* Quid? Estne status Judæorum sibi ipsi ita contrarius, & Prophetarum de eo prædictiones adeo repugnantes inter se & oppositæ, ut simul prædicant, eos idololatria polluendos, & eodem tempore ab idololatria fore puros; Et hisce adeo repugnantibus Prophetiis status Judæorum præsens perspicue est depictus? Quis hæc sibi tam aperte contradicentia conciliabit? Fortasse effugium quæret Vir Doctiss. quod populus, ubi nulli propterea pœnæ subjectus est, (uti innuere videtur) ab idololatria abstinebit. Sed vero, nulla ejusmodi limitatio in ullâ occurrit Prophetia: Et ipse Vir Doctiss. verbis paulo post sequentibus eam destruit, cum ait, quod in verbis sequentibus; *Diebus multis eritis mecum; non fornicaberis, neque eris alteri viro, nec ego ero tibi, clare significatur præsens Israëlis status, in quo nec idololatriam committit, neque Deum ut antea evidenti providentia propitium habet: Quod de omnibus duodecim tribubus plane verificatur.* Hoc si verum est, quomodo Prophetæ de Israëlis idololatria vaticinati sunt? Vel an vaticinia hæc respiciunt Judæos in Hispania ac Lusitania; alia vera, in Hollandia ac Germania degentes? Atqui, quomodo tum hæc de omnibus duodecim tribubus plane verificatur? Non de præsenti statu Judæorum.

Addit Vir Doctiss. Prophetiam hanc continere, *quod perseveraturus esset Israël*, quod Decem tribus non amplius subsistunt.

quod cum gentibus minime commisceretur ; & sic unus idemque populus subsisteret, qui tandem post tot sacula Deum & Messiam suum Regem quareret. Verum mirari subit, cum, uti ex Josepho Vir Doct. contendit, *tam inastimabiles decem tribuum sint multitudines*, & populus sint gentibus minime permixtus, sed peculiaribus suis ritibus ab omnibus distinctus, quod tam immensa hominum multitudo populum peculiarem constituens nusquam terrarum reperiri possit. An magis inconspicui sunt quam Judæi, quos quaquaversum dispersos omnes agnoscunt, quique latere non possunt? Merum ergo est somnium, quicquid de decem tribuum innumerabili multitudine etiamnum hodie subsistente Judæi fabulantur. Diu jam gentibus sunt permixti: & si qui eorum in terram Canaan redierunt, tribus Judæ accessio facti sunt.

Cum gentibus ad Christum sunt conversa.

Sed nec illi, inquit Vir Doctiss. *Deum quasiverunt, neque suum regem Messiam: eum potius, sicut alii Judai, abjecere, & crucifigendum tradidere.* Sed non video, quid hic sit contra meam assertionem: Ego dixi, Prophetiam hanc respicere non tribum Judæ, sed decem tribus Israëlis: Si qui ergo ex illis tribus Judæ accessio facti fuere, nec illi, perinde ut ipsa tribus Judæ, hic respici possunt; sed solummodo integræ tribus decem. At cum illæ nunquam in terram Canaan redierint, nec nunc uspiam terrarum reperiri possint, manifestum est, eas gentibus esse permixtas, nec amplius ut separatum populum subsistere. Unde sequitur, eas una cum gentibus vocatas, & Euangelio ad gentes perlato, etiam ipsas ad ejus communionem vocatas, & cum innumerabili gentium multitudine ad fidem in Christum conversas. Et hinc porro infertur, quoniam decem tribus, quæ communiter nomine *Israëlis* veniunt contradistinctæ à *Juda*, in unum cum gentibus populum coaluerunt, quod sub nomine *Israëlis*, qui ad Messiam convertendus dicitur, etiam comprehendantur gentes quibus Israël est permixtus, ac proinde in gentium vocatione ac conversione Prophetias illas, perinde atque hanc, complementum suum habere.

Osea non loquitur de templo.

Ut confirmarem, non de Juda, sed de decem tribubus Israëlis Prophetiam hanc Oseæ explicandam esse, inter alias & hac usus fueram ratione, quod nulla in ea mentio fiat templi, sed tantum *regis*, *sacrificii*, *altaris*, *ephod & teraphim*, quæ in regnum Israëlis à Jeroboamo fuere invecta; templum autem fuerit tribus Judæ. Vir Doctiss. ut huic argumento respondeat, dicit, *etiamsi in hac Prophetia non sit sermo de templo restituendo, optime tamen inferri, si Israël, prout nunc exspectat, pristino statui à Deo est reducendus tempore Messia, quod id non sine templi readificatione erit; quippe frustra opponeretur, sine altari & sine sacerdote; si in ea, qua ibi promittitur, restitutione talia futura non essent.* At simili ratiocinatione colligere licet, ut frustra opponeretur, *sine teraphim & idolis*, si in ea, quæ promittitur, restitutione talia futura non essent. Nulla tamen tunc in Israële futura idola Vir Doctiss. credit. 2. Admissâ hac sequelâ, non sequitur, fore templum restituendum: in regno enim Israëlis fuit altare, & fuerunt sacrificia; nullum autem templum. Tandem, Si templum in restitutione illa Israëlis futurum sit, sequitur hic illam restitutionem non prædici: Quia hic nihil prædicitur de templo: Credibile autem neutiquam est, prædici sacrificiorum & altaris restitutionem, quæ etiam in regno Israëlis fuerunt, & à Deo una cum Jerobeami vitulis ac idolis improbata fuerunt; non vero templi, quod unicus fuit locus à Deo sacrificiis destinatus, quodque toti cultui ceremoniali majestatem conci-

conciliavit. Cum ergo illud non prædicatur, quod in restitutione illa tanquam circumstantiam valde eximiam Judæi exspectant, & illa solum commemorentur, quæ extra Judam in regno Israëlis obtinuerunt, merito colligo, hic illam restitutionem non prædici.

Addideram tandem, licet hoc daremus, Prophetiam hanc etiam tribum Judam, & hæc captivitatis tempora respicere, nihil exinde posse probari contra religionem Christianam: Prædicitur enim futura Israëlis conversio ad Deum & Messiam post multos dies. Atqui nos eam adhuc sperare, post ingressam plenitudinem gentium. Regerit Vir Doctiss. *me hoc non posse affirmare, salvis meis principiis; qui dixi, Prophetas de Israële non esse loquutos, nisi usque ad Meßiæ adventum; quæ postea eventura essent, Novi Testamenti Prophetis fuisse revelata.* Sed 1, locutus tantum sum per concessionem, uti frequenter fit in Scholis, non autem, quod explicationem istam probarem. 2. Credo quidem, Prophetas Veteris Testamenti solummodo populi statum prædicere, usque ad Messiæ adventum: Verum quæ de populi ad Messiam congregatione prædicunt non omnia simul ac semel esse implenda, sed successive; & sufficere, ut tandem impleantur. Hæc generalis est Prophetarum Veteris Testamenti prædictio. Apostolo autem Paulo distinctior sub Novo Testamento contigit revelatio de statu futuro populi Judaici, & quomodo Prophetarum vaticinia in ipso implenda sint? nempe, quod ob contumacem Euangelii rejectionem ex parte sit induratus; sed quando plenitudo gentium intraverit in Ecclesiam, quod tum totus Israël sit futurus salvus: Quod Prophetæ Veteris Testamenti distincte non prædixerunt.

Quomodo hæc verba adhuc impleri possint.

Addit Vir Doctiss. *Minus hæc posse reduci ad reductionem ex captivitate Babylonica, quia nec tunc Meßiam, qui non nisi post quingentos & quinquaginta annos demum venit, quæsiverunt, nec eum postea Judas & decem tribus admisere.* Verum si non oscitanter scriptum meum Vir Doctiss. inspiciat, comperiet me non de hac Prophetia, neque hoc loco, dixisse; sed alio in loco generatim scripsisse, plurimas Prophetias, quas Judæi de liberatione per Messiam accipiunt, respicere liberationem ex captivitate Babylonica: Quod facile demonstratu est; & siquidem me refutare vellet, contrarium ostendere debuisset, aut à me exigere, ut aliquot ejusmodi Prophetias in medium afferrem; quas sane ingenti numero protulissem.

Hac occasione Vir Doct. rejicit explicationem meam de templo Esechielis in visione repræsentato: Verum nullam affert rationem, qua explicationem meam oppugnet; neque quicquam rationibus meis, quibus eam adstruxi, opponit. Quod an sufficiat accurato disputatori, ipsius Viri Doct. esto judicium.

In Prophetia de bello Gog & Magog fatetur Vir Doctiss. occurrere tropologicas & hyperbolicas phrases. Ego meam ignorantiam professus sum; quoniam accurate discernere nequeo, an in illa Prophetia omnia figurate, an vero quædam secundum literam, quædam figurate accipienda, & quomodo hæc ab illis discernenda sint. Similibus perplexitatibus se involutum deprehendet Vir Doctiss. si locutiones figuratas à propriis hic separare velit, & exactum ac plenum hujus Prophetiæ sensum, ut nulla supersit ambiguitas aut obscuritas (qualem semper à Christianis exigit) enarrare, & non ingerere tantum, sed & distincte & particulatim explicare, quid ea, omnibus quæ ibi occurrunt circumstantiis, præsignificetur.

CAPUT VI.

De sensu Scripturæ literali ac Mystico.

PErvenimus tandem ad alterum Quæstionis hujus ultimæ membrum de sensu Scripturæ literali ac mystico, quod brevius absolvi potest: quoniam pleraque quæ hic à Viro Doct. dicuntur jam in præcedentibus refutata sunt.

Cujus sit mysticum Scripturæ sensum aperire.

Agnoscit mecum Vir Doctiss. multas occurrere in Scriptura S. locutiones figuratas: Agnoscit non semper literæ, prout sonat, præcise esse insistendum, sed autoris mentem respiciendam; illumque esse genuinum Scripturæ sensum, qui autoris mentem exprimit. Eatenus itaque inter nos consensus est. Sed negat, *inde licere permissionem capere, fere omnia, quæ in S. Scriptura continentur, non secundum literam, sed sensu mystico & figurato, accipiendi.* Et hoc quidem vere; sensus enim Scripturæ literalis, seu verus ac genuinus literæ sensus (nam subtilitatem qua utrumque hunc distinguit Vir Doctiss. nimiam credo) semper est investigandus. Sublimiorem in Scripturæ verbis sensum dictare, quam verba in suo naturali sensu accepta significant, non est cujusvis, sed illius tantum, quem Deus Spiritus sui, quo verba illa dictavit, afflatu dignatus est, cuique per Spiritum suum sublimiorem illum sensum revelavit. Hoc Spiritu Apostolos Domini Jesu à Deo fuisse donatos in initio hujus tractatus prolixe probavi; ideoque eorum explicationes, quibus sensum illum sublimiorem nobis aperiunt, eodem in pretio habendos, ac si clare ac sine figura sensus ille in Prophetarum scriptis exstaret. Ante omnia ergo divina Apostolorum missio evertenda esset, antequam eorum explicationes, à Spiritu S. dictatæ, ut non genuinæ repudiari queant.

Qualis sit Prophetarum stilus.

Non diffiteor interim, apud Judæum, qui Apostolorum autoritatem contemnit, apodictice demonstrari non posse, sensum illum sublimiorem verbis Prophetarum contineri: Quoniam ubi vel minima occurrit obscuritas vel difficultas homini credere nolenti nunquam prævaricandi deest prætextus. Sed si quis, abjectis præjudiciis & affectibus, sedata mente in timore Domini integram religionem Christianam, prout pure absque traditionibus ac decretis humanis in Scriptis Apostolorum ac Euangelistarum traditur, omniaque quibus nititur fundamenta accurate expendere ac ponderare velit, & non tantum exiguas Prophetarum lacinias, quas Apostoli juxta sensum sublimiorem sunt interpretati, seorsim & à reliquo Prophetarum textu avulsas, sed integra Prophetarum scripta legere, & eorum stylum ac loquendi rationem accurate observare voluerit, mirum in omnibus undecunque deprehendet consensum, & divinitatis argumenta manifesta.

Fundamenta religionis Christianæ, & argumenta ejus divinitatem solide evincentia, in initio tractatus hujus sufficienter tradita sunt. Ipsa Apostolorum interpreta-

tio,

tio, cum integris Prophetarum scriptis collata, adeo est illis consentanea, ut ex iis fluere videatur. Quod ut manifestius liqueat, quædam, quibus Viri Doct. objectiones evertantur, paucis addam.

Qualis sit Prophetarum stylus.

Primo; invidiose Vir Doctiss. asserit, ***quod fere omnia quæ in S. Scriptura continentur, figurate ab Apostolis explicentur.*** Sane tota Lex juxta literam ab Apostolis semper accepta est: sensum figuratum tantum ostendunt in Prophetarum prædictionibus de regno Messiæ, & redemtione Israëlis per Messiam, quod nimirum Deus, sub figura regni & redemtionis terrestris ac temporalis promiserit cælestem ac æternam. Primo ergo considerare oportet, Prophetarum stylum tropis ac figuratis locutionibus esse refertum; quod & ipsi Judæi diffiteri non possunt; quamquam & certum sit, multos ex Judæis, ex Religionis Christianæ odio, multa Prophetarum verba, in quibus manifesta est figura, rigide secundum literam accipere; malentes manifestis se involvere absurdis, quam quicquam admittere, unde aliquod Christianæ religioni præsidium quæri possit. In quo tamen Viri Doctiss. ingenuitatem præ aliis Judæis laudare debeo. Cum itaque Prophetarum stylus figuratis locutionibus abundet, nihil ab eorum stylo abhorrens docent Apostoli, quando Prophetias de Messiæ regno figurate explicant.

Requirit illa quandoque figuram.

Quin & in ipsis Prophetarum vaticiniis multa occurrunt, quæ tantum non evincunt, figuratam locutionem alibi quærere, quæque commode, nisi figurata pluribus in locis admittatur locutio, explicari nequeunt: Qualia sunt, quæ de Messiæ passionibus ac cruenta morte prædicta in illorum scriptis leguntur: in quibus explicandis, & cum ejus regno ac gloria terrestri conciliandis, frustra Judæorum magistri sudant, & in quasvis formas se vertunt. Adeo ut ipsa Prophetarum scripta mysticam & figuratam locutionem insinuare, & ad sublimiorem illum sensum nos quasi manu ducere videantur. Sed quia hæc, uti & quæ de Lege ceremoniali Vir Doctiss. addit, in præcedentibus fuse ventilata sunt, ea hic nunc paucis indicasse sufficiat.

Comparatio inter mysticas explicationes Rabbinorum & Apostolorum.

Addidi, non ita abhorrere debere Judæos à sensu mystico ac spirituali, quoniam etiam ipsorum Doctores Scripturam S. mystice explicent, nihilque vulgatius sit Doctoribus Thalmudicis. Respondet Vir Doct. ***Verum hoc quidem esse; illos autem mysticis suis interpretationibus tantum populum ad constantiam in fide & cultu Dei exhortatos esse, non autem nova religionis dogmata introduxisse, aut statuta mutasse: Religionem vero Christianam utrumque fecisse.*** Resp. Mysticas Rabbinorum interpretationes multa continere, quæ ex litera Legis erui minime possunt; & reverâ esse additiones ad præcepta Legis: & quocunque tandem nomine veniant, & ad constantiam in Lege exhortatoriæ esse prætexantur, ex litera Legis minime fluunt; sed labore ac industria, juxta certas quasdam regulas magno molimine excogitatas, non nisi à viris ista in arte exercitatis, inveniuntur. Explicationes mysticæ Apostolorum ita consentaneæ sunt Prophetarum verbis, ut ex illis tantum non fluere videantur, & post impletum eventum, cui ab Apostolis accommodantur, magis illum designare videntur, quam eum cui primum designando olim adhibita fuerunt; ut ut ante impletionem, more omnium Prophetiarum, obscurius in litera Prophetarum latuerint. Nec verum est, nova dogmata Legi adversa ab Apostolis esse invecta; sed ultimus Legis ac Prophetarum scopus, qui in litera ipsorum obscurius latebat, in apertum est productus, & corpus, cui adumbrando Lex serviebat, clare est exhibitum. Uti in antecedentibus fusius ostensum est. Non autem Legem

 evertit,

evertit, qui perfectionem, quam Lex non exhibebat, sed adumbrabat, & ad quam tendebat, adducit; sed Legem perficit & confirmat.

Conclusio. Quæ omnia si conjungantur, & Prophetarum vaticinia, juxta Apostolorum interpretationem, conferantur cum eventibus sub Novo Testamento, mirum in omnibus deprehendemus consensum, per omnia sibi conformem; Qui sibi sufficiens apud quemvis cordatum veritatis argumentum est. Quibus si addantur argumenta, quibus doctrinæ Evangelicæ veritatem atque Apostolorum missionem adstruxi, nihil ulterius requiri posse videtur, ad fidem Euangelio, tanquam à Deo revelato, præstandum, & mysticas, quas Apostoli in scriptis suis habent, Prophetiarum explicationes, tanquam à Spiritu Dei dictatas, recipiendum ac venerandum. Saltem Vir Doctiss. qui argumentis à se prolatis motus Mosen recipit ut Prophetam à Deo missum, causam nullam habet quæ Euangelium ut divinum recipere vetet; cum, ut ostendi, eadem argumenta fortius pro Euangelii, quam Legis divinitate militent. Quæ ut attente in timore Domini expendat, iterum iterumque Virum Doctiss. rogo, omnibusque accurate pensitatis, unice gloriam Dei spectet, animumque suum Deo in obsequium flectat. Ille utrumque nostrum dirigat in viam veritatis, spirituque suo corda nostra illustret, ut salutare ejus agnoscamus, ipsumque in Filio ejus Jesu Christo glorificemus. Amen.



URIE-

URIELIS ACOSTA

EXEMPLAR HUMANÆ VITÆ.

Addita eſt

BREVIS REFUTATIO

Argumentorum quibus Acoſta omnem Religionem revelatam impugnat,

per

PHILIPPUM a LIMBORCH.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.



Mnis veritas homini cara esse debet, maxime autem illa, quæ ad æternam fælicitatem ducit. Ignorantia quippe aliarum veritatum licet noxia esse queat, multorumque in hac vita commodorum impedimentum, modo quæ unice salutaris est cognita sit, viam ad veram salutem præcludere nequit: Hujus autem ignoratio nullam homini spem, cui plena cum animi persuasione acquiescat, de salute sua reliquam facit. Quare cum inter omnes Christianos indubitatum sit, unicam illam salutarem veritatem esse religionem Christianam; ac proinde unicum salutem æternam consequendi, & à Deo plena animi πληροφορία sperandi, medium esse fidem illi religioni adhibitam, quæ ex sese obedientiam ejus præceptorum sinceram producit; in hoc eniti quammaxime singulos Christi nomen profitentes oportet, ut doctrinæ Christianæ veritatem argumentis quam solidissimis adstruant, & ab objectionibus, quibus illius veritas oppugnatur, vindicent; ut ita omnibus eam non amplexis luculentissima suppeditetur occasio ejus divinitatem agnoscendi, eamque obsequiosa fide recipiendi.

Sunt quidem varii qui illius veritatem oppugnent per totum terrarum orbem dispersi adversarii: in hac autem patria nostra duo potissimum eorum genera, Iudæi, & Athei seu Deistæ. Iudæi negant Euangelii veritatem, & Iesum Christum Salvatorem suum agnoscere recusant: Attamen agnoscunt verum Deum creatorem cæli ac terræ, & divinam Mosis legem vitæ suæ regulam habent. Athei vero, seu Deistæ (quos conjungo, non quia Atheum & Deistam idem significare credo, sed quoniam plerumque Deismus ab Atheismo vix differt, &

qui

qui Deistas se profitentur ordinarie Atheismum animo fovent) aut nullum agnoscunt Deum, aut illum in agens naturale & necessarium convertunt, atque ita omnem funditus religionem tollunt: Præterea, cum omnem revelationem respuant, nullam certam vitæ regulam habent, neque, si quam habent, perfectiorem agnoscunt, quam ex solius naturæ principiis deductam.

Contra utrosque Religionis Christianæ veritatem tutari imprimis Christiani hominis officium est: tum ut eam oppugnantibus luculenta eam ut divinam amplectendi præbeatur occasio; tum ut Christianorum animi in fide veritatis semel per gratiam divinam agnitæ confirmentur, neque argutis eam oppugnantium ratiociniis à fide salutari deturbentur. Hæc causa fuit, ut commoda sese offerente occasione amicam cum erudito Iudæo collationem non subterfugerim; quæ cum in justæ disputationis molem excreverit, eam in lucem emittere consultum duxi. Verum cum jam editionem ejus adornarem, commodum in manus meas incidit scriptum, quod diu apud me latuit, quo omnis generatim religio revelata, tam Mosaica quam Christiana, impugnatur: Cujus refutationem si adjungerem huic Collationi, rem me Christiano orbi nec inutilem nec ingratam facturum credidi.

Autor illius, ut ex fine scripti liquet, fuit Gabriel, postea inter Iudæos vocatus Uriel Acosta. Qua occasione illud scripserit, ipse satis indicat. Titulum illi præfixit, quem præfixum vides, Exemplar humanæ vitæ. Paucis ante mortem suam diebus, & cum jam mori decreverat, scriptum hoc exarasse videtur. Etenim vindicta æstuans primo fratrem (alii dicunt amitinum) à quo se maxime læsum credidit, deinde seipsum trajicere statuit: itaque in fratrem, seu amitinum, ædes suas prætereuntem, sclopetum vibravit; sed cum frustrato ictu non exploderetur, se detectum videns, subito domus suæ januâ clausâ alterum, eum in finem paratum, in se sclopetum explosit, ac seipsum miserandum in modum trajecit. In defuncti ædibus scriptum hoc fuit repertum, cujus apographum proavunculo

vunculo

vunculo meo Simoni Episcopio ab eximio quodam hujus civitatis viro communicatum ego inter scedas ejus reperi. Quo tempore historia hæc contigerit, ex ipso scripto dijudicare licet: Etenim Medici illius libellus de Immortalitate animarum, *cujus mentionem facit, editus est Amstelodami apud Ravesteinium anno à creatione mundi 5383 juxta communem Iudæorum calculum, qui respondet anno Christi vulgari 1623. Si nunc consideremus bina illa tempora, quibus à Iudæis segregatus vixit, inde non quidem præcise, sed aliquatenus historiæ hujus tempus colligi potest.*

Animus mihi non est quicquam hic de Iudæorum Excommunicatione, aut de judicio contra hunc scriptorem lato, disserere: sed solummodo argumenta, quibus Religionis revelatæ, & nominatim Christianæ, præcepta impugnat, ad examen revocare, & quam nullius roboris sint ad illius divinitatem convellendum ostendere. Nemo autem credat, quoniam scripti hujus refutationem Amicæ Collationi cum erudito Judæo *conjungo, quod utrumque eodem loco habeam, aut erudito Iudæo invidiam creare velim, quasi cum hoc homine Religionem Christianam oppugnet. Minime gentium. Scio enim non religionem solum Christianam, sed & Iudaicam, ab ipso impugnari, & Iudæum, quo cum disputo, ipsum ut hominem pessimum detestari, sibique nihil cum ipso commune esse velle. Itaque refutatio mea, qua argumenta ejus diluo, non tantum Euangelii, sed & Legis Mosaicæ divinitatem confirmat; cui si quid Doctissimus Iudæus addat, quo Legis divinitas fortius adstruatur, gratiam apud me inibit, quam & apud ipsum, Legem contra hujus criminationes vindicando, initurum me confido. Verum quoniam responsio ad argumenta Iudæi, quibus argute ac docte contra Religionem Christianam disputat, à me in lucem emittitur; volui hac occasione etiam hujus hominis, qui longe alia quam Iudæus ratione Religionem Christianam oppugnat, argumentis refutatis Religionem Christianam à quibusvis objectionibus vindicare, ut tanto evidentius & clarius ejus veritas ac divinitas patescat.*

URIELIS ACOSTA

EXEMPLAR

HUMANÆ VITÆ.



Atus sum ego in Portugalliâ, in civitate ejusdem nominis, vulgò Porto. Parentes habui ex ordine nobilium, qui à Judæis originem trahebant, ad Christianam Religionem, in illo regno, quondam per vim coactis. Pater meus verè erat Christianus, vir honoris observantissimus, & qui honestatem plurimi faciebat. In domo ejus fui ego honestè educatus. Servi non deerant, nec in equili equus nobilis Hispanus ad equestrem exercitationem, cujus pater meus erat peritissimus; & ego ejus vestigia à longè imitabar. Aliquibus artibus tandem instructus, quibus solent honesti pueri, Juris-prudentiæ operam dedi. Quod ad ingenium & naturales affectus attinet, eram ego naturaliter valdè pius & ad misericordiam ità propensus, ut, si quando alienæ calamitatis narrabatur eventus, nullo modo possem lachrymas continere. Pudor mihi adeò erat innatus, ut nihil magis timerem, quam ignominiam. Animus nullo modo ignobilis, nec ab irâ destitutus, si occasio justa postulabat. Itaque superbis & insolentibus, qui per contemptum, & vim solent aliis injuriam inferre, vere eram contrarius, infirmorum partes adjuvare cupiens; & illis potius me socium adjungens. Circa religionem passus sum in vitâ incredibilia. Institutus fui, quemadmodum mos est illius regni, in religione Christianâ Pontificiâ; & cum jam essem adolescens ac valdè timerem damnationem æternam, cupiebam exactè omnia observare. Vacabam lectioni Evangelii, & aliorum librorum spiritualium, Summas confessariorum percurrebam, & quo magis istis incumbebam, eo major difficultas mihi oriebatur. Tandem incidi in inextricabiles perplexitates, anxietates & angustias. Mœrore & dolore consumebar. Impossibile mihi visum est peccata confiteri more Romano, ut dignam possem absolutionem impetrare, & omnia implere quæ postulabantur; & per consequens de salute desperavi, si illa talibus canonibus paranda erat. Quia verò difficile religio poterat deseri, cui à primis incunabulis assuetus fueram, & quæ per fidem altas jam radices egerat; in dubium vocavi (accidit hoc mihi circa vigesimum secundum ætatis annum) possetne fieri, ut ea, quæ de alterâ vitâ dicebantur, minus vera essent, & utrum fides talibus data benè cum ratione conveniret; siquidem ipsa ratio multa dictabat, & perpetuo insinuabat in aurem, quæ valdè erant contraria. Hoc in dubium vocato animo, quievi, & quicquid esset tandem statuebam me non posse tali viâ incedendo salutem animæ assequi. Per hoc tempus Juris, ut dixi, studio vacabam, & cum annum agerem vigesimum quintum, oblata occasione, impetravi beneficium Ecclesiasticum, nempe dignitatem thesaurarii in collegiatâ Ecclesiâ.

Cum verò in Christianâ Religione Pontificiâ quietem non invenissem, & cuperem alicui inhærere, sciens magnam esse inter Christianos & Judæos contentionem, percurri libros Mosis, & Prophetarum, ubi aliqua inveni, quæ novo Fœderi non parum contradicebant, & minus habebant difficultatis ea quæ à Deo dicebantur. Præterea veteri Fœderi fidem dabant tam Judæi, quam Christiani; Novo autem Fœderi soli Christiani. Tandem Mosi credens iudicavi me debere Legi parere, quandoquidem ille omnia se accepisse à Deo asserebat, simplicem se internuncium declarans, ab ipso Deo ad id munus vocatum,

ratum ; aut potius coactum (ita decipiuntur parvuli). Positâ hac deliberatione, quia non erat liberum prædictam religionem in illo regno aliquo modo profiteri, cogitavi de mutando domicilio, proprios & nativos relinquendo Lares. Ad eum finem non dubitavi beneficium illud Ecclesiasticum in favorem alterius resignare, nihil curans utilitatem vel honorem ex eâ provenientem secundum morem gentis illius. Pulchram etiam domum reliqui in optimo civitatis loco positam, quam pater meus ædificaverat. Itaque navem adscendimus non sine magno periculo (non licet illis qui ab Hebræis originem ducunt à regno discedere sine speciali Regis facultate) mater mea & ego cum fratribus meis, quibus ego fraterno amore motus ea communicaveram, quæ mihi super religione visa fuerant magis consentanea ; licet super aliquibus dubitarem : quod quidem in magnum malum meum poterat recidere, tantum est in eo regno periculum de talibus loqui. Tandem peractâ navigatione Amstelodamum appulimus, ubi invenimus Judæos liberè agentes ; & ad implendum Legem præceptum de circumcisione statim implevimus.

Transactis paucis diebus expertus sum mores & ordinationes Judæorum minimè convenire cum iis, quæ à Mose præcepta sunt. Si verò Lex observanda erat purè, quod & ipsa petit, malè qui dicuntur Judæorum sapientes tot invenerant à Lege omninò abhorrentia. Itaque non potui me continere, imò gratam rem Deo me facturum putavi, si liberè Legem defenderem. Sapientes isti Judæorum qui nunc sunt, & mores suos, ac ingenium malignum adhuc retinent, pro sectâ & institutionibus detestandorum Pharisæorum strenuè certantes, non sine spe proprii lucri, & quemadmodum illis aliàs benè fuit imputatum, ut primas cathedras in templo, primas salutationes in foro habeant, nullo modo passi sunt, ut nec in minimis rebus ab illis discederem, sed per omnia vestigia eorum inviolabiliter sequerer ; Sin minus, minati sunt separationem à congregatione & communicatione omnium, tam in divinis, quam in humanis. Quia verò minimè decebat, ut propter talem metum terga verteret ille, qui pro libertate natale solum, & utilitates alias contempserat, & succumbere hominibus, præsertim juris-dictionem non habentibus, in tali causâ nec pium, nec virile erat ; decrevi potius omnia perferre & in sententiâ perdurare. Itaque excommunicatus fui per illos ab omnium communicatione, & ipsi fratres mei, quibus ego antea præceptor fueram, me transibant, nec in plateâ salutabant propter metum illorum.

His ita se habentibus, deliberavi librum scribere, in quo justitiam causæ meæ ostenderem, & apertè probarem ex ipsâ Lege vanitatem eorum, quæ Pharisæi tradunt & observant, & repugnantiam, quam cum Lege Mosis traditiones & institutiones eorum habent. Post cæptum opus accidit etiam (oportet omnia planè & verè, quemadmodum evenerunt, enarrare) ut cum resolutione & constanti deliberatione accederem sententiæ illorum, qui legis veteris præmium & pœnam definiunt temporalem, & de alterâ vitâ & immortalitate animorum minimè cogitant, eo præter alia nixus fundamento, quod prædicta Lex Mosis omninò taceat super his, & nihil aliud proponat observantibus & transgressoribus, quam præmium, aut pœnam temporalem. Valdè lætati sunt hostes mei, simulatque intellexerunt me in talem opinionem devenisse ; existimantes, se satis amplam defensionem apud Christianos per hoc solum adeptos fuisse, qui ex speciali fide in lege Euangelii fundatâ, ubi expressè mentio fit de æterno bono & supplicio, animæ immortalitatem & credunt, & agnoscunt. Hac intentione ducti, & ut mihi os in cæteris obturarent, ac odiosum redderent inter ipsos Christianos, antequam liber iste meus, quem scripseram, typis mandaretur, libellum in lucem ediderunt operâ cujusdam Medici, cui inscriptio erat : *De Immortalitate Animarum.* In hoc libello Medicus iste copiosè me lacerabat, quasi Epicuri partes tuentem (Per hoc tempus malè ego de Epicuro sentiebam, & contra absentem & inauditum ex aliorum iniquâ relatione sententiam temerè proferebam, postquam verò aliquorum veritatis amantium de illo judicium, & doctrinam ejus ut erat intellexi, doleo quod aliquando talem virum amentem & insanum pronunciavi, de quo etiam nunc non possum plenè judicare, cum ejus scripta mihi sint incognita) qui enim immortalitatem animarum negabat, parum aberat, quin Deum abnegaret. Pueri istorum, à Rabbinis & paren-

Editus est hic libellus anno à creatione mundi 5383. juxta computum Judæorum calculum ; qui respondet anno Christi vulgari 1623.

CAPUT VI.

De sensu Scripturæ literali ac Mystico.

PErvenimus tandem ad alterum Quæstionis hujus ultimæ membrum de sensu Scripturæ literali ac mystico, quod brevius absolvi potest: quoniam pleraque quæ hic à Viro Doct. dicuntur jam in præcedentibus refutata sunt.

Cujus sit mysticum Scripturæ sensum aperire.

Agnoscit mecum Vir Doctiss. multas occurrere in Scriptura S. locutiones figuratas: Agnoscit non semper literæ, prout sonat, præcise esse insistendum, sed autoris mentem respiciendam; illumque esse genuinum Scripturæ sensum, qui autoris mentem exprimit. Eatenus itaque inter nos consensus est. Sed negat, *inde licere permissionem capere, fere omnia, quæ in S. Scriptura continentur, non secundum literam, sed sensu mystico & figurato, accipiendi.* Et hoc quidem vere; sensus enim Scripturæ literalis, seu verus ac genuinus literæ sensus (nam subtilitatem qua utrumque hunc distinguit Vir Doctiss. nimiam credo) semper est investigandus. Sublimiorem in Scripturæ verbis sensum dictare, quam verba in suo naturali sensu accepta significant, non est cujusvis, sed illius tantum, quem Deus Spiritus sui, quo verba illa dictavit, afflatu dignatus est, cuique per Spiritum suum sublimiorem illum sensum revelavit. Hoc Spiritu Apostolos Domini Jesu à Deo fuisse donatos in initio hujus tractatus prolixe probavi; ideoque eorum explicationes, quibus sensum illum sublimiorem nobis aperiunt, eodem in pretio habendos, ac si clare ac sine figura sensus ille in Prophetarum scriptis exstaret. Ante omnia ergo divina Apostolorum missio evertenda esset, antequam eorum explicationes, à Spiritu S. dictatæ, ut non genuinæ repudiari queant.

Qualis sit Prophetarum stylus.

Non diffiteor interim, apud Judæum, qui Apostolorum autoritatem contemnit, apodictice demonstrari non posse, sensum illum sublimiorem verbis Prophetarum contineri: Quoniam ubi vel minima occurrit obscuritas vel difficultas homini credere nolenti nunquam prævaricandi deëst prætextus. Sed si quis, abjectis præjudiciis & affectibus, sedata mente in timore Domini integram religionem Christianam, prout pure absque traditionibus ac decretis humanis in Scriptis Apostolorum ac Euangelistarum traditur, omniaque quibus nititur fundamenta accurate expendere ac ponderare velit, & non tantum exiguas Prophetarum lacinias, quas Apostoli juxta sensum sublimiorem sunt interpretati, seorsim & à reliquo Prophetarum textu avulsas, sed integra Prophetarum scripta legere, & eorum stylum ac loquendi rationem accurate observare voluerit, mirum in omnibus undecunque deprehendet consensum, & divinitatis argumenta manifesta.

Fundamenta religionis Christianæ, & argumenta ejus divinitatem solide evincentia, in initio tractatus hujus sufficienter tradita sunt. Ipsa Apostolorum interpretatio,

tio, cum integris Prophetarum scriptis collata, adeo est illis consentanea, ut ex iis fluere videatur. Quod ut manifestius liqueat, quædam, quibus Viri Doct. objectiones evertantur, paucis addam.

Qualis sit Prophetarum stylus.

Primo; invidiose Vir Doctiss. asserit, *quod fere omnia quæ in S. Scriptura continentur, figurate ab Apostolis explicentur.* Sane tota Lex juxta literam ab Apostolis semper accepta est: sensum figuratum tantum ostendunt in Prophetarum prædictionibus de regno Messiæ, & redemtione Israëlis per Messiam, quod nimirum Deus, sub figura regni & redemtionis terrestris ac temporalis promiserit cælestem ac æternam. Primo ergo considerare oportet, Prophetarum stylum tropis ac figuratis locutionibus esse refertum; quod & ipsi Judæi diffiteri non possunt; quamquam & certum sit, multos ex Judæis, ex Religionis Christianæ odio, multa Prophetarum verba, in quibus manifesta est figura, rigide secundum literam accipere; malentes manifestis se involvere absurdis, quam quicquam admittere, unde aliquod Christianæ religioni præsidium quæri possit. In quo tamen Viri Doctiss. ingenuitatem præ aliis Judæis laudare debeo. Cum itaque Prophetarum stylus figuratis locutionibus abundet, nihil ab eorum stylo abhorrens docent Apostoli, quando Prophetias de Messiæ regno figurate explicant.

Requirit illo quandoque figuram.

Quin & in ipsis Prophetarum vaticiniis multa occurrunt, quæ tantum non evincunt, figuratam locutionem alibi quærere, quæque commode, nisi figurata pluribus in locis admittatur locutio, explicari nequeunt: Qualia sunt, quæ de Messiæ passionibus ac cruenta morte prædicta in illorum scriptis leguntur: in quibus explicandis, & cum ejus regno ac gloria terrestri conciliandis, frustra Judæorum magistri sudant, & in quasvis formas se vertunt. Adeo ut ipsa Prophetarum scripta mysticam & figuratam locutionem insinuare, & ad sublimiorem illum sensum nos quasi manu ducere videantur. Sed quia hæc, uti & quæ de Lege ceremoniali Vir Doctiss. addit, in præcedentibus fuse ventilata sunt, ea hic nunc paucis indicasse sufficiat.

Comparatio inter mysticas explicationes Rabbinorum & Apostolorum.

Addidi, non ita abhorrere debere Judæos à sensu mystico ac spirituali, quoniam etiam ipsorum Doctores Scripturam S. mystice explicent, nihilque vulgatius sit Doctoribus Thalmudicis. Respondet Vir Doct. *Verum hoc quidem esse; illos autem mysticis suis interpretationibus tantum populum ad constantiam in fide & cultu Dei exhortatos esse, non autem nova religionis dogmata introduxisse, aut statuta mutasse: Religionem vero Christianam utrumque fecisse.* Resp. Mysticas Rabbinorum interpretationes multa continere, quæ ex litera Legis erui minime possunt; & reverâ esse additiones ad præcepta Legis: & quocunque tandem nomine veniant, & ad constantiam in Lege exhortatoriæ esse prætexantur, ex litera Legis minime fluunt; sed labore ac industria, juxta certas quasdam regulas magno molimine excogitatas, non nisi à viris ista in arte exercitatis, inveniuntur. Explicationes mysticæ Apostolorum ita consentaneæ sunt Prophetarum verbis, ut ex illis tantum non fluere videantur, & post impletum eventum, cui ab Apostolis accommodantur, magis illum designare videntur, quam eum cui primum designando olim adhibita fuerunt; ut ut ante impletionem, more omnium Prophetiarum, obscurius in litera Prophetarum latuerint. Nec verum est, nova dogmata Legi adversa ab Apostolis esse invecta; sed ultimus Legis ac Prophetarum scopus, qui in litera ipsorum obscurius latebat, in apertum est productus, & corpus, cui adumbrando Lex serviebat, clare est exhibitum. Uti in antecedentibus fusius ostensum est. Non autem Legem

evertit, qui perfectionem, quam Lex non exhibebat, sed adumbrabat, & ad quam tendebat, adducit; sed Legem perficit & confirmat.

Conclusio. Quæ omnia si conjungantur, & Prophetarum vaticinia, juxta Apostolorum interpretationem, conferantur cum eventibus sub Novo Testamento, mirum in omnibus deprehendemus consensum, per omnia sibi conformem: Qui sibi sufficiens apud quemvis cordatum veritatis argumentum est. Quibus si addantur argumenta, quibus doctrinæ Euangelicæ veritatem atque Apostolorum missionem adstruxi, nihil ulterius requiri posse videtur, ad fidem Euangelio, tanquam à Deo revelato, præstandum, & mysticas, quas Apostoli in scriptis suis habent, Prophetiarum explicationes, tanquam à Spiritu Dei dictatas, recipiendum ac venerandum. Saltem Vir Doctiss. qui argumentis à se prolatis motus Mosen recipit ut Prophetam à Deo missum, causam nullam habet quæ Euangelium ut divinum recipere vetet; cum, ut ostendi, eadem argumenta fortius pro Euangelii, quam Legis divinitate militent. Quæ ut attente in timore Domini expendat, iterum iterumque Virum Doctiss. rogo, omnibusque accurate pensitatis, unice gloriam Dei spectet, animumque suum Deo in obsequium flectat. Ille utrumque nostrum dirigat in viam veritatis, spirituque suo corda nostra illustret, ut salutare ejus agnoscamus, ipsumque in Filio ejus Jesu Christo glorificemus. Amen.



URIE-

URIELIS ACOSTA
EXEMPLAR
HUMANÆ VITÆ.

Addita eſt

BREVIS REFUTATIO

Argumentorum quibus Acoſta omnem Religionem revelatam impugnat,

per

PHILIPPUM a LIMBORCH.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.



Mnis veritas homini cara esse debet, maxime autem illa, quæ ad æternam fælicitatem ducit. Ignorantia quippe aliarum veritatum licet noxia esse queat, multorumque in hac vita commodorum impedimentum, modo quæ unice salutaris est cognita sit, viam ad veram salutem præcludere nequit: Hujus autem ignoratio nullam homini spem, cui plena cum animi persuasione acquiescat, de salute sua reliquam facit. Quare cum inter omnes Christianos indubitatum sit, unicam illam salutarem veritatem esse religionemChristianam; ac proinde unicum salutem æternam consequendi, & à Deo plena animi πληροφορίᾳ sperandi, medium esse fidem illi religioni adhibitam, quæ ex sese obedientiam ejus præceptorum sinceram producit; in hoc eniti quammaxime singulos Christi nomen profitentes oportet, ut doctrinæ Christianæ veritatem argumentis quam solidissimis adstruant, & ab objectionibus, quibus illius veritas oppugnatur, vindicent; ut ita omnibus eam non amplexis luculentissima suppeditetur occasio ejus divinitatem agnoscendi, eamque obsequiosa fide recipiendi.

Sunt quidem varii qui illius veritatem oppugnent per totum terrarum orbem dispersi adversarii: in hac autem patria nostra duo potissimum eorum genera, Iudæi, & Athei seu Deistæ. Iudæi negant Euangelii veritatem, & Iesum Christum Salvatorem suum agnoscere recusant: Attamen agnoscunt verum Deum creatorem cæli ac terræ, & divinam Mosis legem vitæ suæ regulam habent. Athei vero, seu Deistæ (quos conjungo, non quia Atheum & Deistam idem significare credo, sed quoniam plerumque Deismus ab Atheismo vix differt, & qui

qui Deistas se profitentur ordinarie Atheismum animo fovent) aut nullum agnoscunt Deum, aut illum in agens naturale & necessarium convertunt, atque ita omnem funditus religionem tollunt: Præterea, cum omnem revelationem respuant, nullam certam vitæ regulam habent, neque, si quam habent, perfectiorem agnoscunt, quam ex solius naturæ principiis deductam.

Contra utrosque Religionis Christianæ veritatem tutari imprimis Christiani hominis officium est: tum ut eam oppugnantibus luculenta eam ut divinam amplectendi præbeatur occasio; tum ut Christianorum animi in fide veritatis semel per gratiam divinam agnitæ confirmentur, neque argutis eam oppugnantium ratiociniis à fide salutari deturbentur. Hæc causa fuit, ut commoda sese offerente occasione amicam cum erudito Judæo collationem non subterfugerim; quæ cum in justæ disputationis molem excreverit, eam in lucem emittere consultum duxi. Verum cum jam editionem ejus adornarem, commodum in manus meas incidit scriptum, quod diu apud me latuit, quo omnis generatim religio revelata, tam Mosaica quam Christiana, impugnatur: Cujus refutationem si adjungerem huic Collationi, rem me Christiano orbi nec inutilem nec ingratam facturum credidi.

Autor illius, ut ex fine scripti liquet, fuit Gabriel, *postea inter Judæos vocatus* Uriel Acosta. *Qua occasione illud scripserit, ipse satis indicat. Titulum illi præfixit, quem præfixum vides,* Exemplar humanæ vitæ. *Paucis ante mortem suam diebus, & cum jam mori decreverat, scriptum hoc exarasse videtur. Etenim vindicta æstuans primo fratrem (alii dicunt amitinum) à quo se maxime læsum credidit, deinde seipsum trajicere statuit: itaque in fratrem, seu amitinum, ædes suas prætereuntem, sclopetum vibravit; sed cum frustrato ictu non exploderetur, se detectum videns, subito domus suæ januâ clausâ alterum, eum in finem paratum, in se sclopetum explosit, ac seipsum miserandum in modum trajecit. In defuncti ædibus scriptum hoc fuit repertum, cujus apographum proa-*

vunculo

vunculo meo Simoni Episcopio ab eximio quodam hujus civitatis viro communicatum ego inter scedas ejus reperi. Quo tempore historia hæc contigerit, ex ipso scripto dijudicare licet: Etenim Medici illius libellus de Immortalitate animarum, *cujus mentionem facit, editus est Amstelodami apud Ravesteinium anno à creatione mundi 5383 juxta communem Iudæorum calculum, qui respondet anno Christi vulgari 1623. Si nunc consideremus bina illa tempora, quibus à Iudæis segregatus vixit, inde non quidem præcise, sed aliquatenus historiæ hujus tempus colligi potest.*

Animus mihi non est quicquam hic de Iudæorum Excommunicatione, aut de judicio contra hunc scriptorem lato, disserere: sed solummodo argumenta, quibus Religionis revelatæ, & nominatim Christianæ, præcepta impugnat, ad examen revocare, & quam nullius roboris sint ad illius divinitatem convellendum ostendere. Nemo autem credat, quoniam scripti hujus refutationem Amicæ Collationi cum erudito Judæo *conjungo, quod utrumque eodem loco habeam, aut erudito Iudæo invidiam creare velim, quasi cum hoc homine Religionem Christianam oppugnet. Minime gentium. Scio enim non religionem solum Christianam, sed & Iudaicam, ab ipso impugnari, & Iudæum, quo cum disputo, ipsum ut hominem pessimum detestari, sibique nihil cum ipso commune esse velle. Itaque refutatio mea, qua argumenta ejus diluo, non tantum Euangelii, sed & Legis Mosaicæ divinitatem confirmat; cui si quid Doctissimus Iudæus addat, quo Legis divinitas fortius adstruatur, gratiam apud me inibit, quam & apud ipsum, Legem contra hujus criminationes vindicando, initurum me confido. Verum quoniam responsio ad argumenta Iudæi, quibus argute ac docte contra Religionem Christianam disputat, à me in lucem emittitur; volui hac occasione etiam hujus hominis, qui longe alia quam Iudæus ratione Religionem Christianam oppugnat, argumentis refutatis Religionem Christianam à quibusvis objectionibus vindicare, ut tanto evidentius & clarius ejus veritas ac divinitas patescat.*

natum ; aut potius coactum (ita decipiuntur parvuli). Positâ hac deliberatione, quia non erat liberum prædictam religionem in illo regno aliquo modo profiteri, cogitavi de mutando domicilio, proprios & nativos relinquendo Lares. Ad eum finem non dubitavi beneficium illud Ecclesiasticum in favorem alterius resignare, nihil curans utilitatem vel honorem ex eâ provenientem secundum morem gentis illius. Pulchram etiam domum reliqui in optimo civitatis loco positam, quam pater meus ædificaverat. Itaque navem adscendimus non sine magno periculo (non licet illis qui ab Hebræis originem ducunt à regno discedere sine speciali Regis facultate) mater mea & ego cum fratribus meis, quibus ego fraterno amore motus ea communicaveram, quæ mihi super religione visa fuerant magis consentanea; licet super aliquibus dubitarem: quod quidem in magnum malum meum poterat recidere, tantum est in eo regno periculum de talibus loqui. Tandem peractâ navigatione Amstelodamum appulimus, ubi invenimus Judæos liberè agentes; & ad implendum Legem præceptum de circumcisione statim implevimus.

Transactis paucis diebus expertus sum mores & ordinationes Judæorum minimè convenire cum iis, quæ à Mose præcepta sunt. Si verò Lex observanda erat purè, quod & ipsa petit, malè qui dicuntur Judæorum sapientes tot invenerant à Lege omninò abhorrentia. Itaque non potui me continere, imò gratam rem Deo me facturum putavi, si liberè Legem defenderem. Sapientes isti Judæorum qui nunc sunt, & mores suos, ac ingenium malignum adhuc retinent, pro sectâ & institutionibus detestandorum Pharisæorum strenuè certantes, non sine spe proprii lucri, & quemadmodum illis aliàs benè fuit imputatum, ut primas cathedras in templo, primas salutationes in foro habeant, nullo modo passi sunt, ut nec in minimis rebus ab illis discederem, sed per omnia vestigia eorum inviolabiliter sequerer; Sin minus, minati sunt separationem à congregatione & communicatione omnium, tam in divinis, quam in humanis. Quia verò minimè decebat, ut propter talem metum terga verteret ille, qui pro libertate natale solum, & utilitates alias contempserat, & succumbere hominibus, præsertim juris-dictionem non habentibus, in tali causâ nec pium, nec virile erat; decrevi potius omnia perferre & in sententiâ perdurare. Itaque excommunicatus fui per illos ab omnium communicatione, & ipsi fratres mei, quibus ego antea præceptor fueram, me transibant, nec in plateâ salutabant propter metum illorum.

His ita se habentibus, deliberavi librum scribere, in quo justitiam causæ meæ ostenderem, & apertè probarem ex ipsâ Lege vanitatem eorum, quæ Pharisæi tradunt & observant, & repugnantiam, quam cum Lege Mosis traditiones & institutiones eorum habent. Post cæptum opus accidit etiam (oportet omnia planè & verè, quemadmodum evenerunt, enarrare) ut cum resolutione & constanti deliberatione accederem sententiæ illorum, qui legis veteris præmium & pœnam definiunt temporalem, & de alterâ vitâ & immortalitate animorum minimè cogitant, eo præter alia nixus fundamento, quod prædicta Lex Mosis omninò taceat super his, & nihil aliud proponat observantibus & transgressoribus, quam præmium, aut pœnam temporalem. Valdè lætati sunt hostes mei, simulatque intellexerunt me in talem opinionem devenisse; existimantes, se satis amplam defensionem apud Christianos per hoc solum adeptos fuisse, qui ex speciali fide in lege Euangelii fundatâ, ubi expressè mentio fit de æterno bono & supplicio, animæ immortalitatem & credunt, & agnoscunt. Hac intentione ducti, & ut mihi os in cæteris obturarent, ac odiosum redderent inter ipsos Christianos, antequam liber iste meus, quem scripseram, typis mandaretur, libellum in lucem ediderunt operâ cujusdam Medici, cui inscriptio erat: *De Immortalitate Animarum*. In hoc libello Medicus iste copiosè me lacerabat, quasi Epicuri partes tuentem (Per hoc tempus malè ego de Epicuro sentiebam, & contra absentem & inauditum ex aliorum iniquâ relatione sententiam temerè proferebam, postquam verò aliquorum veritatis amantium de illo judicium, & doctrinam ejus ut erat intellexi, doleo quod aliquando talem virum amentem & insanum pronunciavi, de quo etiam nunc non possum plenè judicare, cum ejus scripta mihi sint incognita) qui enim immortalitatem animarum negabat, parum aberat, quin Deum abnegaret. Pueri istorum, à Rabbinis & paren-

Editus est hic libellus anno à creatione mundi 5383. juxta communem Judæorum calculum; qui respondet anno Christi vulgari 1623.

parentibus edocti, turmatim per plateas conveniebant, & elatis vocibus mihi maledicebant, & omnigenis contumeliis irritabant, hæreticum & defectorem inclamantes. Aliquando etiam ante fores meas congregabantur, lapides jaciebant, & nihil intentatum relinquebant, ut me turbarent, ne tranquillus etiam in domo propriâ agere possem. Postquam libellus ille contra me fuerat editus, paravi me ego statim ad defensionem, & alium libellum huic contrarium scripsi, immortalitatem impugnans omnibus viribus, aliqua obiter eorum percurrens, in quibus Pharisæi à Mose recedunt. Simulatque libellus iste in lucem prodiit, convenere Senatores & Magistratus Judaicus, & de me accusationem proposuerunt apud Magistratum publicum: dicentes me talem librum scripsisse, in quo immortalitatem animorum negabam, nec solum illos lædebam, sed etiam Christianam religionem convellebam. Ex hac eorum delatione fui ego ad carcerem vocatus, & cum ibi fuissem per dies octo aut decem solutus fui sub cautione: Mulctam enim Prætor à me postulabat, & tandem condemnatus sum ut illi solverem florenos trecentos cum amissione librorum.

Post hæc temporis decursu, cum experientia & anni multa patefaciant, ac per consequens mutent hominis judicium (liceat, ut dixi, liberè loqui, quare enim non liceret ei, qui quasi testamentum conficit, ut hominibus relinquat vitæ rationem, & humanarum calamitatum exemplum verum, saltem in morte vera enarrare?) in dubium vocavi, utrum Lex Mosis deberet pro Dei lege haberi, multa enim erant, quæ contrarium suadebant, aut potius cogebant dicere. Tandem statui legem Mosis non esse, sed tantum inventum humanum, quemadmodum alia innumera in mundo fuerunt: Multa enim pugnabant cum lege naturæ, & non poterat Deus autor naturæ contrarius esse sibi ipsi, & esset sibi contrarius, si contraria naturæ hominibus facienda proponeret, cujus autor dicebatur. Hoc ita apud me definito, dixi mecum; Quæ utilitas (utinam nunquam talis cogitatio subiisset in animum meum) si usque ad mortem in hoc statu durem, separatus à communione Patrum istorum, & populi istius, maxime cum advena sim in his regionibus, nec familiaritatem cum civibus habeam, quorum etiam ignoro sermonem? Satius erit in communionem eorum venire, & eorum sequi vestigia quemadmodum volunt, simiam, ut ajunt, inter simias agendo. Hac motus consideratione redii in communionem istorum, dicta mea retractans, & illorum placitis subscribens; annis quindecim jam transactis, quibus ab illis separatus egeram. Fuit autem velut internuntius hujus concordiæ quidam amitinus meus.

Transactis diebus aliquot delatus fui per quendam puerum, filium sororis meæ, quem domi habebam, super cibis, modo parandi, & aliis, ex quibus apparebat me Judæum non esse. Propter hanc delationem nova & acerba bella exorsa sunt: Nam amitinus ille meus, quem internuntium dixi concordiæ fuisse, existimans in opprobrium illius recidere factum meum, cum superbus valdè esset & arrogans, imprudens admodum, & admodum etiam impudens, bellum contra me apertum exorsus est, & post se ducens omnes fratres meos, nihil reliquit intentatum, quod ad destructionem & dissipationem honoris mei, facultatum, & per consequens vitæ, possit aliquid opis conferre. Iste impedivit nuptias, quas jam jam eram contracturus, hoc enim tempus orbatus eram uxore. Is fecit ut frater quidam meus retineret bona mea, quæ in manibus habebat, & commercium, quod inter nos erat, pervertit; quod mihi adeò nocuit propter statum, in quo tunc res meæ erant, ut vix dici possit. Nunc satis sit dicere, hunc mihi fuisse infestissimum hostem contra honorem, contra vitam, contra bona. Præter hoc bellum domesticum, ut ita dicam, aliud erat publicum bellum, nempe Rabbinorum & populi, qui novo odio me odisse cæperunt, & multa impudenter in me commiserunt, quos ideò meritò fastidiebam. Inter hæc accidit adhuc aliud novum: Nam fortè fortuna sermonem habui cum duobus hominibus, qui ex Londino in hanc civitatem venerant, Italo uno, altero vero Hispano, qui Christiani cum essent, nec ex Judæis originem ducerent, inopiam indicantes, consilium à me postularunt super ineundâ cum Judæis societate, & transeundo in religionem illorum. His ego consului, ne tale quid facerent, sed potius ita manerent; nesciebant enim quale jugum suis cervi-

cervicibus imponebant. Interim monebam eos, ne Judæis aliquid meo nomine indicarent; quod & illi promiserunt. Maligni homines isti, intenti ad turpe lucrum, quod indè se percepturos sperabant, gratiarum loco, omnia aperuerunt Pharisæis charissimis amicis meis. Tunc congregati sunt Principes Synagogæ, exarserunt Rabbini, & petulans turba clamavit voce magnâ, crucifige, crucifige eum. Vocatus sum ad consilium magnum, proposuerunt ea, quæ contra me habebant, submissâ & tristi voce, quasi de vitâ ageretur; & tandem pronuntiarunt, debere me, si Judæus eram, illorum exspectare & implere judicium: quod si non, excommunicandus iterum eram. O egregii judices, qui quidem judices estis ut mihi noceatis, si verò ego indigeam judicio vestro, ut me liberetis ab alicujus violentiâ & illæsum servetis, tunc judices non estis, sed servi vilissimi, alieno subjecti imperio; quod est vestrum judicium, cui vultis ut ego paream? Tunc prælectus est libellus, in quo continebatur, debere me veste lugubri indutum Synagogam intrare, cereum nigrum in manu tenentem, & certa quædam verba, per illos scripta, fœda satis, palam coram concione evomere, quibus iniquitates istas, quas commiseram, usque in cœlum efferebant. Post hæc debebam pati publicè in Synagogâ flagellari coreaceo flagello, ceu ligaculo; deinde in ipsius Synagogæ limine me prosternere, ut omnes super me transirent, & certis insuper diebus jejunare. Perlecto libello exarserunt viscera mea, & interius irâ flagrabam inextinguibili; Continens tamen me, simpliciter respondi, non posse talia implere. Audito responso, deliberarunt me iterum à communione separare, nec eo contenti; multi eorum transeunte me in plateâ spuebant, quod etiam & pueri illorum faciebant, ab illis edocti; tantum non lapidabar, quia facultas deerat. Duravit item pugna ista per annos septem, intra quod tempus incredibilia passus sum: Duo enim agmina, ut dixi, pugnabant contra me, agmen unum populi, & alterum propinquorum, qui ignominiam meam quærebant, ut vindictam de me sumerent. Isti non quieverunt, donec mè à statu priori dejicerent: Dixerunt enim inter se, non faciet quicquam nisi coactus, & debet cogi. Si ægrotabam, solus ægrotabam. Si aliquod aliud onus incumbebat, hoc inter sibi valdè optata expetebant. Si dicebam, ut esset aliquis judex ex medio ipsorum, qui inter nos judicaret; nihil minus. Agere coram Magistratu de talibus rebus, quod etiam cæpi tentare, res erat valdè molesta. Longa enim erat via lites persequi in judicio, cui, præter multa alia onera, tot dilationes & procrastinationes inhærent. Dixerunt isti sæpius, subjice te nobis; omnes enim patres sumus, nec putes aut timeas nos tecum fœdè acturos. Dic jam semel paratum te esse, omnia implere, quæ nos tibi imposuerimus, & tunc relinque nobis exitum rei, nos enim omnia faciemus quemadmodum decet. Ego, licet super hoc ipso quæstio vertebatur, & talis subjectio & acceptio, per vim extorta, mihi erat valdè ignominiosa; tamen, ut rem usque ad finem perducerem, & exitum ejus oculis comprobarem, meipsum devici, constanter deliberans, omnia, quæ vellent, acceptare & experiri. Si enim fœda mihi imponerentur & inhonesta, causam meam contra ipsos magis justificabant, & palam faciebant, quinam illorum erga me erat animus, quæ fides in ipsis. Et tandem palam fiebat, quam fœdi & execrandi sint hujus gentis mores, qui honestissimis hominibus, quasi vilissimis mancipiis, ita fœdè abutuntur. Ergo, dixi, omnia implebo, quæcunque mihi imposueritis. Nunc animum mihi præbete, quicunque honesti, prudentes & humani estis, & defixis mentis oculis iterum atque iterum expendite, quale judicium isti in me exercuerunt, particulares homines alienæ potestati subjecti, sine ullo peccato meo.

Intravi Synagogam, quæ hominibus & mulieribus plena erat, convenerant enim ad spectaculum, & quando tempus fuit adscendi suggestum ligneum, quod est in medio Synagogæ ad concionandum, & alia officia, & clarâ voce perlegi scripturam ab illis exaratam, in quâ continebatur confessio, me scilicet dignum esse, millies mori propter ea, quæ commiseram, nempe violationem Sabbathi, fidem non servatam, quam in tantum violavi, ut etiam aliis suasissem, ne Judaismum intrarent, & pro quorum satisfactione illorum ordinationi parere volebam, & ea implere, quæ mihi essent imposita, promittens de reliquo in similes iniquitates & scelera non reincidere. Peractâ lectione descendi à suggestu, & accessit ad me sacratissimus præses, susurrans mihi in aurem, ut diverterem ad angulum quendam Synago-

gæ. Contuli me ad angulum, & dixit mihi janitor, ut me nudarem. Nudavi corpus ad cincturam usque, linteum capiti subligavi, calceos deposui, & brachia erexi, manibus tenens quandam quasi columnam. Accessit janitor ille, & manus meas ad columnam illam quadam fasciâ colligavit. His ita peractis accessit præcentor, & accepto corio percussit latera mea triginta & novem percussionibus secundum traditionem: nam judicium Legis est, ut numerus quadragenarium non excedat, & cum viri isti adeo religiosi, & observantes sint, cavent sibi ne contingat, ut peccent excedendo. Inter percutiendum Psalmus decantabatur. Hoc impletur, humi sedi, & accessit concionator, ceu sapiens (quam ridiculæ sunt res mortalium) qui me ab excommunicatione absolvit, & ita jam porta cœli mihi erat aperta, quæ antea fortissimis seris clausa me à limine & ingressu excludebat. Post hæc indui vestes, & abii ad limen Synagogæ, prostravi me, & custos ipsius sustentabat caput meum. Tunc omnes qui descendebant transibant super me, scilicet elevabant pedem unum, & transibant ad inferiorem partem crurum meorum; quod omnes tam pueri, quam senes fecerunt: (nullæ sunt simiæ quæ actiones magis absonas, aut gestus magis ridendos hominum oculis possint exhibere) & peracto opere, quando jam nullus restabat, surrexi è loco, & mundatus à pulvere, per illum qui mihi assistebat (nemo jam dicat istos me non honorasse, si enim me flagro percusserunt, lugebant tamen, & demulcebant caput meum) domum me contuli. O! impudentissimi omnium hominum. O! patres execrandi, à quibus non erat timendum fœdum quidquam! Hoc te percutiemus? dicebant, absit hoc cogitare. Judicet nunc qui hæc audierit, quale esset spectaculum, videre hominem senem, fortis non abjectæ, naturaliter verecundum super omnem modum, in concione publicâ coram omnibus tam viris quam mulieribus & pueris nudatum, & flagro cæsum ex mandato judicum, & talium judicum, qui servi potius abjecti, quam judices sunt. Consideret, qualis dolor cadere ad pedes infestissimorum hostium, à quibus tot mala, tot injuriæ acceptæ sint, & se conculcandum prosternere. Cogitet (quod majus est, & miraculum portentosum, ac monstrum horrendum, cuius intuitum & fœditatem exhorrescas & fugias dici merito potest) fratres naturales & uterinos, ex eodem patre & matre genitos, in eâdem domo simul educatos, in hunc finem omnem operam impendisse, oblitos dilectionis, quâ à me fuerunt perpetuo dilecti, mihi enim erat hoc proprium & nativum, & oblitos multorum beneficiorum quæ per me in vitâ acceperant, quorum loco pro retributione habui ignominiam, damnum, mala, tot fœda & nefanda ut referre pudeat.

Dicunt nunquam satis detestandi osores mei, se ad aliorum exemplum justè de me pœnas sumpsisse, ne deinceps aliquis audeat se opponere ipsorum placitis, & contra sapientes scribat. O sceleratissimi mortalium & totius mendacii parentes! quanto justius possem ego de istis pœnas sumere ad exemplum, ne deinceps talia auderetis impudenter contra viros veritatis amantes, osores fraudum, totius humani generis indifferenter amicos, cujus vos communes hostes estis, cum omnes gentes pro nihilo æstimetis, & inter bestias numeretis, vos autem solos in cælum usque efferatis proterve, vobis ipsis mendaciis blandientes, cum nihil habeatis, de quo verè gloriari possitis; nisi fortè gloria vobis est exulare, ab omnibus contemni & odio haberi, propter ridiculos & exquisitos vestros mores, quibus à cæteris hominibus separari vultis. Si enim de simplicitate vitæ & justitiâ gloriari velitis, væ vobis, qui non obscure multis inferiores in his apparebitis. Dico igitur, potuisse me justè, si vires adessent, de istis sumere vindictam pro gravissimis malis, & atrocissimis injuriis, quibus me repleverunt, & propter quæ vitam meam exosus sum; Quis enim honesti amans libenter sustineat vitam vivere ignominiosam? Et ut aliquis bene dixit, aut bene vivere, aut honeste mori, ingenuum decet. Tanto autem justior est causa mea causa istorum, quantum veritas præcellit mendacio. Isti pro mendacio contendunt, ut homines capiant & servos faciant: ego vero pro veritate & naturali hominum libertate, quos magis decet, à falsis superstitionibus & ritibus vanissimis liberos, vitam agere hominibus non indignam. Fateor magis ex re meâ fuisse, si à principio tacuissem, & agnoscens ea, quæ in mundo fiunt, potius silerem; ita enim expedit iis, qui inter homines acturi sunt, ne à multitudine ignarâ vel à tyrannis injustis opprimantur, ut fieri solet: unusquisque enim commodis suis consulens

fulens veritatem ſtudet opprimere, & laqueos parvulis tendens, juſtitiam ſub pedibus terit; tamen poſtquam incautus à vanâ religione deceptus in arenam cum iſtis prodii, ſatius eſt cum laude occumbere, vel ſaltem ſine dolore mori, qui turpis fugæ, aut ineptæ patientiæ in honeſtis hominibus comes eſt. Solent iſti pro ſe allegare multitudinem. Tu unus nobis, qui multi ſumus, debes cedere. Amici, utile quidem eſt, ut unus multis cedat, ne ab illis lanietur; ſed non omne, quod utile eſt, pulchrum ſtatim eſt. Pulchrum profectò non eſt, cum ignominiâ diſcedere, ac violentis & injuſtis trophæum relinquere. Debetis igitur fateri, virtutem eſſe laude dignam, ſuperbis reſiſtere, quantum fieri poſſit, ne male facientes & utilitatem ex malitiâ capientes indies magis ſuperbiant. Pulchrum quidem eſt, & viro pio ac generoſo dignum, cum parvulis parvulum eſſe, cum ovibus ovem; ſtultum autem, ignominiæ & reprehenſioni obnoxium, cum leonibus in conflictu manſuetudinem ovis induere. Quod ſi inter res pulcherrimas habetur pro patriâ pugnare uſque ad necem, quia patria eſt aliquid noſtrum; quare pulchrum non eſſet pro propriâ honeſtate, quæ propriè noſtra eſt, & ſine qua bene vivere non poſſumus, niſi forte tanquam porci fœdiſſimi volutemur in fœdiſſimo luto lucri. Sed dicunt nefarii illuſores mei, totum jus ſuum in multitudine conſtituentes, quid tu unus contra tam multos poſſes? Fateor, & lugeo me à multitudine veſtrâ oppreſſum eſſe: tamen propter cogitationes iſtas, & ſermones veſtros, æſtuat magis ira in præcordiis meis, & clamat, impium eſſe erga impios, ſuperbos, contumaces, & perſeverantes, pietate uti. Unum dixi, deſunt vires.

Scio adverſarios iſtos, ut nomen meum coram indoctâ plebe dilanient, ſolitos eſſe dicere, iſte nullam habet religionem, Judæus non eſt, non Chriſtianus, non Mahometanus. Vide prius Phariſæe quid dicas; cæcus enim es, & licet malitiâ abundes, tamen ſicut cæcus impingis. Quæſo, dic mihi, ſi ego Chriſtianus eſſem, quid fuiſſes dicturus? Planum eſt, dicturum te, fœdiſſimum me eſſe idololatram, & cum Jeſu Nazareno Chriſtianorum doctore pœnas vero Deo ſoluturum, à quo defeceram. Si Mahometanus eſſem, norunt etiam omnes quibus me honoribus fuiſſes cumulaturus: & ita nunquam linguam tuam poſſem evadere, unicum hoc effugium habens, nempe ad genua tua procumbere, & fœdiſſimos pedes tuos, tuas inquam nefarias & pudendas inſtitutiones, oſculari. Nunc, precor, doceas me, aliamne noveris religionem præter illas quarum meminiſti, & quarum duas ultimas tu pro adulterinis habens, non tam religiones vocas, quam à religione receſſum. Jam audio te fatentem, unam te adhuc noſcere religionem, quæ verè religio eſt, & cujus medio homines poſſunt Deo placere. Si enim gentes omnes, exceptis Judæis (oportet ut vos ſemper ab aliis ſeparemini, nec cum plebeis & ignobilibus conjungamini) ſervent præcepta ſeptem, quæ vos dicitis Noam ſervaſſe, & alios qui ante Abrahamum fuerunt, hoc illis ſatis eſt ad ſalutem. Jam ergo eſt aliqua religio per vos ipſos, cui ego poſſum inniti, etiamſi à Judæis originem ducam, precibus enim à vobis impetrabo, ut patiamini me cum aliâ turbâ miſceri, vel ſi non obtineam apud vos, per me licentiam ſumam. O! cœce Phariſæe, qui oblitus illius legis, quæ primaria eſt, & à principio fuit, & erit ſemper, tantummodo mentionem facis aliarum legum, quæ poſtea eſſe cæperunt, & quas tu ipſe damnas, tuâ exceptâ, de quâ etiam, velis nolis, alii judicant ſecundum rectam rationem, quæ vera norma eſt illius naturalis legis, quam tu oblitus fuiſti, & quam libenter vis ſepelire, ut graviſſimum & deteſtandum jugum tuum ſuper cervices hominum imponas, & eos à ſanâ mente deturbes, ac inſanientibus ſimiles reddas. Sed quando in iſta venimus, libet hic aliquantulum immorari, & laudes hujus primariæ legis non omninò tacere. Dic igitur hanc legem omnibus hominibus eſſe communem & innatam, eo ipſo quod homines ſunt. Hæc omnes inter ſe mutuo amore colligat, inſcia diviſionis, quæ totius odii, & maximorum malorum cauſa & origo eſt. Hæc magiſtra eſt bene vivendi, diſcernit inter juſtum & injuſtum, inter fœdum & pulchrum. Quicquid optimum eſt in Lege Moſis, vel quacumque aliâ; hoc totum perfecte in ſe continet lex naturæ; & ſi tantiſper ab hâc naturali normâ declinatur, ſtatim oritur contentio, ſtatim fit animorum diviſio; nec quies inveniri poteſt. Si vero multum declinatur, quis ſatis erit ad recenſenda mala & monſtra horrenda, quæ ab hoc adulterio originem ſuam trahunt, & incrementa? Quid habet optimum lex Moſis, vel quæcumque alia,

jam larvam timet. Sic vestra ista ridicula sunt, quæ solum infantibus aut bardis possunt timorem injicere; alii autem qui vestra norunt vos rident. Mitto nunc de justitia fraudis huius differere; cum vos ipsi, qui talia fingitis, inter juris regulas habeatis, non esse facienda mala ut veniant bona. Nisi forte inter mala non numeratis, mentiri in grave aliorum præjudicium, occasionem pusillis dantes insaniendi. Quod si vel umbra Religionis veræ, aut timoris in vobis esset, procul dubio non modice timere debuissetis, quando tot mala in orbem terrarum induxistis: tot dissidia inter homines excitastis: tot iniqua, & impia instituistis, adeò ut parentes contra filios, & filios contra parentes impiè incitare non dubitaveritis.

Unum vellem à vobis interrogare, nempe, si quando ista fingitis propter hominum malitiam, ut illos fictis terroribus in officio contineatis, alioquin male victuros, subit vobis in mentem vos similiter homines esse malitia repletos, qui nihil boni potestis præstare, nihil nisi malum perpetuo exequi, aliis nocere, in neminem misericordiam exercere? Video jam vos mihi irasci, qui tale quidquam ausus sum à vobis interrogare, & unumquemque vestrum strenuè contendere pro justitiâ actionum suarum. Nullus est qui non dicat se esse pium, misericordem, veritatis & justitiæ amantem. Aut igitur falsa loquimini talia de vobis annunciantes; aut falso accusatis omnium hominum malitiam, cui vestris larvis & fictis terroribus mederi vultis; contumeliosi in Deum, quem tanquam crudelissimum carnificem & horribilem tortorem oculis hominum exhibetis; contumeliosi in homines, quos ad tam deplorandam miseriam natos esse vultis, quasi illa satis non sint, quæ cuique in vitâ accidunt. Sed esto, quod magna sit hominum malitia, quod & ipse fateor, & vos ipsi mihi testes estis, cum sitis extremè malitiosi, alioquin talia commenta comminisci non valeretis; quærite remedia efficacissima, quæ citra majorem læsionem morbum hunc ab hominibus omnibus generaliter expellant, & deponite larvas, quæ tantum contra infantes & stolidos vim habent. Si vero morbus hic in hominibus insanabilis est, desistite à mendaciis, nec tanquam inepti medici promittatis sanitatem, quam non potestis præstare. Contenti estote inter vos leges justas & rationabiles stabilire: bonos præmiis ornare, malos digno supplicio afficere: eos qui vim patiuntur à violentis liberate, ne clament justitiam non fieri in terrâ, nec esse qui infirmum eripiat à manu fortioris. Profecto si homines rectam rationem sequi vellent & vivere secundum naturam humanam, omnes se mutuo diligerent, omnes sibi mutuo condolerent. Unusquisque alterius calamitatem, quantum posset, sublevaret, vel saltem nullus alium gratis offenderet. Quæ contra fiunt, contra humanam naturam fiunt; & multa fiunt quia homines diversas leges à naturâ abhorrentes sibi invenerunt, & alius alium irritat malefaciendo. Multi sunt qui ficte ambulant, & se extremè religiosos simulant, & incautos decipiunt, tegumento Religionis, ad capiendos quos possint, abutentes; qui rectè comparari possunt furi nocturno, qui somno sopitos, nec tale quid cogitantes, per insidias adoritur. Hi in ore solent habere, Judæus sum, Christianus sum, crede mihi, non te decipiam. O! malæ bestiæ: ille qui nihil horum dicit, & se tantum hominem profitetur, multo melior vobis est. Si enim ei tanquam homini non vultis credere, potestis cavere; vos autem quis cavebit, qui, amicti ficto pallio sanctitatis fictæ, tanquam fur nocturnus incautos & dormientes per foramina invaditis ac misere strangulatis?

Unum inter multa miror, & verè mirandum est, quomodo possunt Pharizæi inter Christianos agentes uti tantâ libertate, ut etiam judicia exerceant: & vere dicere possum, quod si Jesus Nazarenus, quem Christiani adeo colunt, hodie concionaretur Amstelrodami, & placeret Pharizæis illum denuò flagris cædere, propterea quod traditiones illorum impugnaret & hypocrysim objiceret, hoc libere facere possent. Certe hoc ignominiosum est, & quod tolerari non debuit in civitate libera, quæ profitetur homines in libertate & pace tueri, & tamen non tuetur à Pharizæorum injuriis: & quando quis non habet defensorem aut vindicem, nil mirum si ipse per se quærat se defendere, & injurias acceptas vindicare. Habetis vitæ meæ historiam veram; & quam personam in hoc mundi vanissimo theatro ego egi, in vanissima & instabilissimâ vitâ mea, exhibui vobis. Nunc justè judicate filii hominum,

& sine ullo affectu, libere secundum veritatem judicium proferte : hoc enim inprimis viris dignum est, qui vere viri sunt. Quod si aliquid inveneritis, quod vos ad commiserationem rapiat, miseram hominum conditionem agnoscite & deplorate, cujus & ipsi participes estis. Ne hoc etiam desit, nomen meum quod habui in Portugallia Christianus, *Gabriel Acosta*, inter Judæos, quos utinam nunquam accessissem, paucis mutatis, *Uriel* vocatus sum.



PHILIPPI A LIMBORCH
BREVIS REFUTATIO

Argumentorum quibus Acosta omnem Religionem revelatam impugnat.



SCriptum hoc duas habet partes. In priore autor vitæ suæ historiam tragicam refert: De qua nihil est quod annotemus. Altera acerrimam continet invectivam in Judæos, à quibus se gravissime læsum, & indignis modis tractatum conqueritur. In illa autem invectivâ quædam immiscentur, quibus omnem divinam revelationem impugnat, omnemque religionem revelatam, ut falsam & hominum fraude confictam, odiose traducit; eaque occasione nonnulla etiam directe in ipsam religionem Christianam evomit. Contentio illius privata cum Judæis nihil ad nos. Quare nec inquiram de excommunicatione Judæorum, cujus ea sit autoritatis; neque an juste in eum excommunicationis sententia à Judæis sit lata: Multo minus, an juste in Synagoga flagellari ab ipsis potuerit.

Illud tantum obiter moneo, immerito Magistratum Amstelodamensem ab ipso in fine scripti ipsius traduci, quod non tueatur homines à Pharisæorum injuriis; neque criminationem hanc hoc suo exemplo comprobatam reddit. Ipse enim non implorata Magistratus protectione, ultro se Judæorum, sibi (uti ait) infensissimorum inimicorum, potestati permisit, ut judicium qualecunque (quod sane mite exspectare non poterat) in se pronuntiandum subiret. Quare non est quod supplicium, cui se, inscio & non implorato Magistratu, sponte subjecit, Magistratus aut negligentiæ aut perfidiæ imputet; cum, si ejus protectionem implorasset, tutum contra Judæorum violentiam præsidium invenisset; sed omnem suam miseriam propriæ impietati ac stultitiæ imputare debet: & maxime iniquus est, qui propriam negligentiam tanquam Magistratus crimen traducit. Calumniator autem est improbissimus, quod, ut majore Magistratum Amstelodamensem invidia gravet, addit: *Vere dicere possum, quod si Jesus Nazarenus, quem Christiani adeo colunt, hodie concionaretur Amstelodami, & placeret Pharisæis illum denuo flagris cadere, propterea quod traditiones illorum impugnaret, & hypocrisin objiceret, hoc libere facere possent.* Nihil magis calumniosum in Magistratum Amstelodamensem dici potest: Cum & gloriæ Christi sit vindex, & licet Judæos in sua civitate toleret, non tamen illis jurisdictionem, aut judicia civilia, nedum criminalia exercendi po-

testatem concedat; uti omnibus notissimum est: Tantum abest, ut eam in D. Jesum exerceri permitterent. Apage istas calumnias.

Unicum, quod hic expendam, sunt ea, quæ in Religionis Christianæ opprobrium scripsit; ea autem legi possunt circa scripti ipsius finem. Summa eorum huc redit. Naturæ legem omnibus esse communem, & innatam; eâ homines mutuo inter se amore colligari: ab hac si declinetur, illique quid superaddatur, statim oriri contentionem, animorumque divisionem. Hanc omnia bene vivendi præcepta tradere: Si quid illi superadditum dicatur à revelatione, illud aut ipsâ naturæ Lege contineri, aut impossibile esse præstitu. Quibus tandem conclusionis loco varia addit mala, quæ oriri ait, quando à naturali lege declinatur. Omnia hæc accuratius expendenda sunt.

Naturæ legem omnibus esse communem, hominibusque innatam, vere dicitur: Illius quippe prima principia ita suâ luce manifesta sunt, & ex ratione humana deducuntur, ut nobis innata jure dicantur. Verum, quod exinde infert, quicquid naturæ legi superadditur, statim contentionem producere, animorumque divisionem, falsissimum est. Quæ enim naturæ legi superadduntur, vel naturæ legi adversa sunt, vel naturæ legem perficiunt, ita quidem, ut naturæ lex ea non quidem dictare, aut ipsa investigare queat; attamen quando revelatione innotescunt, non tantum illi non adversa, sed & maxime illi consentanea, & ad ejus perfectionem facere deprehendantur. Prioris generis nulla sunt revelata: Non enim Deus naturæ autor sibi ipsi contrarius esse potest: foret autem, si per revelationem quædam juberet lege naturæ vetita, aut vetaret, lege naturæ præcepta. Nec ullum ex revelata religione præceptum proferetur præceptis legis naturæ adversum. Posterioris generis præcepta, tantum abest, ut legem naturæ destruant, aut ad ejus eversionem tendant, ut potius eam perficiant, ejusque approbationem habeant. Licet enim naturæ lex ea ex se & sponte suâ non præscribat, non tamen ea damnat, iisve adversa est; sed ut principiis suis maxime consentanea summopere laudat; licet contrarium illorum non statim ut illicitum suoque dictamini adversum condemnet.

Illustrabo id exemplo, quod ipse Acosta profert, præcepti de dilectione inimicorum. Naturæ lex inimicorum dilectionem non præcipit, vel illicitum pronuntiat inimicum odisse, aut illatam injuriam vindicare: quin potius speciem quandam juris in vindictâ agnoscere videtur: par enim pari referre, & in quenquam statuere quod ipse in alterum commisit, nullo modo à justitia abhorrere videtur: Nec id Acosta hic diffiteri potest, qui totus ira ac vindicta æstuat, & in cujus præcordiis ira clamat, *impium esse erga impios, superbos, contumaces & perseverantes, pietate uti:* & unum illud deplorat, viribus se ad vindicandum destitutum. Credit ergo, naturæ legem non permittere tantum, sed & aliquo casu exigere inimicos odio habere, ac atrocem injuriam vindicare. Quin & in fine scripti sui vindictam istiusmodi justam defendit; ita enim scribit: *Quando quis non habet defensorem & vindicem, nil mirum si ipse per se quærat se defendere, & injurias acceptas vindicare.* Non tamen naturæ lex damnat jure suo hîc non utentes, & injuriam illatam non tantum non vindicantes, sed & malum bono compensantes, & pro persecutoribus orantes; Quin potius si quis eò assurgat, factum illius approbat, ac ut generosæ virtutis actum summis in cœlum laudibus extollit.

Objicit hic Acosta: *Quid prodest, si mihi imperentur impossibilia, quæ ego implere non possum*

possum? Nullum aliud bonum inde sequetur, quam animi tristitia, si ponimus impossibile esse naturaliter inimicum diligere. Quod si non omnino impossibile sit naturaliter inimicis benefacere (hoc citra dilectionem accidere potest) quia homo ad pietatem & misericordiam generaliter loquendo naturalem habet propensionem, jam non debemus negare absolute talem perfectionem in lege naturæ comprehendi. Quæ argumentatio in hoc dilemma videtur resolvi. Quæ lege naturæ superaddita dicuntur à religione, aut secundum naturam sunt impossibilia, aut non. Si sunt impossibilia, frustra præscribuntur: Si non sunt impossibilia, ergo & in lege naturæ comprehenduntur. Verum si consideremus mox dicta facile hujus argumentationis incongruitas patebit. Inimicis benefacere juxtà naturæ legem impossibile non est, cum naturæ lex id tanquam virtutem eximiam & vere heroicam approbet & commendet. Non tamen, uti vidimus, ita necessario faciendum præscribit, ut quicunque contrarium facit, mox à naturæ lege, tanquam illius transgressor, condemnetur; cum & illius factum, ut à præscripto suo non recedens, toleret & legitimum pronunciet. Non quicquid infra summum virtutis fastigium subsistit vitiosum est & damnandum.

Hic autem religio Christiana naturæ lege perfectior est, quod defectum illum, quem naturæ lex ut sibi consentaneum tolerat & approbat, tollat, & tanquam peccatum charitati adversum severe prohibeat: & quod naturæ lex ut virtutem eximiam, non tamen omnibus necessariam, suspicit, præscribat ut officium necessariò observandum, in quo si quis deficiat aut negligens sit, gravissimi se peccati reum constituat. Ita ut in Religione Christiana illicitum sit injurias ulcisci; è contra vero, inimicis benefacere, quin & eos amare, ac pro iis Deum precari, necessarium. Sic videmus, naturaliter impossibile non esse inimico benefacere, & nihilominus Religionem, quæ beneficentiam hanc præcipit, perfectius quid continere lege naturæ. Nec in eo culpare potest Acosta Religionem, quod supra naturæ legem ascendens ut officium necessarium exigit, quod naturæ lex non necessariò faciendum præscribit. Quoniam enim naturæ lex hoc ut eximium quid ac generosum laudat, apparet præceptum hoc Religionis Christianæ ad majorem hominis perfectionem tendere, in eoque legem naturæ vere perfici, utpote ab unoquoque homine, si Christianus esse velit, ac promissis Religionis Christianæ frui, exigens ut ea faciat, quæ naturæ lex eximiæ virtutis actus esse pronuntiat.

Sed videtur Acosta credere actus hosce naturaliter homini esse impossibiles, saltem amorem inimicorum, qui addit, *citra dilectionem accidere posse* ut inimicis benefaciamus: unde juxta ipsius collectionem concludendum est, naturæ legem dilectionem inimicorum non præscribere. Inde ergo colligo, religionem, quæ inimicorum dilectionem præscribit, naturæ lege perfectiorem esse. Atqui Religio Christiana inimicorum dilectionem mandat, ac exigit non tantum ut inimicis benefaciamus, verum etiam, ut in beneficentia nostra nihil spectemus nisi commoda ac salutem inimici cui benefacimus, atque ita amorem erga eos testemur sincerum ac infucatum, animumque ipsorum saluti ac commodis studiosum. Inde merito colligo, Religionem Christianam lege naturæ esse perfectiorem, quæ mandat, ut naturalissimum illum erga nos ipsos affectum exuentes propriis commodis neglectis inimici nostri salutem procuremus.

Sed, inquit Acosta, *Quid prodest, si mihi imperentur impossibilia, quæ ego implere non possum?* Resp. Quod per naturæ legem fieri nequit, virtute, quam Christiana Religio confert, præstari potest. Credo ego hoc Acostæ impossibile videri, qui gravissimis Ju-

dæorum injuriis exacerbatus, & totus irâ æstuans, nec ullum post hanc vitam præmium aut pœnam exspectans, sed omnem hominis fælicitatem ac miseriam hac vita terminari credens, in sola vindicta miseriarum suarum solamen quæsivit. Sed non quicquid ejusmodi homini impossibile videtur, statim etiam Christiano, vitæ æternæ spe suffulto, impossibile credendum est. Persuasissimum siquidem habet Christianus, diligentibus inimicos iisque benefacientibus vitæ æternæ præmium destinatum; sine inimicorum dilectione non tantum nullum ad vitam æternam patere aditum, sed & horrendissimum ac certissimum exitium certo certius esse exspectandum. Naturæ itaque legi, quæ inimicorum dilectionem impossibilem credidit, omnino consentaneum est, ut naturalis ille affectus, quo in inimicorum odium propendemus, exuatur, & quicquid in hoc officio molestiæ est alacri animo devoretur, quando affectum illum exuendo Deo obedimus, & in obedientiæ præmium vitâ æternâ coronabimur. Tam enim excellens est vitæ æternæ præmium, ut quicquid ex vindicta voluptatis, quicquid ex inimici dilectione molestiæ percipere possumus, nullo modo cum illa comparari queat. Atqui naturæ legi ac rectæ rationi consentaneum est, è duobus bonis, majus esse eligendum, minusque bonum, licet maxime nos in sui amorem trahens & minime aspernandum, facile posse contemni ac negligi, quando majoris boni impedimentum est: præsertim autem, si magna inter utrumque bonum sit discrepantia. At quæ major discrepantia esse potest, quam inter bonum caducum, cito transiens, ac vere momentaneum, atque inter bonum stabile, perenne, æternum, ac nunquam interiturum? Lex naturæ non permittit, ut bonum majus minori postponatur. Nec refert, minus bonum esse præsens, majus absens. Licet enim negari nequeat, præsentibus nos valide affici, absentia ac futura dilutam nos movendi vim habere; Attamen fides, quæ ἐλπιζομένων est ὑπόςασις, ac futura nobis tanquam præsentia sistit, omnes has molestias ac difficultates superare novit. Ea quippe hominem certum ac persuasum reddit, quæcunque futura sunt tandem certo fore præsentia, atque ea repræsentatione similem illis vim confert, ac si præsentia forent. Si rex quispiam aut princeps præsto adfuisset, qui Acostæ lautam fortunam, ex miseriis liberationem, & à Judæorum persecutionibus protectionem, omniumque bonorum affluentiam promisisset, siquidem omni ex animo deletâ vindictâ Judæos, à quibus tam graviter fuit læsus, diligeret, ipsisque omnia dilectionis officia præstaret: Si vero odium contra illos animo foveret, ac vindictam spiraret, comminaretur gravissimis ipsum torquendum cruciatibus, ac tandem post diuturnos cruciatus morte lenta ac miserabili puniendum? Quid, crederetne ut supplicium adeo horrendum evadat, ac tam fælicis sortis compos fiat, impossibile sibi esse Judæos diligere, quia nunc nulla melioris sortis spe suffultus, nullumque ob vindictam supplicium metuens, eos amare sibi impossibile credit? Quantumcunque irâ ac vindicta æstuet, omnem facile credo ex animo deleturum, tanti boni promisso excitatum, ac tam horrendi supplicii comminatione deterritum. Atqui promissa religionis Christianæ inimicorum amantes de adeptione vitæ æternæ, cum qua quodcunque bonum terrenum & quæcunque etiam lautissima fortuna neutiquam comparari potest, & illius minæ inimicorum osores ac persecutores de gravissimi supplicii, quocunque hujus vitæ supplicio intolerabilioris, inflictione persuasissimos esse volunt. Quid ergo hic à lege naturæ condemnatur,

aut

aut judicatur impossibile, ut tanti boni spe, tantique mali metu præstari nequeat?

Sed Acosta hæc omnia ab hominibus malitiose inventa ait, nullumque post hanc vitam præmium, nullam pœnam agnoscit, omniaque hac vita terminari credit. Multum hic agere de revelationibus divinis, plane præter scripti hujus scopum foret. Unum dico, supposità historiæ Euangelicæ veritate, quam in disputatione mea cum erudito Judæo *Cap.* II. *pag.* 159. *& seqq.* abunde contra omnes ipsius objectiones & argutias adstruxi, indubitata nos habere argumenta, quibus de præmiorum ac pœnarum post hanc vitam certitudine plenissime persuadeamur: Non tantum enim habemus expressa vitæ futuræ promissa, sed & Deus ipsum Jesum Christum, doctrinæ hujus primum præconem, in confirmationem hujus promissi, tertia die ex mortuis excitavit, aliquoties redivivum discipulis ostendit, & post quadraginta dierum, quibus cum discipulis conversatus est, decursum, duodecim Apostolis inspectantibus, in cælum evexit. Potuisset Deus simpliciter præcipere, ut nos ex morte in vitam æternam resurrecturos credamus: Verum rationem habens infirmitatis nostræ, & sciens quam difficile ac arduum sit homini credere, se, postquam mortuus & in pulverem redactus est, denuo in vitam æternam resurrecturum, exemplum nobis exhibere voluit in Christo Jesu Filio suo, atque hoc certissimo pignore roborare fidem nostram, ut continuo in Jesum Christum Dominum nostrum intenti perinde nos resurrecturos credamus, atque eum resurrexisse persuasi simus. Idque eò magis, quia ipse Jesus Christus, à Judæis signum divinæ suæ missionis rogatus, ad hoc suæ post mortem triduanam resurrectionis, ut evidens ac irrefragabile provocare solitus fuit. Eventu ergo signum id comprobante, nihil ipsa infidelitas cur de promissi illius certitudine vel minimum dubitet reperire potest. Anne cuiquam credibile esse potest, Deum sanctissimum & salutis humanæ amantissimum signo adeo manifesto hominem impostorem, & qui, ut imposturæ suæ fidem conciliet, ad id provocaverat, voluisse illustrem reddere, illique autoritatem apud homines conciliare? An id quisquam de sanctitate divina suspicari potest? Quid enim id esset, nisi deceptionem reddere inevitabilem, omnesque veritatis ac sanctitatis amantes in fraudem inducere, ubi vidissent fraudis autorem tam irrefragabili signo à Deo honoratum? Absit ut quisquam, cui vel mica sanæ mentis inest, id de sanctitate divina suspicetur. Adeo ut de præmiis ac pœnis post hanc vitam nulla dubitandi vel minima ratio supersit, nisi tota historiæ Euangelicæ veritas in dubium vocetur: Quam in altero scripto contra Judæum validissimis argumentis, quæ cordato cuique veritatisque ac pietatis studioso convincendo abunde sufficere possunt, adstruxi, quæ hic repetere alienum, & præter scripti hujus limites foret.

Accingit se porro Acosta ad refutationem argumenti, quo futuræ vitæ præmia ac pœnæ adstruuntur, quod ita proponit. *Si non alia sit lex, quam natura lex, nec homines ex fide habeant alteram restare vitam, & timeant pœnas æternas, quid est cur non perpetuo malefaciant?* Verum argumentum hoc non fideliter proposuit: Ut ergo illius robur melius appareat, paulo aliter id proponam. Tanta est malitia generis humani, tanta vis concupiscentiæ, ut sola naturæ lex seu recta ratio illi coërcendæ non sufficiat: Placuit itaque summo numini, ut grassanti in pietati occurreret, lege lata illi obicem ponere, & non tantum naturæ legem, malitià hominum valde obliteratam, renovare,

re, sed & perficere, hominesque ad illius obedientiam promisso præmii vitæ æternæ, ac comminatione mortis æternæ potenter exstimulare. Non ergo hoc argumento infertur, si non sint præmia ac pœnæ post hanc vitam, nihil esse, cur non perpetuo homines malefaciant. Scimus enim non tantum metu pœnæ à Magistratu infligendæ plurimorum malitiam cohiberi ne in scelera, generi humano perniciosa, erumpat; sed & naturæ legem variis cupiditatibus frænum injicere: Verum invalidam eam dicimus, quæ concupiscentiæ impetus, præsertim ab objecto grato aut ingrato vehementius stimulatos, repellat; & plerumque contingere, ut objectis gratis ita afficiantur homines, ut cupiditati succumbant. Ita enim naturâ comparatum est, ut omnes voluptatem quandam ex actionibus suis percipere gestiant; omnemque dolorem horreant. Vicissim ratio dictat, honesta semper esse facienda, nihilque turpe committendum. Hinc quando actio honesta cum dolore est conjuncta, aut actio turpis voluptatem conciliat, lucta inter rationem ac concupiscentiam exsurgit. Ratio dictat honestum præferendum jucundo, & turpe fugiendum præ molesto. Concupiscentia semper voluptatem spectat, actionesque cum dolore conjunctas fugere jubet. Quia autem objectorum concupiscentiæ gratorum aut ingratorum voluptas ac dolor præsens est, & sæpius ante usum rationis perceptus; voluptas autem quæ actiones honestas comitatur, ac dolor qui inhonestas insequitur, præsens non est, sed futurus exspectatur, & à multis nunquam est perceptus, præsenti dolori ac voluptati facile postponitur, & quia ignotus est ac parvi penditur, à plurimis contemnitur: Atque ita in lucta hac ratio concupiscentiæ, præsertim vehementius ab objecto grato vel ingrato perculsæ, succumbit.

Non itaque in solâ naturæ lege virium satis est ad cohibendum malitiam late grassantem, & frænandum concupiscentiam. Rationi itaque Deus accedere voluit revelationem, quæ per potentiora media, promisso nimirum vitæ æternæ, boni longe excellentioris, cujus spem resurrectione Christi ex mortuis certam & indubitatam fecit, & comminatione supplicii atrocioris, concupiscentiæ impetus cohibeat, & honesta gratis præferre suadeat: Nihil hic rationi adversum, sed revelatio rationi optime consentit, & ad ea, quæ ratio probat, potenter exstimulat.

Verum Acosta argumentum hoc ita proposuit, quasi ab hominibus, fraudis ac imposturæ sibi consciis, excogitatum, qui fraudem hanc excusare conentur, illius necessitate ostensa, quasi sine ea nullum esset vinculum quo homines in officio contineri queant. Atque ita argumentum hoc non tantum mutilavit, sed loco argumenti Religionem solide adstruentis, & ab ipsius objectione, quod nihil perfectius lege naturæ contineat, fortiter vindicantis, inanem ac ridiculam argutiam, qua fuco faciendo prætextus solummodo quæritur, substituit. Quare quæcunque hic de fraudis illius vanitate ac injustitia differit, extra oleas sunt. Ostendisse oportuisset, quicquid Euangelium de præmiis ac pœnis post hanc vitam docet, fraudulenter ab hominibus esse confictum. Quod cum ab ipso factum non sit, nec à quoquam fieri possit, & contrarium solide evictum sit, omnia hæc, tanquam nihil ad rem, & plane extra oleas, rejici debent.

Quod addit, *Deum crudelissimum carnificem, & horribilem hominum tortorem hominum oculis exhiberi*, ineptum, imo impium est. Scelera hominum horrenda, in quibus pertinaciter perseverant, supplicium mereri, Acosta inficias non iverit: quin id in hoc

hoc suo scripto acriter urget, Judæosque, quorum crimina recenset, non puniri, indignissime fert. Justitiæ itaque officium est, sceleribus meritas rependere pœnas, virtutem ornare præmio. Atqui quod justitiæ vindicat, Deo denegare nequit. Ratio itaque docet, justitiæ divinæ esse consentaneum, ut piis bene, impiis male sit. Unde infero, quicunque meritum impiis supplicium irrogat, nihil facere, quod justitia ut crudele abominatur, sed quod ut justum suadet ac probat. Ac proinde impium esse, blasphemum, & rectæ rationi adversum, Deum, quia meritò sceleratos ac impios supplicio afficit, *crudelissimum* vocare *carnificem & horribilem tortorem*: Cum ultra merita non sit puniturus, & pro ratione delicti, pœnam vel mitigaturus vel intensurus. Eadem justitiæ ratio requirit, pœnam & præmium post hanc vitam manere homines. Cum enim plerumque nullam in hac vita pietatis remunerationem, & impietatis pœnam videamus, sed potius pios plerumque impiorum potentia ac tyrannide oppressos ac miseram trahentes vitam, impios vero rerum potentes ac omnium bonorum, quæ vitam hanc reddunt beatiorem, affluentiâ gaudentes; omnino divinæ justitiæ ratio exigit, ut post hanc vitam piis bene, impiis male sit, atque ita utrique justam factorum retributionem accipiant. Idque legi naturæ seu rectæ rationi apprime consentaneum est.

Verum dicit Acosta, *Lex positiva, sive illa sit Mosis sive cujuscunque alterius, naturale amoris vinculum quod est inter parentes & filios, fratres & amicos, dissolvit & dissipat, quando præcipit, ut pater, frater, conjux, amicus, filium, fratrem, conjugem, amicum, occidat vel prodat religionis ergo: & aliquid vult talis lex majus & superius, quam ut possibile sit per homines impleri; & si impleretur, summum esset contra naturam scelus; illa enim talia horret.* Nihil hic lego, quod religioni Christianæ oppositum credi potest: Illa enim amorem erga omnes homines sine discrimine, quin & erga inimicos, ut præcipuum officium, sine quo nemo Christi discipulus, aut alicujus apud Deum pretii esse queat, passim commendat: Ad crucis & afflictionum ab impiis ac infidelibus infligendarum tolerantiam discipulos suos hortatur; nusquam autem illos contra dissentientes, aut aliam religionem profitentes armat; quin & pro persecutoribus orare jubet. Religionem argumentis, mansuetudine, longanimitate, ac benefactis propagari jubet ac suaderi, non vi ac ferro ad eam quempiam cogi permittit. Quod si respiciat leges illas cruentas ac sanguinarias, in Hispania ac Lusitania contra Judæos omnesque ab Ecclesia Romana dissentientes latas; quoniam illæ legibus Euangelii è diametro oppositæ sunt, ex illis religionis Christianæ falsitatem aut cum lege naturæ pugnam deducere minime potest: Sed potius ex Euangelio leges illas confutare, earumque promulgatores & executores violati præcepti divini ac charitatis Christianæ reos agere, quin & Christiano nomine indignos arguere debet, quorum mores tam male cum præceptis religionis conveniunt. Quare non est, quòd Euangelio maculam hanc objectam credamus, ac diluamus.

Videtur potius Acosta digitum intendere in legem *Deut.* XIII. 6. *& seqq.* ubi Deus ita præcipit: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens, eamus & serviamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, &c. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes eum, sed statim*

 interfi-


interficies: Sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum: Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Sed ut appareat, legem hanc non evertere legem naturæ, variæ illius circumstantiæ considerandæ sunt. Prima est: Legem hanc solis datam Israëlitis. Secunda, pœnam eâ constitutam nullos spectare, nisi Israëlitas: Non enim mandat Deus, gentilem, qui Israëlitam in idololatriam pellicere conatur, interfici; sed si frater, aut alius quispiam è populo Israël seductionem hanc moliatur. Tertia: Ratio temporis quo lex hæc populo Israëlis à Deo data est. Mundus totus à cultu unius veri Dei defecerat ad idololatriam: Deus sibi elegerat posteritatem Abrahami, Isaaci & Jacobi, ex quâ mundi redemtorem oriri voluit: gentem hanc ab omnibus aliis totius terræ gentibus separatam esse voluit, in eaque purum sui cultum servari, ex qua ille postea sub regno Redemtoris generis humani in totum terrarum orbem per omnes gentes ac nationes erat diffundendus. Regiminis illius ratio exigebat, ut severis interdictis ac comminationibus populus ille cohiberetur, ne se gentium idololatriâ pollueret. Huc accessit quarta circumstantia, quod Deus populum hunc recenti beneficio liberationis ex dura Ægypti servitute sibi totum in peculium vindicaverat, variis se illi miraculis, ac tandem prodigiis horrendis in monte Sinai revelaverat, & quasi conspiciendum tradiderat, ut de illius præsentia ambigere minime possent; & cum tanta ac tam manifesta præsentiæ suæ signa dedisset legem illi tulerit. Quæ omnes circumstantiæ rite consideratæ evincunt nihil legi naturæ adversum hac lege mandari. Recta quippe ratio dictat, solum Deum omnium creatorem esse colendum, peccatumque committi gravissimum, quando cultus soli Deo debitus non tantum Deo denegatur, sed & idolis seu dæmonibus exhibetur. Crimen ergo horrendum est idololatria, cujus Deum esse vindicem, rectæ rationi quammaxime consentaneum est. Nec repugnat recta ratiô, Deum ex corrupto genere humano unam sibi eligere gentem peculiarem, quam ob rationes, infinitæ ipsius sapientiæ notas & consentaneas, ab omnibus aliis populis ad certum tempus esse secretam, & in qua puriorem sui cultum observari voluit. Multò minus repugnat rectæ rationi, Deum severas ferre leges, gravissimisque sancire pœnis, quibus populum hunc, recentibus beneficiis sibi obligatum, ac proinde qui non sine nova ac minime excusabili culpa ad idolorum cultum relabi potest, ab idololatriâ, quâ totus mundus infectus erat, deterrere voluit, & mandare, ut quicunque ex populo illo fratrem aut amicum seducere conaretur ad falsorum Deorum cultum, sine ullâ misericordia, sine ullo amicitiæ ac consanguinitatis respectu morte afficiatur. Non enim legi naturæ repugnat, majestatis divinæ conculcatores puniri, multò minus si novo beneficio Deo sint obstricti, & propiore Dei cognitione illustrati: Tales enim non sine summæ ingratitudinis ac impietatis crimine cultum Deo debitum idolis exhibere possunt. Majestatis regiæ conculcatores, maxime à rege suo ad hostes deficientes, qualescunque tandem sint, graviter puniri, nulla ratio vetat. Quæ itaque ratio prohibet, severam in certo populo pœnam in majestatis divinæ conculcatores, & honorem ipsi soli debitum dæmoniis ac immundis spiritibus, in summam Dei contumeliam, exhibentibus constitui, eamque pro ratione temporum, quæ rigorem hunc exigebant, graviore pœna severiùs sanciri? Ita ut temporum ratio severitatem hanc postulasse videatur.

Nunc vero, quando populorum discrimen est abolitum, omnesque gentes per Jesum Chri-

Christum ad unius veri Dei cultum sunt conversæ, ratione quæ rigorem illum olim exegerat cessante, lex illa etiam sponte evanuit; illique nova successit, mansuetudinem ac charitatem spirans, quæ non metu supplicii humani homines ab idololatria cohibeat; sed persuasionibus, argumentorum pondere, sanctitate doctrinæ, ac miraculorum efficaciâ homines ad Dei agnitionem ac cultum perducat, & quos rationibus flectere non potest, cum mansuetudine ac longanimitate tolerandos præcipiat; cui nihil magis est adversum, quam ob religionis discrepantiam homines vexare ac morte afficere. Religioni huic objici non potest, quod naturæ legi adversetur, aut separationem odium ac dissidium inter homines excitet: Omnium enim amorem præcipiens, omnium saluti intenta est, nulliusque, ne quidem inimici & persecutoris, odium legitimum ac justum agnoscit. Si occasione illius promulgationis ac propagationis dissensio orta est, hominumque animi non tantum in diversas sententias distracti, sed & odia internecina, ac persecutiones horrendæ sunt excitatæ; id non religioni Christianæ, quæ blandis ac placidis rationibus homines ad sui professionem invitat, quæque amorem, pacem, & afflictionum tolerantiam, omniumque etiam gravissimarum injuriarum condonationem præcipit, crucem religionis ergo ferre jubet, non aliis inferre permittit, imputandum est; sed malitiæ ac impietati hominum, qui veritate Euangelii repudiatâ, &, lege naturæ, quæ nullum ob diversum de rebus divinis sensum odium justum agnoscit, contemtâ, infestis animis religionem Christianam oppugnarunt, & omni humanitatis, amicitiæ ac consanguinitatis vinculo soluto, illius professores publici odii victimas fecerunt, & ubivis locorum crudelissimis suppliciis interfecerunt. Ita ut Acosta nihil hic religioni à Deo revelatæ, ac præsertim Christianæ, objiciat, quin facile dissolvi queat.

Quod si gravissimis à Judæis injuriis lacessitus, ex eorum factis omnem religionem æstimet, gravissime lapsus est. Non enim religionis præcepta ex hominum moribus æstimari possunt. Sic ipsa naturæ lex pro qua tantopere depugnat, condemnanda foret; cum plerique eam agnoscentes vitam ducant dictamini ejus contrariam & repugnantem; ex quâ si de legis naturæ præceptis judicandum foret, dicendum eam injustam hominum innocentium læsionem, immisericordiam erga afflictos, injuriarum vindictam, aliaque maleficia hominibus injungere; quoniam crimina hæc inter homines frequentiora sunt, virtutesque, justitia, misericordia, ac mansuetudo admodum inter illos raræ. Quare non ex Judæorum moribus religionem Judaicam, multo minus Christianam, æstimare debuit; neque quia facta ipsorum naturæ legi repugnare credit, religionem tam Christianam quam Judaicam, seu potius Euangelium & Legem Mosis condemnare, tanquam doctrinas legi naturæ adversas, quæ præcepta legis naturæ præscriptis repugnantia præscribunt: sed ex Lege Mosis Judæorum facta coarguere, & scripto hoc ostendere, mores ipsorum legi minime esse consentaneos. Quando paucis post Judaismi professionem diebus expertus est, *mores & ordinationes Judæorum minime convenire cum iis quæ à Mose præscripta sunt*, non credidit eorum moribus & ordinationibus Mosis Legem maculatam; Verum ex Lege ipsos coarguit, variarumque transgressionum reos egit. Quid itaque hic ex corruptis hominum moribus Legem & Euangelium impugnat? ac non potius ex sanctissimis religionis præceptis hominum mores redarguit, ostenditque nihil eos habere, quo se tam sanctæ doctrinæ discipulos glorientur? Sic

propriæ saluti consuluisset; mores legi adversos redarguisset; & præceptorum sanctitatem considerans, momentaque argumentorum, quibus religio Christiana nititur, sepositis omnibus considerationibus humanibus, maturo judicio ponderans, sincera potuisset Euangelium fide amplecti, & gravissimo, quod ex impiis eorum, qui Christianam profitentur religionem, moribus exoritur, scandalo superato Christum Dominum agnoscere, ac gratiâ divinâ per veram in eum fidem, per charitatem bonaque opera vivam ac efficacem, salutem suam operari in timore ac tremore. A quo ne & alii deterreantur, omnium nostrum, qui sanctum Christi nomen profitemur, officium est, ut moribus sanctis doctrinæ Christi professionem ornemus, ac præsertim in id unice intenti simus, ut nulla de variis religionis dogmatibus sententiarum diversitas animos divellat, multo minus Christiani in mutuam lanienam animentur; sed mansuetudine, patientiâ ac charitate alii aliorum nævos ac infirmitates tolerando unitatem ac pacem Ecclesiæ promoveamus, aliosque ad Christiani nominis professionem allicere allaboremus; omnibusque testatum faciamus, non tantum nos profiteri Dominum nostrum esse regem pacis, Ecclesiamque ipsius regnum pacis; sed & nos spiritu pacis regi, & quod profitemur opere ipso complere.





INDEX

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

Asterisco * notata explicantur: Reliqua obiter attinguntur, aut nude tantum citantur.

1. SAMUELIS.

2. SAMUELIS.

1. REGUM.

2. REGUM.

2. PARALIPOMENON.

ESDRAS.

NEHEMIAS.

PSALMI.

ESAIAS.

JEREMIAS.

XXV.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

In

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

F I N I S.



9-3-1

